
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
C
17
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibl. Dom. Prof. Neap. Soc. Jesu
Catal. inscript.

Digitized by Google


ANDREÆ
CAMVTII
Sereniss. Inperat.
Physici.
DE NOBILITATE
libri Octo
Hactenus in lucem
nusquam
EDITI.
Ad Emin.mi et Reueren.mi
DD. CÆSAREM
MONTIVM.
S.R.E. Cardinalem
Et Eccles. Mediol.
Archiepiscop.
MEDIOLANI
Apud Bidellium. MDCXXXX
Superiorum permissu et Priuilegio

Blancus fec.



Digitized by Google

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS. D. D.

CÆSAREM MONTIVM

S. R. E. CARDINALEM,

ET ECCL. MEDIOL. ARCHIEP.

Io. Baptiſta Bidellius.

EMISSVRVS mea ex officina De Nobilitate Librum doctum cum primis, ac eruditum, æneis deſcriptum formis, ſi dubitaſſem cuius ſub nomine vellem apparere, facilè me Vaticanæ tuæ purpuræ lumen, & patrij ſyderis nitor, quid conſilij caperem, oſtendiſſet. Neq; enim reputare animo poſſum, à quo loco in locum iſtum ſummi honoris, & quibus ad eum vijs progreſſus fueris, quin te illibatum florem In-

ſubricæ Nobilitatis appellem. Vt ſi cuipiam alij typographicum hoc meum opus nuncupem, videri poſſim, vel fortunam huius Ciuitatis ignorare, cui tu ſortito caput obtigiſti, vel certè malignè improbus eſſe, qui bonis natiuis, ac domeſticis, hoc eſt te Ciue diues, foris tamen quæram, quem colam. Reuereor memoriam, & manes pręſtantiſsimi Viri fratris tui, quem vtinam Ciuitatis fatum tàm maturè, tàm acerbo funere non abſtuliſſet. Eius ego in fide, & clientela, ita quieſcebam, vt eius colendi, amandi, obſeruandi, & tantùm non adorandi cauſſas cùm publicas, tùm priuatas plurimas haberem. Iam illo inter cœleſtes animas recepto, cui alij reuerenter ſupplicem, & quem vnum præcipuè velim mihi propitium, niſi eum in quem ſunt Ciuitatis vniuerſæ, & latiſsimè Diœceſis oculi, & animi conuerſi? Nam cum illud in primis ſpectandum mihi fuerit, vt ei librum De Nobilitate inſcriptum vellem qui eſſet inter ſuos longè honeſ-

tiſſimo

tiſſimo loco natus, Tu is primus occurriſti, ad quem longiſſimè Nobilitas ab Auis, ab Atauis, & ab extremis noſtræ reip. memorijs, tanquam à fontibus remotiſſimis puro ſemper, vitreoq; amne manauit. Res quam diſputo, magis eſt in confeſſo apud omnes, quàm vt quiſquam obijcere poſſit, placere me tibi aſſentando conari. De equo Troiano, fabula fuit, & ſomnium; Tua familia Troianus equus fuit, vnde omni quo prodierunt multò fortiſsimi, multò grauiſsimi Ciues, quorum fideli ſemper opera vſa reſp. fuit; Vt cum in Te intuemur, nunquam non ſollicitum de ſtatu Eccleſiæ tuæ, nunquam non oculis intentis ad commodum Ciuitatis, nos quidem Virtutem tuam admiremur, omnes tamen domeſticam, & veterem tui generis laudem agnoſcamus. Quamquam enim eis bonis abundas in quibus eſt ratio præſtantiſſimæ Nobilitatis, habes tamen quod ſplendori auito imputes, multumq; debes generi ipſe tuo,

quod te domesticis exemplis omnifariam instruxit. Quid enim non tuorum ingredereris vestigijs, aut quid viam formidares à parente maioribusq; tritā, quam nutrix infantulo potuit ostendere? Commemorarem imagines, repeterem Magistratus ex antiquissimis annalibus, producerem paludamenta, & infulas, si mallem aliena laudare quam tua, qui in hoc honore positus, tanquam in bono lumine benè picta tabula, amores Ciuitatis, & exemplar emendatissimum. Hæc secutus sum in ratione consilij mei, quo ne videri debeam temerè fecisse. Timidè huc tamen decurri, & verecundans, cui nisi comiter arrides, & studij obsequijq; mei veniam tribuis, tu me fama fraudi fuisti, quæ Eminentissimi Cardinalis Montij melleam facilitatem prædicare non desinis.

INDEX CAPITVM

Quæ in hoc Operę continentur.

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

Nobi-

LIBER TERTIVS.

probati

LIBER QVARTVS.

Idem

LIBER QVINTVS.

Obiectum

INDEX CAPITVM.

LIBER SEXTVS.

LIBER SEPTIMVS.

quear

FINIS.

ANDREÆ CAMVTII

PHYSICI OLIM CELEBERRIMI.

DE NOBILITATE

LIBER PRIMVS.

Quid Authorem impulerit, vt de Nobilitate tractaret. Caput Primum.

DE nobilitate verba facturus, cùm ab omnibus promiscuè, qui non obiter hac de re, seu per transennam, sed ex professo quam plura scriptis prodiderũt; omnino dissentiam: an liceat mihi tãtorum virorum opiniones refellere, superioribus quidem annis (vt ingenuè fatear) nũdum satis cõstabat: siquidẽ tũc tẽporis hoc ipsũ nesciuerim, nec si planè sciuissem, efferre tamen ausus fuerim, nedum adierere. Suspicabar etenim, ne quis fortè mihi grauẽ superbiæ

notam, aut ingratitudinis labem turpiſſimam inureret, ſitantiſper aut latum (quod dici ſolet) vnguem à placitis ſeu decretis eorum receſſiſſem. Quin etiam in pręſentia dubius aliquãdiu ſubſtiti. Adeo mihi penitus incertum erat, quid agerem. Verum enimuerò tandem operæpretium fore duxi, pro publica ſemel vtilitate ſubire diſcrimen aliquod atque periclitari potius, quam deeſſe mihi ipſi. Id quod præ cęteris haud dubiè venit improbandũ. Mihi ipſi porrò deeſsé, ſi talento quod mihi Deus Optimus Maximus cõtulit, oſcitanter aut per incuriam abuterer: ſiquidem is collato ei dono prorſus abutatur, quotiens prout ratio poſtulat, & exigit, eo non vtitur, quando patia propemodum eſſe cenſeantur, non vti vel abuti. Namque ſicuti natura parens abominatur ociari vel opus deſerere proprium, haud ſecus ac moliri quidpiam incaſſum, aut intra ſinus vacuum admittere proprios; ita nimirum humanus intellectus quanquam ab obnoxijs interitui ſpeciebus, vtcunque cognitione præditis, arbitrij liberi prærogatiua (ſicut & intelligentia) ſecernitur atque vindicatur, quemadmodum & perenni vel incorruptibili propria ſubſtantia: ſic humanus inquam intellectus, cùm ipſe pariter natura dignoſcatur ac ſpecies, exerere vires proprias omnino ſatagit, eum feriari pudet, & contra naturæ communis præſcriptum atque legem operari, merito iure ſibi ipſi perſuadet, quotiens agere detractat ac renuit, quo tempore videlicet agendũ eſſe parens eadem natura dictat. Atqui teneri nos in humanis actionibus æmulari naturam, nemo ſanæ mentis eſt, qui neſciat, quæ quidem natura veteres leges adſeruans incorrupta manet, nec vſquam præſcriptum manſit. Quã ob rẽ amicus Plato, amicus hoc Socrates. Quid ni? Fateor. At magis amica veritas. (inquit Philoſoph⁹) quippe cuius vnius gratia non ſolùm à viris quanlibet eruditis vel amicis diſſentire, verũ etiam vltro mortem oppetere tenemur, modò philoſophi, præcipuè Chriſtiani, modoque (quod grauiorem inuehit calumniam) ſimpliciter homines cognominari velimus aut cupiamus.

Equi-

Equidem vbi palpassem tot classicorum aut horũ iuxta ac eorumdem interpretum sententias (modò sententia dici mereatur opinio falsa) non eminus quidem, sed inter se cominus pariter ac è vestigio pugnantes : vbi pluries animaduertissem emergere singulis pœnè lustris tot opinionum phalanges, quot hydræ capita, quemadmo efferri passim consueuit: ob id animum propterea non despondi, neque fui perterritus, minimè clam subduxi meipsum aut retraxi pedem,neque malis,id est,ambientibus vndique nos difficultatum turbinibus (vt ita dixerim)cedere libuit,quinimò contra(quod scitè Poeta monet) audentior iui, atque hæc prima fuit causa, quæ meipsum impulit, vt de nobilitate quidpiam comminiscerer,quandoquidem à teneris(quod Græci dicunt)vnguiculis ita perpetuò fuerim animatus, vt non nisi paucis obuia,seu plerisque mortalibus inuia decreuerim attetare vel ad gredi. Præterea verebar,ne quemadmodũ sæculis prioribus isthæc nobilitatis inscitia densissimas orbi propemodum vniuerso tenebras offudit, vel in cæteris,quæ nobilitatem consequuntur : cuiusmodi Reipublicæ visitur administratio, quippe cuius primaria portio nobilitas cernitur, ita nimirum posteros futuraque sæcula verisimiliter lancinaret(vt ita loquar) atque trãsuersum ageret. Postremò metuebam atque reuocabam in mentem, quatenus eiusdem impitia nobilitatis grauem Reipublicæ Christianæ potissimùm intulit noxam & exitiale pestilensue quoddam virus inuexit: quando plurimos intueri liceat ampulloso quodam fastu vel (quod est deterius) astu mirifico,nobilitate ementitam, adinstar impostorum callidè merces adulterãtium vbique venditantes, hoc vno prætextu Nerone crudeliores euadere,seu quouis Caligula truculentiores. Hæ profectò causæ non allexerunt quidem aut inuitarunt, imò Camutium planè coegerunt,vt neruosis aliquando(quatenus id rei qua de agitur,natura permittit) ratiocinijs, hoc est seriò de hac ipsa re disquireremus, non autem oscitanter, quod plerique dubio procul (præcipuè Iuris

interpretes Cæsarei) factitarunt, quippequi si non posthabita vel neglecta penitus, certè saltem æstimata minus quàm par sit ratione, solis ferè semper innituntur hominum authoritatibus: quod alioquin hoc in negotio potissimùm fieri nusquam oportuit, in quo sanè vix duos aut certè paulò plures reperias, qui videlicet in omnibus inter se conueniant. Mitto quòd eorum doctiores nonnulli, cùm proprijs rationibus, tùm authoritatibus eorum siue decretis, nempe quibus adstipulātur, parum fidant: scilicet ad quos velut ad Pythium Apollinem aut ad sacram anchoram confugiūt, quippe quibus illud vbique per compita suggestaque decantatum abūdè sufficiat: aphtos epha, hoc est, ipse dixit. Quid igitur aliud (obsecro) quàm quod nuperrimè decreuimus, hoc in negocio tam ancipiti decernendum aut deliberādum fuerat? Huc accedit, quod in alijs peritijs quanquam nōnisi fabri (quod est in adagio) fabrilia tractant. Puta Medici quæstiones medicas: Iurisperiti ciuiles actiones: Philosophi naturalia problemata: quemadmodū Theologi quoque diuina rimātur mysteria, quod quidem singulis artibus atque sciētijs ad vnā omnibus intelligi velim: quamuis inquam vnaquæque peritia proprias tantummodò quæstiones ad se pertinere putet, idque suo iure quodam è suis deductas apposité principijs, à quibus ea traxerit originem, ac (vt ita dicam) effluxerit: veruntamen vna disquisitio nobilitatis ad omnes, idque omnium consensu tacito spectare videatur. Nam omne genus artificum indiscriminatim de nobilitate colloquia miscet, & elato nonnunquam supercilio contendit. Nec id mirum cuiquam videri debeat, quando vel rudia quæuis inanimata corpora, cognitionis quanlibet omnis expertia, tenuem ac rudem in scriptis velut adumbratam siue delineatam nobilitatis imaginem idolumue contineant. Quapropter veritatem expiscaturus tantæ rei, scilicet in hoc vasto difficultatum pelago, quid agam? Sanè non ad veridicum (vt ita dixerim) aliquod seu participem veritatis, quin potius ad ipsam-

met

met veritatem, nempe Christum Dominum generis humani redemptorem confugio precorque supplex, ea maiori qua possum animi contentione, quibusque mihi licet atque conceditur animi viribus, vt imbecillæ menti meæ, quantumuis natura suapte luminis quidem participe, sed tamen interuentu siue culpa commissorum delictorum obscuratæ, quæ caliginosas ei tenebras offuderunt: obtestor inquam anxiè non illuminatum quidpiam, sed seipsummet propria natura lumen, qui de lumine pariter interuentu diuinæ generationis illius: non processit quidem, aut procedat propriè, sed pressius loquendo simul ac accuratius in æternum ab eo procedit semper, cui præsentia sunt omnia: precor inquam rursus illud ipsum propria natura lumen, nempe Iesum, vt me luminis tanti, magis atque magis participem indies efficiat, quò res inuolutas, & implicatas explicare, dein abdita simul, & occluta (quatenus infirmitas humana ferre potest) reserare queam.

Nobilitatis species, & eius originem ob oculos author constituit vtramque refellit opinionem existimantium eam ab opinione vulgi dependere.

CAPVT II.

PHilosophum imitati primò referemus aliorum opiniones & eas adam vssim discutiemus, dein ijsdem infirmatis è medioque sublatis, nos ipsos ad rei veritatẽ indagandam accingemus principio hinc desumpto. Quanquam duplicem quamplures sibi ipsis confingunt nobilitatem, nempe ciuilem aliam, aliam verò naturalem, nihilominus naturalem minimè veram exi-

ſtimant nobilitatem, ſed homines eiuſmodi natura ſolertes & ad virtutum genus omne propenſos (quæ nobilitas perhibetur eſſe naturalis) non reuera nobiles, ſed per Metaphoram ſimilitudinemue tales adpellitant: cuius quidem rei manifeſtum dignoſcitur argumentũ, quòd id genus homines minimè patiantur frui priuilegijs nobilium, nec inter nobiles adnumerari æquo animo ferant. Huic opinioni videntur adſtipulari Iuriſconſulti, quippe quod veriſimiliter ab Ariſtotele deſumptum eſt libro ſecundo Rhetoricorum apud Theodecten capite decimo quinto, vbi ait nobilitatem haud quaquam cenſeri iuris eſſe naturalis, ſed inter bona fortunæ potius connumerari. Idem ex eodẽ Ariſtotele colligitur apud Laertium in vita illius. Porro ciuilem hanc nobilitatem, nempe quam omnes vnam eſſe veram nobilitatem & autumant & mordicus adſeuerant, hi qui ſaniorem habent mentem, à virtute conſitentur eam & à præclaris geſtis originem ducere. Quidam diuitias parere nobilitatem exiſtimant & eas eidem anteponunt. Nonnulli diuitias antiquas tantummodò nobilitatem elargiri dijudicant. Aliam ad inuenere Iuriſconſulti ciuilis nobilitatis (vt ita dixerim) ſcaturiginem, ſcilicet quæ pendet ab authoritate principis. At omnes hac in re conſentiunt, quòd ciuilis iſthęc nobilitas ex longa tẽporis intercapedine ſuſcipiat incrementum. Adeò nobilitas eo maior, quò fuerit antiquior. Porro ciuilem hanc nobilitatem à principis liberalitate dependentem & emanantem, nempe quam Iuriſconſulti veram propriè nobilitatẽ eſſe contendunt, Barrholus definiuit eſſe qualitatem illatam per eum, qui principatum tenet, qua quis vltra plebeos honeſtos acceptus oſtenditur. Hanc eandem idem author inſuper Polyticam adpellat. Non deſunt, qui ciuilem ſcaturire vel effluere nobilitatem à communi hominum quanlibet vulgarium opinione contendant, in quam (quod mihi grandem peperit admirationem) ſententiam Iuriſperiti, Doctores incautè quamplures vltro deſcendunt, dicẽtes conſuetudinem

atque

atque ſtatutum nobilitare: ſiquidem is impendiò nobilis verè ſit (vt ipſi rentur) qui videlicet opinione vulgi nobilis eſt, at planè dignitas ſit (ijſdem adſertoribus) eaque maior aut minor, quæ vulgò talis exiſtimatur, quãdo nobilitas probetur per famam atque communem hominum exiſtimationem. At vt à poſtremis exordiar, ſi vulgaris opinio redderet aliquem nobilem, conſequetur latrones & homicidas ex ipſis furtis & homicidijs poſſe nobilitatem ſibi ipſis comparare. Probatur illatio, quia vulgus eum pluris æſtimat, in tota republica, qui nocere plus poteſt aut prodeſſe ſimul ac eum nobilem adpellat & reuera talem arbitratur, modò per aliquot annos in ea potentia permanſerit. Quod enim (obſecro) vilius argumentum aut infirmius in medium adduci poterat pro ciuili fulcienda nobilitate, quam ab opinione vulgari petitum atque deductum?

Nec ſtatutum, neque conſuetudinem neque diuitias malè partas poſſe quenquam nobilitare. Caput III.

ATqui conſuetudinem atque ſtatutum impartiri nobilitatem longè maiorem ſortiri videatur euidentiam, quando ſtatutum vim habeat legis, imò lex quædam ſit, quamuis à populo vel principe non fuerit promulgata. Porrò nos hic cum agamus philoſophũ, omnes indiſcriminatim in ius non imperatorium, ſed reginæ rationis vocamus in proprio ſolio pro tribunali reſidentis, atque hunc in modum ratiocinatnur. Quicũque nobilitatur, aut virtute propria clarus eſt, aut intelligentia vel moribus obſcurus dignoſcitur. Si propria virtute fulget, iam primùm ſuapte ſponte ſibi, ipſi conquirit aliquod ſaltem nobilitatis initium, atque ita per conſequens non adquirit à ſtatuto, quod prius in ſeipſo poſſidebat, ſed à ſtatuto potius declaratur eſſe talis, nem-

pe qualis ante fuerat, scilicet vt innotescat omnibus, quod paucis antea forsitan cognitum fuerat. Quemadmodum etenim iuxta vulgatissimum vbique decantatū axioma: nemo dat quod non habet, ita mediusfidius nemo recipit, quod habet & in seipso possidet. Sin, autem virtute, bonis moribus, simul ac diuitijs careat, (hoc tamen supposito, sed tamen non dato, quòd diuitiæ nobilitent) sanè tùm quempiam indignum à statuto nobilitari naturalis ratio prorsus reclamat, siquidem leges municipales siue statuta priuatarum vrbium minimè possideant, authoritatem regibus atque principibus æqualē. Porrò si municipales leges nobilitatem impertiri nequeūt, multò minus cōsuetudines, vtpote dignitate pariter ac authoritate statutis inferiores: siquidē statuta leges quædā sint, cōsuetudines verò legis vim solummodò quādā obtineāt, leges autē reuera minimè sint, sed earū vicariæ censeantur. Atqui diuitijs parari nobilitatem, quod alioquin authores multi non solùm rentur, verum etiā obstinatè cōtēdūt, id vsq; adeò rationi secūdū naturā benè dispositæ pariter ac in rebus exercitatæ difficilibus obluctatur, vt vix mereatur eruditorum oppugnationem. Veruntamen eiusmodi opinio quoniam in vulgarium mentibus pariter ac doctorum aliquot celebrium iandiù radices egit altas, idque adeò, vt statim diuites indiscriminatim omnes adpellent nobiles ac reuera tales arbitrentur, idcirco nimirum vt eiusmodi sentes ex hominum animis euellamus pariter ac virus, quod tam latè iandiu serpsit, vt insuper eruditos quamplures adfecerit contagio: vt inquam hanc pestem si non ab omnibus, ab eruditorum cætu saltem arceamus, ne serpat latius vnaque cæteros inficiat, in arenam in præsenti descendemus atque cum eis strenuè congrediemur hunc in modum. Diuitiæ vel malè partæ sunt aut benè. Si malè, vituperio digni sunt, qui videlicet eas turpiter coadceruarunt. Quin etiam id vituperij transit in posteros, quod ita probatur. Gloria parentum, omniū consensu cohonestat filios, ergo scelera per

con-

contrarium, eorundem natos vituperant probroque afficiunt. Proinde diuitias malè partas & ei qui congessit eas & posteris in quos trāsit, officere plurimùm, nedum cohonestare vel nobilitare satis superque probatum arbitror. Hinc Salomon inquit: substantia festinata dissipabitur, quod quidem omnes annis penè singulis intuentur. Porrò fieri posse non inficiamur, vt quispiam breui tempore diues euadat, putà si princeps liberalissimè donauerit aut opima quæpiam ei accesserit hæreditas. Verum enimuerò Salomō (vt ego quidem arbitror) ita loquutus est, quia substantia breui temporis intercapedine conquisita plerunque perperam adgregari consueuit, aut fortassis de hisce diuitijs verba fecit, quæ non alio modo, quàm solertia, diligentia, siue laboribus nostris putà mercatura vel alijs id genus comparantur: Siquidem mercatura vel artificijs, ritè tutaque conscientia, breui spatio temporis magnæ parari diuitiæ nequeant.

Diuitias vtcunque benè partas haud posse quenquam nobilitare. Caput IV.

REdeamus ad diuerdiculum. Diuitias malè partas haud nobilitare quenquam ex superioribus liquidò videtur. Illud in præsentiarum optimo iure venit perpendendum, an diuitijs benè partis nobilitas adquiri possit. Namque quod bonum est, simul ac benè fit, non solùm vtilitatem adferre debet, verùm etiam cohonestare simul ac honorem augere, sequitur ergo diuitias benè partas nobilitare, rationi nusquam reluctari: siquidem nobilitet quidquid honorem parit, præcipuè non exiguum sed effatu dignum, atque diuitias grandes benè partas grandem pariter honorem condonare vel vniuersus penè fateatur orbis ac attestetur. Adhæc sicut exiguum honorem arti-

artificibus vilibus, ita grandem non nisi nobilibus conuenire iādiu receptum est pro confessoque supponitur. Atqui res longè aliter habet, ac prima fronte videatur. Verisimilia quidem fuerint adducta nuper in medium argumenta, quippe quibus incauti vel exercitati mediocriter aut in quæstionibus difficilimis altioribusque disciplinis nundum versati, facilè cùm seduci tùm etiam velut præstigijs quibusdam irretiri phascinarique possint. Quò fit vt non iniuria plerique scribentes hallucinati fuerint hoc in negotio tam difficili. Si quidem non meis viribus fidens sed innixus diuinæ munificentiæ tritas eiusmodi sic adorior & explico. Quicũque benè quidpiam agit, aut in rebus vilibus exercet animum vel in sublimibus & (vt Aristotelico verbo semel vtar) honorabilibus. Exempli gratia, qui sues alit & pecora, qui ligna gestat humeris, qui curru vehit fimum (dabo fætidum exemplum clarioris doctrinæ gratia) qui latrinas purgat, is dubio procul benè operatur sicut & alij, quos nuper hic recensuimus, nempe quia proprijs laboribus honestè sibi victum atque vestitum conquirunt, quod quidem ita probatur. Bonum & honestum ad inuicem recurrant mutuoque reciprocant. Nam omne bonum honestum & quidquid honestum est, continuò bonum agnoscitur. Proinde quælibet ars vtilitati generis humani prospiciens quamlibet vilis, & bona cernitur & honesta. Hinc viles artifices & benè agunt & benè operantur ac honestè. Veruntamen nemo sane mentis artes eiusmodi viles dixerit honorabiles, quādoquidē honor hominibus, non alia ratione quàm propter eximias res atque sublimes tribui soleat ac merito debeat. Itaque quod eruditis eiusmodi scriptoribus p clam imposuit, id fuit nimirum, quod inter honorem & laudem nullum discrimen agnouerint: siquidem arbitrati fuerint (meo quidē iudicio) laude dignos, esse pariter honore dignos, & honorem idem esse prorsus, quod est ipsa laus. At erratum est grauiter in hac nostra causa, quando plurimũ intersit inter honorem & laudem. Nanque pueri laudātur

tur quidem si parentibus atque præceptoribus obsequã-tur,& pareant, neque tamen ob id honorantur. Honor enim maior laude censetur. Vnde laudantur omnes vtcumque viles artifices si ritè, diligenter, & prout conuenit,suum opus conficiant. Veruntamen haud quaquam honorantur,nempe quoniam circa facilia versantur, subiectaque siue materias tractant ignobiles. Item deliquerunt, quoniam id quod est per accidens ab eo quod est per se tale,nequaquam distinxerunt. Vt enim donemus diuitias honorem augere, nobilitatemque parare, ita profectò non infitiamur id non per se, quinimò per accidens ab eis proficisci vel emanare, scilicet haud secus ac dicere consueuimus potam frigidam excalefacere,quo modo nimirum Galenus adseruit, aquam eandẽ frigidam in ventre deglutitam bilescere. Quam ob rem adsumpto ratiocinij nuper in medium adducti respondentes,dicimus omne bonum quantuncunque ritè peragatur, nihilo tamen fecius haud quaquam honorem adferre nec hominem honorabilem (vt ita loquar) reddere, sed eum aliqua dignum laude tantum efficere. Hinc viles artes quoniam suapte natura non sunt honorabiles (vt Aristotelicè dixerim) hominem honorabilem, hoc est,honore dignum efficere nequeũt. Item negamus mediocres diuitias elargiri mediocrem honorem. Itidẽ ob eandem rationem haud admittimus magnas diuitias condonare nisi per accidens magnum honorem aut exiguum,quo modo videlicet aqua calida refrigerat, & frigida calefacit. Porro causa negationis isthæc fuerit, quia quicunque diuitias adquirit, vel peritiarum id honorabilium interuentu consequitur aut vilium. Si vilium reuera nunquam honorem sibi ipsi comparuerit, quamuis laudem promereatur, etiam si Græsi vel Alexandri magni diuitias iustè conquisiuerit. Sin autem honorabilium ope peritiarum easdem parauerit, sanè tùm honor consequitur non ratione diuitiarum quamlibet grandium ac iustè conquisitarum, quinimò propter nobiles quas ille peritias exercuit, atque ita diui-

tię

tiæ grandes non per se nec primariè, quin potius per accidens ac secundariò nobilitatem impartiuntur. At inquies. Quid si quispiam diuitias minimè proprijs laboribus propriaque solertia comparauerit, sed easdem ex alicuius donatione vel sorte seu testamento fuerit consequutus, nunquid hæ diuitiæ si grandes fuerint, eum non cohonestabunt, & ex ignobili nobilem efficient? Respondemus hominem eiusmodi si primò fuerit ignobilis & obscurus, harum opera diuitiarum haud nobilem euasurum, ni fortassis earundem subsidio tales promat operationes præclaraque gesta faciat, quæ videlicet eundem meritò nobilitare queant.

Authoris argumenta, quibus in fauorem Iurisconsultorum probatur principem ex obscuro posse quempiam efficere nobilem.

CAPVT V.

Nunc tempestiuum esse iudicamus, vt de ciuili nobilitate disquiramus à principibus collata, nempe quam Bartholus polyticam adpellat. Hanc Doctores, Iurisperiti propriè vtriusque nobilitatem nuncupari non solùm simpliciter autumant, verum id insuper mordicus adseuerant. In fauorem opinionis huiusmodi talia nobis ipsis contingimus argumenta. Cætus Doctorum in Academijs publicis aliquem nobilitare potest, & ex obscuro nobilem efficere, qui nihilosecius authoritate principi cedit, idque (quod in Adagio Græco passim effertur) plus quàm disdiapason, ergo multò magis princeps id præstare queat. Adsumptum ratiocinij nostri fulcitur hoc pacto. Docto-

ctores iuxta decisionem Cæsarei iuris interpretum nobiles censentur, & obscurus vbi semel in Doctorem euaserit, efficitur nobilis. Atqui publicè passim Academiæ multos ignobiles creant Doctores, ergo nobilitant eosdem. Item priuati nobiles ob authoritatem eis à summo principe collatam Doctores creare possunt vel ignobiles, ac ita per consequens ex ignobilibus efficere nobiles, ergo multò magis princeps idque iuxta regulam Topicam: propter quod vnumquodque tale & illud magis. Itidem Episcopi creant sacerdotes, ergo nobilitant: siquidem iuxta iurisperitorum omnium sententiam clericalis vel sacerdotalis ordo nobilitet, & Episcopus authoritate sua non absolutè quidem aut simpliciter, sed certo quodam modo Cæsare vel Imperatore sit inferior, ergo multò magis Cæsar nobilitare poterit. Quanquam enim Episcopus Christum Dominum refert, quippe qui nobilissimus omnium hominum ob id prima statim fronte visitur, nihilominus summi principes præcipuè Cæsar, ipsi quoque Deum in terris representant, & eiusdem quodammodo vicarij censentur. Veruntamen illud accedit Cæsareæ dignitati, quòd nimirum eius iurisdictio latius multò pateat ac Episcopi priuati. Quapropter beatus Ignatius Martyr in suis Epistolis inquit: si fuerit in vrbe (scilicet Episcopi propria vt ego quidem interpretor) primus locus debatur Episcopo, secundus Cęsari. Neque enim sicco pede (quod aiunt) prætereunda sunt isthæc verba: Si fuerit in vrbe: Siquidem ita loquendo Sanctus ille Martyr tacite supponat vel pro confesso, quòd extra vrbem videlicet Episcopi propriam, Cæsari non autem Episcopo primus iure locus debeatur. Proinde Summus Pontifex alijs omnibus indiscriminatim Episcopis anteire consueuit, & eisdem imperare, propterea quòd eiusdē iurisdictio longè lateque pateat, quia præter id quòd vrbis, scilicet Romæ dignoscitur Episcopus, insuper orbis vniuersi tanquam Patri successor, qui princeps Apostolorum fuit, caput est, & vniuersalis omnium

Epi-

Episcopus. Ad pensum redeo Cæsar modo quodã Episcopo ione iurisdictionis. nobilior esse videt, ergo si Episcopos potest nobilitare, quemadmodũ haud dubiè potest, quia Sacerdotes creat, multò magis nobilitare poterit Imperator. Accedit quòd istud opus videlicet obscuros laicos (secus de Clericis) nobilitare, potius ad principem sæcularem pertinere videatur quàm ad Episcopum. Itẽ quemadmodum summus Pontifex conferre potest spirituales dignitates diuersorum generum, ita Reges nimirum præsertim Imperator elargiri poterunt sæculares dignitates diuersarum specierum: Siquidem nobilitatis varias ad inueniri species abundè constet. Sicut enim sacerdos (exempli gratia) simplex ab Episcopo distinguitur & à Patriarcha, sic mehercle simplex nobilis à Comite vel à Marchione discernitur. Itidem si summus princeps haud posset varias condonare nobilitatis species, destruerentur ordines polytici. Quod sequitur est absurdum, igitur antecedens abolendum. Illatio probatur, quoniam in Republica necessum est adesse patricios atque plebeios. Deinde quemadmodum in plebe diuersi necessario gradus dignoscuntur, scilicet quotiens ire iubentur obuiam principi vel ob aliam similem causam, secundum ordinem procedere coguntur, ita profectò nobiles, varios necessariò sortiri gradus ob eandem causam omnino conuenit & expedit. Item quotiens vna cõgregantur quemadmodum in comitijs accidere fierique consueuit, in quibus digniores inter plebeos successiuè digniorem occupant locum & inferiores dignioribus vltro cedunt, ita nimirum in cœtu nobilium hoc idem fieri debere naturalis ratio dictat & planè suadet. Itidẽ sicuti plebs sortita est à principibus aut ab alijs diuersas graduum distinctiones & ordines, ità nimirum ipsa nobilitas illud ipsum ab ijsdem principibus aut alijs adquisiuit, scilicet vt euitetur in vniuersa republica confusio simul ac ordo seruetur: Siquidem adinueniri perfectissimum ordinem in hyerarchia cælesti, quippe cuius hæ nostræ terrestres reipublicę simulacra visuntur & idola,

Dio-

Dionisius Areopagita summus ille Theologus atq, Philosophus adcuratè pariter ad fabrè nos edocuerit, cum etiam in orto vel inter Dæmones alij præsunt, alij seruiunt, ac ita continuata serie gradus ordinesque disponi patres Orthodoxi censuerunt, alioquin Sathanæ regnũ infame vel tetrum nusquam in æternum perdurare posset. Idipsum ex Euangelio planè colligitur, nempe quando seruator noster phariseis obijcientibus ei quòd in principe Dæmoniorum eijceret Dæmonia, suum obiectum refellit hunc in modum. Si Dæmon expelleret Dæmonem vtique regnum eorum necessariò diuideretur, atque ita minimè foret æternum. At Orci regnum æternum est, igitur non diuisum ac ita per consequens nec inordinatum, quandoquidem ordo necessariò requiratur ad æternitatis perseuerantiam. Itaque medius fidius hæc ratiocinia fuerint, quæ videlicet ad cõmuniendam lægislatorum & eorundem interpretum opinionẽ adinuenire vel expiscari potuimus: Siquidem ipsi multotiens præsertim hoc in negotio meris innitantur authoritatibus, philosophi verò rationibus si non demonstrantibus, quod in humanis actionibus mehercle fieri nequit, verisimilibus certè saltem adhærent, scilicet vt intellectus adquiescat, qui nimirum absque ratione non quiescit.

Ratiocinia superioris capitis conuelluntur. Caput VI.

Atqui ratiocinia quæ nuper in mediũ adduximus, etsi probabilia sunt atque verisimilia, nihilominùs ea nequaquam concludere quod legislatores opinãtur, in præsenti commonstrabimus. Primum argumentum eiusmodi fuit. Cætus doctorum in Academijs publicis, & quæ sequuntur. Respondemus Academias publicas authoritate qua funguntur, quotiens aliquem creant. Doctorem, haud quaquam ei qualitatem aliquã im-

impertiri, nempe qua prius ille caruerit, ante quàm in Doctorem euaderet, sed ad probare solummodò simul ac perhiberi luculentum authoritate sua testimonium eruditionis eiusdem, qui pronunciatur Doctor. Exempli gratia si princeps mittat aliquem obscurum vtcunque vel ignobilem, putà famulum à pedibus ad alium principem aut inferiorem, idque cum litteris (vt vulgò dicunt) credentialibus scilicet in quibus attestetur fidéque faciat, quatenus ei credere debeat, quidquid pronunciauerit, quando fortassis committere litteris non audeat secretum, quod animo concepit eique reuelare studeat, quod belli tempore nonnunquam accidere consueuit: hoc casu mediusfidius famulo illo prius non possideret, quinimò tantùm illi significat, hunc esse ministrum fidelem, cui nimirum is ad quem mittitur impendio credere possit ac iure debeat. Ad hunc modum Cætus ille Doctorum quoties Doctorem creat, in eo nulla qualitas imprimitur hac dignitate collata, quam ille prius non habuerit, sed abundè solummodò fidem facit omnibusque testatum relinquit, hunc examinatum fuisse diligenter, & inuentũ esse talem, qui meritò munus exercere queat illius peritię seu professionis ac verè debeat, quod quidẽ amplum eorum, qui præcellere passim ab omnibus eruditione creduntur, honorem ei qui Doctor pronunciatur, in tota republica fauoremque conciliat. Verũ enimuerò nobilitas eiusmodi, nempe quam non Doctoratus (vt vulgi more verba faciam) sed ipsa virtus peperit, quam cætus ille doctorum non effecit quidem, sed quod is eiusmodi sit, qualis est reuera, tantummodò comprobauerit, vt legittimè pariter, & absque controuersia quodcunque munus publicè seu priuatim, eiusdem peritiæ quam profitetur, exercere queat. Nobilitas inquã ea quam vna virtus peperit. Cætus verò Doctorum solùm testimonio comprobauit, nec ab Academijs illis nec à principe dependet, multoque minus ab eo priuato nobili, cui concessa fuit authoritas insignia doctoratus (vt aiunt) conferendi, quin potius ab vna virtute profici-

sci-

ſcitur, & huiuſmodi nobilitatem vni virtuti referre tenemur acceptam, etſi nonnihil eis debemus, qui quòd virtus ipſa liberaliter contulit, ſuo teſtimonio benignè fulciunt, ſcilicet vt alijs quibus hoc ipſum incognitum eſt innoteſcat. Quanquam ij qui virtutis incognitæ teſtimonium perhibent, & eam interpoſita propria fide pariter modo quodam illuſtrant, id ipſum agere ſeu præſtare tenentur, ni malint cùm eſſe tùm etiam videri bonis & eruditis iniurij: Siquidem infames haberentur optimo iure, ſi hoc ipſum exequi detrectarent, haud ſecus ac is meritò venit puniendus, qui videlicet in iacturam atque detrimentum alicuius veritatem cognitam data opera ſupprimit, callideque ſubticet.

In refellendis iiſdem argumentis proſequitur. Caput VII.

ALia porro, quæ ſequuntur argumenta de ſummis Pontificibus, & Epiſcopis, longè maiorem habent difficultatem. Nam Epiſcopi quotieſcunque dignitates conferunt Eccleſiaſticas, putà quatuor minores ordines, & alios qui deinde ſequuntur maiores præcipuè ſacerdotium, non modò ſimplicem verbotenus elargiūtur authoritatem, verum etiam in anima diuinum imprimunt characterem, quippe quo ſtupenda promuntur opera. Nam infideles ac perfidi paſſim hæretici eludere nequeant. hoc opus admirabile, videlicet quotieſcunq; ſpiritus immundos, è corporibus obſeſſorum depellunt, quod quidem experientia teſte nec ipſi præſtare poſſunt nec audent Nec fuga quorundam calidè philoſophantium hic locum habere poteſt, nempe quòd nō à dæmonibus obſideantur, ſed ab humore vexentur melancholico, hic inquam ea fuga locū habere nequeat, quādo talia pronūciēt, quæ multoties omniū eruditorū intelligētiā lōgo ſuperāt interuallo. In admirabili Sacramento altaris vtiq; poſſint prima frōte ſaltē blacterare, vel inſuirè

B quā-

quamuis adparenter (vt ita dixerim) siue probabiliter ineptias aliquas effutire, dein possint fortassis (temerè tamen & obstinate) miracula quæ videlicet in Eucharistia sacratissima multoties contigerunt irridere tanquã ementita falsoque literarum mandata monumentis sine concredita. Verùm quod vniuersi catholici solùm Christicolæ non semel atque iterũ imò semper in seipsis experiuntur, nempe quietem animi grandem, quippe quam ab adsumptione corporis, & sanguinis Domini non imaginantur quidem aut sibi ipsis confingunt, quinimò planè degustant animo lætitiam ineffabilem, qui nimirum mentis gustus anteire consueuit omnibus sensibus idque seclusa quauis comparatione. Namque si talis effectus aliquando non autem semper accideret, si tãtùm in certo quodam anni tempore vel aeris constitutione palàm notum euaderet, si tantùm in aliqua corporis temperie conspiceretur, si denique id ab hominum callida versutaque persuasione proficisceretur atque penderet, mehercle fortassis ambigere quis posset aliquisuè suspicioni daretur locus, ne similes effectus in aliam causam reijci quam in diuinitatem referrique possint. At quum in anni quocunque tempore, qualibet hora, quouis momento temporis, in qualibet hominum temperatura, deinceps in quacunque natione totius orbis, ad hęc in quouis omnium statu, tãdem inter inimicos, qui non modò contrarium persuadent, sed vltro terrorem incutiunt infliguntque vulnera, in sententiam mutaueris (quod quidem mætu quidam ac terrore perculsi factitant:quum inquum in omnibus promiscuè casibus id euenire perpetuò conspicias, qui (dic sodes) in aliam causam hunc admirabilem effectum reieceris atque retuleris quàm in vnam diuinitatem? Obstrepere desinant igitur lancinareque desistant matrem (ex qua nimirum orti sunt) Ecclesiam Romanam vtpote catholicam, ingrati filij. Sed iam tempus est, vt ad id redeamus, vnde nuper oratio nostra fluxerat atque progrediamur vlterius. Quemadmodum Romanus Pontifex idem-

idemque summus vniuersalis Ecclesiæ totius orbis pastor quotiens creat Episcopos & alios Ecclesiæ supremos ordines, iisdem vel eodem temporis momento, nempe quo consecrat, diuinum in anima characterem imprimit, ita nimirum Episcopi quando sacerdotium inferioresque cæteras interuentu manuum impositionis consuetaque verborum illorum pronuntiatione dignitates impartiuntur, eodem instanti dubio procul non simplicem vocis verborumq; sonitum, sed vnà diuinam qualitatem infundunt, quippe quæ sic figitur adhæretque mentibus, vt aboleri vel inde diuelli nequeat amplius, scilicet quandiu degit in humanis superstesque visitur. Atqui non perinde conspicitur hoc idem in secularium collatione dignitatum. Vt enim donemus Regem (verbi gratia) siue Cæsarem posse quempiam declarare nobilem idque (prout ipse iudicauerit expedire) magis aut minus, quando maiores aut minores gradus nobilitatis condonare queat, puta quotiens aliquem vult agnosci comitem, Marchionem, aut Ducem: vt inquam donemus magnum principem præcipuè summum, posse quempiam declarare nobilem idque magis (quod nuperrimè dictum est) aut minus, ita profectò nō imus inficias nullam penitus eo tempore quo nobilitatis (quicunque fuerit ille) gradus confertur, in eum qualitatem transfundi seu transmeare. Namque Rex aut Cæsar in collatione dignitatum haud propriè nobilem efficit, quin potius eundem prius virtute propria talem existentem, sua benignitate simul, & iustitia sic exigente (quippe cuius ipse magnus princeps præcipuè tenetur esse vindex atque propugnator acerrimus) non efficit quidem, sed eum nobilem simpliciter esse vel Comitem aut Marchionē declarat, pronuntiat, atque palam attestatur, haud secus ac publicæ Doctorum Academiæ Doctores non verè faciunt, sed eos propria virtute tales existentes publicè denuntiant, fauore suo commendant, & authoritate propria. Adeò temerè quamplures vltro seipsos in speciosam illustremque nobilitatem intruderent atque se-

des nobilibus deputatas per vim occuparent, ordoq; totius Reipublicæ periclitaretur, imò fortassis naufragiũ faceret, in magnorum principum vis intercederet, quæ ferocitatem inprimis læta fronte leniret, iracundiam blando sermone demulceret, astum siue vafritiem prudentia compesceret, superbiam authoritate cohiberet oculis iratis (vt ita dixerim) vt trucibus insolentiam supprimeret, minis temeritatem retunderet, crudelitatem gladio pœnisque pro qualitate scelerum vlcisceretur, denique velut excrementa quædam inutilia, vel putrida membra rescinderet, id est, incurabiles homines, atque deploratos procul arceret, aut enecaret, atq; ita longè Reipublicæ pestem, lateque profligaret, bonos verò tanquam vtiles extolleret pariter, ac suo fauore communiret. Itaque iam ex superioribus constare arbitror, qui Prælati Supremi vere dignitates conferant. Principes verò sæculares minimè, sed eos tantummodo, qui suapte virtute tales existunt, (modo ritè suo munere fungi velint, ac Principes veri sint) cum publicè commendant tùm authoritate sua fulciunt, palàm esse tales attestantur, eosdem qua si præconis voce, dignos honore prædicant, & à cæteris honorari sic volunt, vt id insuper modo quodam, hoc publico testimonio iubeant.

Supremos Principes nempe Cæsarem atq; Reges omnes infusæ qualitatis diuinæ fieri participes. CAP. VIII.

Atqui de Regibus longè alia ratio est. Namq; licet inferiores aliæ sæculares dignitates diuinę cuiuspiam qualitatis minimè participes dijudicentur, quemadmodum superiores comprobarunt argumentationes, attamen cùm sacra pagina tùm effectus admirabiles diuinam in Reges qualitatem trãsfundi manifestò declarant.

rant. Sicut enim in dignitatibus Ecclesiasticis quotiens à prælato conferuntur, diuersis Ecclesia sancta cæremonijs vtitur, quo temporis momento spiritus illabi diuinus vnaque diuina qualitas imprimi verè creditur, ita nimirum in conferenda dignitate regia, sacram olei sancti inunctionem adhibent certaque verba quædam atque cæremonias adijciunt, quo tempore gratia quædam seu diuina qualitas desursum illabitur, & eidem illico qui Rex creatur (quod omnes Catholici passim autumant imprimitur. At ob infidelium imperitiam multoque magis propter hæreticorum prauitatem hoc ipsum sẽsibus dilucidè subijciemus dijudicandum. Quũ adhuc infans Ecclesia Catholica foret apostolorum tempore, eiusdem Ecclesiæ nati quoniam solidiorem cibum conficere vel coquere non poterant, optimo iure lac poscebant, vt alerentur. Hinc Apostoli multò plura quàm Christus Dominus ipse miracula deprõpserũt. Vbi verò iam adoleuit, & in virum eadem euasit Ecclesia solidoque cibo deinceps vesci potuit, lacte seposito velut infantium alimento cessarunt miracula: Siquidem eum qui tot sacris hystorijs ac tot patrum orthodoxorũ authoritatibus omnium penè totius orbis nationum authoritatem abrogat eisque fidem non adhibet. eum inquam neque miraculis euidentibus fidem præstaturum naturalis ratio suadet, & huic adsertioni libenter experientia subscribit. Quanquam enim nostra tẽpestate postquam adoleuit Ecclesia, miraculis haud egemus amplius, veruntamen Christus Dominus ineffabili qua præditus est clementia, quum ipse non amoris aut charitatis particeps enuntiari queat, imò mera nudaque charitas ipsa sit, ac ipsemet verus amor, Eccclesiam nempe sponsam eius dilectam orbari miraculis penitus minimè passus est. Quamuis enim Ecclesiæ nati non sint amplius infantes, nihilominus ægri passim adeò dignoscũtur & imbecilles, vt ad instar ethica febre laborantium lac ipsum denuo postulent, & eodem indigeant. Proinde miraculis etiamnum Ecclesia sal-

rem aliquibus fruitur, scilicet vt languidi vel imbecilliores nonnulli subsidijs huiusmodi contineãtur in officio, scilicet vt si patiantur ijdem temerè seipsos ab ostinatis hæreticis (vt crebrò fit) seduci, nullam deinceps habeant excusationem, vbi coram tribunali Dei semel constituti fuerint. At quorsum hæc? inquies. Nostra tempestate (ni fortassis data opera cæcutire velimus ac diabolico palpo nos ipsos delinire) singulis annis intuemur. Regio dignitati videlicet in Gallijs id munus esse collatum, vt præmisso ieiunio præmissis orationibus, deinde præcedẽtibus Ecclesiæ Sacramentis publicæ singulis conferat sanitatem, qui strumis in gutture quibusdam siue scrofulis (vt aiunt) conflictantur, quum alioquin id morbi genus vbi semel inueteratum fuerit, præsidia medicorum nequaquam admittat atque curationem omnem subterfugiat. Audias aliud exemplum haud minus celebre. Reges olim Angliæ statuto quodam anni tẽpore scilicet hisce præmissis quæ nuperrimè diximus publicè benedicebant anulos, nempe quorum opera siue subsidio leuabuntur atque præseruabuntur, quicunque conuulsione corripi seu conflictari consueuerunt. At vbi semel ab Ecclesia catholica defecit Anglia nempe Rex, confestim periere dotes huiusmodi Regum Angliæ diuinitus eis collatæ, mox eædem peritur ę vel in Regibus Francorũ, si videlicet aliquando (quod absit) seipsos ab eadem Ecclesia catholica subducerent, & eidem obstinatè simul ac elato animo terga verterent. Adeò Deus optimus maximus in paucis quibusdam Regibus faciendorum adhuc miraculorum vim atque facultatem adseruare voluit, quod alioquin in cæteris promiscuè mortalibus haud perinde commonstrauit, scilicet vt hoc vno publico velut instrumento Cætus Christicolarum sacram esse dignitatem Regiam qualitatemque diuinitus impressam obtinere palàm intelligeret proconfessoque subijceret.

Po-

Postrema ratiocinia radicitus euelluntur. CAP. IX.

SVperest vt postrema duo ratiocinia breuiter expugnamus. Primum erat tale, quemadmodum Summus Pontifex habet potestatem conferendi spirituales dignitates diuersorum generum, ita nimirum Cęsar atque Reges omnes poterunt elargiri sęculares atq; ciuiles diuersorum generum, siue specierum dignitates. Huic obiecto nos obuiam euntes dicimus, argumentum à similitudine desumptum rarò concludere, seu probare quidpiam. Vt enim donemus vtrinque notam euadere collatam ijs dignitatem, quibus ea confertur, publicæq; Cæremonijs illis testatam esse, scilicet vt omnes ad vnū in tota Republica percipiāt, & agnoscant, quod eos ante fugiebat, ac latebat, ita me hercle nō inficiamur summos Pręlatos pręter id, qualitatem insuper, siue charactere inducere vel (vt ita dixerim) inserere, quod alioquin principibus euenire nusquam consueuit, quando similem sortiti minimè fuerint ab optimo Deo potestatem. Vnde soli Reges, & Imperatores ex eo nobilium cathalogo veniunt excipiendi: qualitas sicut in sacerdotibus. Siquidem eis, quando Reges creantur, diuina quędam imprimatur, verùm quid obsecro de Regibus Fide Catholica destitutis pronunciabimus? Hi sanè (meo saltem iuditio) Reges quidem eliguntur idque diuino dubio procul concurrente voluntate: Siquidem omnis potestas à Deo proficiscatur, & ab eodem admirabili prouidentia iugiter emanet, ob idque vel à Christocolis subditis honorandi veniant, quemadmodum abunde sacra pagina testatur. Veruntamen absit, vt in eis diuina quępiam impressa qualitas offendatur, quemadmodum de Regibus Christocolis nuper efferebamus. Aliud argumentum eiusmodi fuerat. Si primarij, vel Summi Principis haud possent varias nobilitatis

condonare species, destruerentur ordines polytici, quādoquidem in Republica conueniat gradus hominum adinueniri distinctos. Nam in Republica quoque populari scilicet vbi vota pariter omnium æqualia censentur ita, vt alter altero maiorem haud quaquam habeat potestatem: in Republica inquam populari quoque nobilitatis discrimen aliquid agnoscitur, & in Senatu quidam primum alij secundum occupant locum, ac ita deinceps continuata serie. Idem in processionibus alij præcedunt, alij subsequuntur, quod quidem non solùm intelligi velim de his, quà Magistratus gerunt munereque funguntur publico, verùm etiam de cæteris, qui nullum penitus officium exercent publicum. Idem animaduertere liceat potissimum in Republica Rhetorum, quippe quæ popularis agnoscitur, vbi ditiores, atq; nobiliores existimati, præcedunt maioremque sibi ipsis vendicant authoritatem, etsi magna coguntur vti dexteritate, ne cæteros irritent vt imperandi suspicionem deuitent. Atqui respondemus in quacumq; Republica, siue ea popularis agnoscatur, siue potius ad paucorum potentiam spectet (qualis est Republica Venetorum in vniuerso terrarum orbe singularis) eos esse cæteris digniores vulgò creduntur esse tales, idque in quouis hominum statu tàm ignobilium, quàm nobilium, ac ita nimirum nulla consequitur ordinum Reipublicæ perturbatio. Ad hunc planè modum Principes in sua Republica disponunt ordines, atque varios constituunt nobilitatis, aut plebis gradus non autem efficiunt in eis quidpiam, neque nouam in eosdem transfundunt qualitatem, nempe quà prius illi caruerint atque destituti fuerint. Postremum argumentum huiusmodi fuerat. Quam in omni Republica patricij reperiantur, ac plebei quemadmodum artifices in plebe suos necessariò sortiuntur ordines, ita nimirum inter patritios, eosdem disiungi necessum est. Quid? manibus, ac pedibus (vt aiunt) vltro descendimus in hanc eandem sententiam. At in graduum distinctione dignitatibus-

tibusque tam nobilium quàm ignobilium dirimendis, quod in omni Republica libera, siue popularis ea fuerit, seu pertineat ad paucorum potentiam, quod inquam circa distinctionem graduum in Republica libera, præstat vnus quamplurium hominum consensus, idem in Monarchia planè solius principis efficit authoritas, atq; hęc pro dirimendis huiusmodi controuersijs dicta sufficiant.

Quisnam propriè sit nobilis, & quem Princeps nobilitare, vel obscurare possit, opinio Iurisconsultorum, & oppugnatur, & expugnatur.

CAP. X.

DIu Princeps nobilem authoritate sua quempiam declarare queat, non autem efficere simpliciter seu nouam indere qualitatem, hactenus abundè disquisiuimus. Nunc videtur tempestiuum amouere iuris ciuilis interpretum opiniones quasdā vtpote naturā ex diametro parētē oppugnantes. Nāq; primò dicunt eū propriè veriusq; nobilē esse, quē princeps nobilitat, quod quidē haud dubiè veritatem habere potest, si princeps eum nō efficiat quidem nobilem, sed publico testimonio nobilē eum pronuntiet, qui suapte sponte nobilis est. Namq; si duo fortassis ęq; nobiles extiterint, nēpe quorum alter à principe declaratus fuerit nobilis, alter verò minimè, dubio procul prior alij venit pręferendus, idq; ēt si minus propria virtute nobilis fuerit: Siquidē in casu dubio bonus perpetuò pręsumatur vnusquisq; pręcipuè princeps quippe quē vtpote iustū atq; prudentē (qualis præsumitur) verisimile sit perpendisse prius diligenter, an ille prius verè nobilis extiterit, ante quā eū declarauerit esse nobilem: haud secus, ac in Academia publica Doctor

pro-

pronuntiatus, ei vel doctiori venit præferẽdus, qui lauream Doctoream adsecutus nundum fuerit, propterea quod hic amplum eruditionis propriç testimonium obtineat, ille verò tali subsidio destituatur. Vnde per contrarium Princeps quemadmodum non efficere (quod sçpe numerò iam dictum est) sed proprio testimonio, vel authoritate nobilitatem alicuius patefacere potest, & illustrare, ita medius fidius quempiam verè prònuntiatum ab ipsomet vel ab alio principe nobilem aut insuper a nobilissima gente prognatum obscurare potest, & ignobilem efficere, si forsitan talia patrauerit facinora, quç nobilitatis abducationem priuationemuè promereantur, putà si lçsæ maiestatis crimen commiserit. Nostros porro Doctores Iurisconsultos adseuerare non pudet Principem indiscriminatim obscurare, vel illustrare posse, quem vult. Adeò princeps liceat iuxta illorum secreta Tyrãnorum esse. Namque quod illi (meo saltem iudicio) turpiter effutiunt, perinde est, ac si principem in iniustum euadere posse contenderent pariter, ac quod ille contra ius fecere, nihilo secius ratum haberi debere faterentur: At hac adsertione quid stultius? quid? Si stolidus princeps, aut impius nobilissimum propria stirpe, singulari virtute prçditum, adhçc optimum virum insulsè voluerit obscurare, vel ab auita nobilitate prorsus abdicare, nunquid is propterea fuerit ignobilis? Dic sodes, quisnam verè frontem habere videatur magis perfrictum, an scœleratus, aut stolidus ille princeps qui hoc tam turpiter audet, an Doctores illi potius, nempe qui Principem eundem ad libitum (vt ipsi loquuntur) viros eiusmodi verè nobilissimos cùm genere tùm propria virtute, nihilo secius ignobiles, vel obscuros efficere posse non diffitentur? Cçterum quamuis vtrinque committat princeps erratum, nempe quotiens verè nobilem iniustè pronuntiat, atque declarat ignobilem, aut quando verum ignobilem pariter, ac indignum honore quolibet, authoritate sua nobilem pronuntiat, eique priuilegia nobilitatis

im-

impartitur: quamuis inquam vtrimque delinquat, scilicet quoniam vtrinque preter id quòd hallucinatur insuper agit, quòd agere nequit, neque postquam actum fuerit, ratum esse potest, nihilominus multò grauius turpiusque labitur, quando verum nobilem iniustè vituperat. Namque si quempiam virtute quauis, tàm morali, quàm intellectrice destitutum ignobilem, princeps nobilem declaret eique liberaliter priuilegia nobilitatis elargiatur, modò tamen vir honestus agnoscatur, & probus, hoc casu sanè princeps, aut nullum, aut certè per exiguum committit erratum: Siquidem hoc pacto fortassis diuinam prouidentiam ęmulari iure credatur, quippe quę semper vltra condignum (quemadmodum Theologi loquuntur) benefacientibus pręmia condonat, id est, plus quã ipsi bonis operibus pro meriti sint impartitur, iniustos autem homines perpetuò citra condignum supplicijs adfuit, hoc est, eosdem multò minus, ac ob scelera sua promereantur, mulctat minusque seuerè punit.

Principem indignum hominem haud posse nobilitare contra quamplures iuris ciuilis interpretes.

CAP. XI.

PORRO si quęsitum proximo capite propositum è vestigio cum ipsa parente natura pugnat (quod supra monuimus) aliud profectò quod hic immediatè subsequitur, omnino videatur eandem non lacessere quidem, aut vellicare tantisper, imo funditus euertere. Quęstio sic habet. Nunquid Princeps authoritate propria possit ignobilem quantumuis indignum nobilitare. Doctores quidam Iurisconsulti breuiter aiunt id licere Principi, sicq; paucis hanc litem dirimunt. Equidem

dem pro defensione sui placiti quantumuis iniusti dialecticè, quò veritas magis illutescat, notaque cõmodius euadat, hunc in modum ratiocinor. Nobilitas inter bona fortunæ connumeratur nedum inter naturalia bona recenseri debeat, quemadmodum ab huiusce libri statim initio docuimus. Ergo sicuti princeps alia fortunæ bona quemadmodum diuitias erogare potest, idque pro sua liberalitate, sic nimirum ipsam quoque nobilitatem impertiri queat, vtpote spectantem ad ipsum principem, haud secus ac spiritualium dignitatum collationes ad summum nempe Romanum pertinere meritò creduntur Pontificem, quemadmodum superiori capite protulimus. In fauorem opinionis eiusdem præterea sic argumentari liceat. Summus Pontifex potest indignum hominem Episcopum creare, pariter & Episcopus indignum aliquem insignire sacerdotali dignitate simul ac eidem diuinum imprimere characterem, ergo multo magis indignum hominem & ignobilem, princeps nobilitare poterit ac verè nobilis ille fuerit, haud secus ac indignus ab Episcopo sacerdos creatus interea nihilosecius haud quaquam Sacerdos adpellari vel esse desinit. Isthæc mediusfidius ratiocinia fuerint, quæ nos adinuenimus ad eam opinionem fulciendam, quæ tametsi verisimilia sunt magnamque parturiunt euidentiam nihilominus haud concludunt neque nos fateri compellunt, quod illi Doctores & autumant, & mordicus adseuerant. Pro dissolutione nodorum huiusmodi veniunt in primis veluti proconfesso. Subijcienda, Primò nullam ex collatione dignitatum sæcularium (si regiam dignitatem vnam exceperis) transmeare seu transfundi qualitatem in eum, qui nobilitatur quinimò quempiam à principe (præssius vnaque verius loquendo) nullatenus fieri, quin potius nobilem solummodò pronuntiari, quemadmodum supra luce meridiana clarius ostendimus. Deinde supponendum est, veram nobilitatem haud esse quid extrinsecum simpliciter aut fortunæ bonum aliquod

quod quemadmodum omnes ad vnum forsitan censuerunt, quicunque scriptis de nobilitate quidquam prodiderunt, nempe quorum opinionem pro virili nostra paulò post infirmabimus. Tertiò velim hic subijci diuinum characterem interuentu Pontificiæ vel Episcopalis dignitatis impressum, in anima quidem recipientis eam dignitatem obtinere sedem siue collocari, nō secus ac ipsa nobilitas. Veruntamē illud inter vtrunque discriminis intercidit, quòd ipse diuinus character in animæ virtutibus eam perficientibus, minimè consistat nec vllum sortiatur cum ijsdem necessariò sodalitium siue commertium, ipsa verò nobilitas aut in virtute cùm intellectrice tùm insuper morali, vel in inclinatione videlicet ad virtutem ipsum exercendam seu propensione necessariò consistat, quod quidem nos proximo libro demonstraturos apertè confidimus, simul & audacter pollicemur. Atqui rei difficultas & monet & suadet, vt aliquod clarioris doctrinæ gratia subijciamus exemplum, quò tutius nimirum ad vlteriora pergere vel etiam altius (vt ita loquar) scandere valeamus. Felicitatem præcipuè sempiternam omnes mirificè, vel ad vnum auent. Ea vel omnium consensu ne vno quidem excluso, non solùm in animo collocatur, verùm etiam in operationibus animi selectissimis atque sublimioribus, quando felicitas in operationibus planè consistat, nec eam absque præcipuis operibus effingere, vel imaginari concedatur, tantum abest, vt eisdem sepositis adinueniri queat.

Obie-

Obiecta discutiuntur in contrarium adducta. Caput XII.

Itaque iactis in præsentiarum hisce fundamentis intrepidè dissolutionem nodorum adoriamur & aggrediamur. Sicuti virtus moralis, quippe quæ necessariò requiritur in homine nobili (non autem intellectrix) aut ad bonos mores inclinatio, siue propensio, quemadmodum, & ad virtutes intellectrices ad vnā omnes, scilicet, quæ vocitantur honorabiles: Sicut inquam propensio desideriumque virtutum nō omnium promiscuè, sed honorabilium solummodò, nobilem hominem necessariò consequitur, & ei (velis nolis) ineſt, atque ita nobilis necessariò si non actu bonus, saltem præ cæteris ad probitatem anhelat propensusque visitur; ita per contrarium in eo diuturna vitiorum cupiditas hærere nequit, ni deinceps in ignobiles metamorphosi quadam sordida (quod aliquando sed rarò tamen contingit(trāsformari malint. Inseramus exemplum aliud huic disputationi. Christianus quum interuentu Sacramenti Baptismatis atque fidei Christianus euadat, è medio sublata fide quæ Christianum efficit, illico desinit esse talis, quando duo contraria iuxta peripatheticorum decreta, siue dogmata. Simul in eodem subiecto coire nequeāt. Quam ob rem impietatem inscitiam simul, & malos mores quia diuino charactꝭri dignitatis Episcopalis interuentu collato nequaquam aduersantur, propterea nihil prohibet quò minus eadem in anima Sacerdotis concurrere possint. At fides & infidelitas obstinata, quum opponātur ad inuicem, atque prælientur, vna coire nequeant. Quapropter hic venit perpendendum vitia scilicet, quæ pœnam promerentur, aduersari quidem virtutibus moralibus, sicut iniustitia iustitiæ, sed tamen haud censeantur contraria virtutibus intellectricibus. Vnde bonus medicus, peritus iuris interpres, præterea Theologus

gus aut philosophus insignis vtique latrones, aut impostores esse nil vetat, quandoquidem vitia quæ pœnam promerentur, eiusmodi virtutibus intellectricibus nequaquam aduersentur. Quò fit, vt in eadem sede commorari possint. De moralibus autem virtutibus secus est. Nam quum iustitia, temperantia, magnificentia, & sic de singulis cohærere nequeant iniustitiæ, luxuriæ, vel gulæ, quippe quæ dignoscuntur intemperantiæ, sicuti nec sordities auaritiæ, quæ certat è vestigio cum ipsa magnificentia: Sic nimirum ipsa nobilitas quæ tametsi non est virtus, attamen ex eo fonte prodijt, & ad eandem pro pensa perpetuò visitur secundum naturam eius propriã. Porrò diuinus character impressus interuentu pontificię, vel Episcopalis dignitatis, quoniam in ea parte, seu potentia facultatis rationalis figitur, quæ nuncupatur intellectus, non autem in ipsa voluntate, quemadmodũ virtutes morales, propterea nihil impedit quò minus vitijs atque sceleribus hærere possint: Siquidem præter id quòd minimè pugnent ad inuicem, in diuersis insuper animæ facultatibus offenduntur.

Eadem obiecta breuius & clarius dialectica methodo conuelluntur. Cap. XII.

Itaque singulis Dialectica methodo respondentes obiectis in medium nuper adductis, ad primum dicimus, indignum hominem atque vitijs conspuctatum in Sacerdotem euadere posse, qui nihilosecius erit legittimus Sacerdus (idem quoque de cæteris dignitatibus Ecclesiasticis intelligi velim) tùm quòd vitia Characteri non sint contraria, tùm etiam quòd ea reperiuntur in voluntate, diuinus verò Characterim intellectu, quemadmodum artes & scientiæ speculatiuæ sicut, & alij tres habitus intellectus. Cæterùm nobilitas quæ non est ali-

quod

quod fortuna bonum, ficut opinati funt omnes, qui de nobilitate difquifiuerunt, quin potius dignofcitur volũtatis quidam habitus (quod quidem proximo libro diuina fauente clementia demonftrabimus) propterea vitijs opponitur cum eifque dimicat: cuius quidem rei, vel illud euidentiffimum cognofcitur argumentum, nẽpè quod ex eorum fententia, qui faniorem habent mentem, nobilitas à virtutibus præcipuè moralibus quæ vitijs opponuntur ex diametro, pullulet & inde fuam ducat originem, ignobilibus verò quippe quæ cenfetur animi quædam fortities à vitijs proficifcatur, & inde fcaturiat. Quanquam etenim ignobilis cùm haberi, tùm effe reuera bonus poteft, attamẽ quoniam præter id, quòd ipfa rerum vilium cupiditas, & ad ipfas continua propenfio, vel inclinatio quoddam optimo iure vitium exiftimatur, haud fecus ac ad excelfa fublimiaque grandis indlnatio fimul, & eorum defiderium virtus quædam putatur: præter id inquam quòd ignobilis ad vitia propenfus, vt plurimum vifitur, infuper vitia, quoniam virtutibus opponuntur moralibus, ac verè vitia funt, multò minus abhorret, atque deteftatur ac ipfe nobilis, fcilicet quia nobilis in vnum honorem, aut faltem in eum præcipuè velut in Scopum collimat, ignobilis autem præcipuè diuitijs anhelet in vnumque lucrum ferè femper tãquam in proprium finem tendat. Itaque non fequitur: Summus Pontifex indignum creare poteft Sacerdotem, qui nihilofecius verus erit Sacerdus, ergo Princeps indignum vitijfque fcatentem nobilitare poteft: non fequitur inquam, neque valet argumentum, quia Sacerdotalis character ficut & aliorum ordinum, in intellectu fedem obtinet, & vitijs hærere poteft, quandoquidem eis non aduerfetur, nobilitas autem, & in voluntate collocatur, & vitijs contraria cernitur. Si quis non actum delinquendi rarum, fed ipfum potius habitum, id eft, ad virtutes inclinationem, fiue propenfionem, velut igniculum quendam nobilitatis contempletur.

Indi-

Indignum Principi notum multò minus posse nobilitari quàm ignotum, contra doctores iurisconsultos. Caput XIV.

SAnè durum enuntiatum est audire, Principem efficere posse nobilem, hominem indignum, quandoquidem ignobilis vtcũque dignus ab eo nobilis fieri nequeat, etsi potest ab eo declarari, siue pronuntiari nobilis. At multò durius est enuntiare quempiam in dignũ (cum hac appendice videlicet) ei notum, creari posse nobilem à Principe. Nam istud adiunctum scilicet: Principi notum haud minuit erratum vel stoliditatem Principis, quin potius adauget: siquidem Princeps longè minus erret commodiusque possit excusari, quotiens ignotum ei quempiam indignum nobilitat, quia talem indignum fuisse, Princeps ignorasse præsumitur, ac ita iure venit excusandus, quando malus nemo præsumatur aut insipiens (maximè Princeps) nisi probetur. At quum enuntias indignum à Principe nobilitari quantumuis ei notum, hoc casu mehercle nullus relinquitur excusationi locus. Nanque sicut homo fieri nequit asinus neq; pirus vnquam euadere cupressus poterit, ni corrumpatur prius ac ita sensim in aliam speciem transmutetur, ita nec ignobilis ilico nobilitari potest. Clarius & accõmodatius eloquar, exemploque quod ad institutũ nostrum faciat magis, & huic negotio conducat, vtamur. Si calidum euadere frigidum debeat & è contra, sanè caliditatem corruptum iri prius oportet. imo necessum est. Ad eundem modum si qualitas isthæc nempe nobilitas inseri debeat homini cuipiam, eum prius ignobilitatem exuere sensim, atque paulatim omnino necessum est: siquidem ignobilitas nobilitati qualitas contraria iure merito censeatur, & oppo-

positio talis non priuatiua simpliciter (quemadmodum logici loquuntur) sed vera contrarietas dijudicetur. Itaque si Princeps vna contrarietate superstite posset in eandem subiecti particulam inducere vel indere contrarietatem aliam hostilem, vtique Princeps foret natura parente, superior imò fortassis ipso Deo potentior. Nanque si fas est efferre de Deo, quod hoc vel illud agere nequeat, humiliter sanè pronunciabimus efficere Deum haud posse, quòd in eadem subiecti particulā duæ contrarietates vnā coeant, haud secus ac theologi, Deum eundem præstare nusquam posse prædicant, vt contradictoria simul vera dignosci possint: si quidem istud in Deo potentiam haud imminuat, quin potius ex parte rei producendæ defectum & impossibilitatem arguat ob oculos que nobis apertè constituat.

Ignobilitati nobilitatem opponi contrariè probatur vnaque iocunda narratur hystoria. Caput XV.

CAeterum nobilitatem ignobilitati reuera contrariā esse nō aliter ac frigido calidum opponitur, effectus vtriusque proprij palam attestantur, quando nobiles ad excelsa vel honorabilia (quemadmodum Peripathetici loquuntur) propensos intueamur, ignobiles verò pronos veluti pecora, scilicet quæ (quod Salustius adnotauit) natura prona ventrique pariter obedientia finxit: ignobiles inquam ad lucra tantummodò, seu viles artes inclinatos vt plurimum conspicimus. Quam ob rem operationes vtriusque contrariæ nobilitatis videlicet ac ignobilitatis, earum vtrāque sibi inuicem aduersari mutuoque degladiari nobis palam faciunt, nos verò diuina fauente clementia proximo libro non argumentis à posteriori (quemadmodum Dialectici passim efferunt) idest, ab operibus rei qua de agitur, desumptis, sed à prio-

priori, hoc est, ratiocinijs ab ipsa rei natura petitis vel proximè deductis id ipsum commonstrabimus. At interim hic nobis ostendisse sufficiet, hominē indignū Principi notum frustra nobilem ab eodem pronuntiari, siue declarari, quādoquidem eiusmodi priuilegia nobilitatis eidem collata, meritò risum atque ludibrium legentibus audientibusque moueant, tantum abest, vt eiusdem nobilitatis collationē siue declarationē, ratam ac firmā habeant. Hic sanè iocari (verè tamen ac seriò) simul & expatiari paulis per lubet. Proximis annis Rusticus quidā diues cæpit superbire tumidusque tandem vsque adeo Cristas erexit (vt aiunt) & extulit, vt exposita primarijs certa quadam pecuniæ quantitate, consequutus fuerit à Principe suo priuilegia nobilitatis ampla, nempe longa, lata, & profunda, videlicet more consueto. Salutatus est à suis Rusticis pro nobili, sed tamen (vt planè coniector) non absque cachinno. Rusticus idem de proximo nobilitatus quanlibet senio confectus vxorem ducit iuuenculam vtcunque formosam. Actiones interea suas vtpote rusticas omittere vel intermittere noluit aut non potuit. A mechanicis suis illis consuetis operationibus ne latum vnguem (quod est in Adagio) discessit, quandoquidem aurigam (sicuti prius) ageret, ac vinum frequenter ad vrbem curru veheret vendendum, sibi nimirum (vt nobilis fortè videretur) cum præcipuis curiæ proceribus commessabatur cibumque sumebat. Interea lucri cupidus vna cum vino puellam vxorem, ad eos quoque frequenter deducit, quippe quam sumpto prandio relinquit eisdem iuuenibus, pinguibus, ridentibus, iocantibus colloquentibus amatoria, vino pariter æstuantibus; eis inquam ipso videlicet abeunte, per vrbemque peregrinante, relinquit eam solam, adulescentulam, festiuam, pulchram, iucundam, candidam, lepidam, iocantem, garrientem, dein cachinnantem, idque per totam diem integram, atque hæc nobilitati iandudum opera curialium rustici, præclara gesta, sunto. An amabo

nobilem hunc agnoueris atque prædicaueris, propterea quod nobilitatus (vel vt verius iuxta ac accuratius eloquar) nobilis declaratus à principe seu pronuntiatus fuerit.

Nunquid virtus nobilitatem impartiri possit, quæ transeat in posteros. Cap. XVI.

SVperest vt experiamur, an virtute nobilitas parari queat. Sanè legislatores & eorum interpretes ad vnum omnes quemadmodum Andreas Tyraquelus vir infinitæ lectionis (vt ita dixerim) in suo tractatu de nobilitate retulit: adhæc philosophi, poetæ, Rhetores, Grammatici, præterea plebei, & (vt vno verbo dicam) vniuersus orbis pænè prædicant interuentu virtutis præcipuè nobilitatem parari. Verùm paucos duntaxat diuersorum ordinum atque graduum excipio nobiles, ab hoc communi proloquio totius orbis abhorrentes, nempe qui non solùm omni virtute destituti visuntur, nò autem orbati, quandoquidem virtutis alicuius nunquam fuerint possessores, paucos inquam tales excipio mobiles, qui quum omni virtute careant, omnē pariter virtutem execrantur, quod quidem è vestigio cū parente natura pugnat. Quò fit, vt iȷ plus quàm septies miseri sensim iam homines esse desinant, & in monstra ingentia, horrenda, turpissimaque paulatim euadant, atque ita dubio procul arrhabonē infelicitatis ęternę propediem (vt sic dixerim) futuræ possideant, quippe quem arrhabonem siue proprium Orci cēsum vnus mendaciȷ parens Diabolus eis persoluit, vt eosdem lucretur & in suam infamem iuxta ac miserabilem rempublicam pertrahat. Ad institutum redeo. Virtus vna præcipuè rerum sublimium, id est, honorabilium (vt Aristotelico more loquamur) intelligentia vel eorundem honorabilium bonorum possessio diuturna, scilicet quæ iam diu

diu trãſierit in habitum, omnes verè nobiles efficit omnium hominum conſenſu, qui ſanam mentem habent. Verum enimuerò nunquid iſthęc vera ſit, quam inquirimus, ipſa nobilitas, quæ tranſit in poſteros & eos in vtero materno nuperrimè conceptos, ne dum iam partos vel in lucem editos, & in cunnis adhuc vagientes, nobiles procreat, ita vt non orti iamprimum nobiles reddãtur alicuius extrinſecæ ſuperuenientis qualitatis beneficio, ſed hoc ipſo videlicet, quo naſcuntur vel etiam concipiuntur momento, nobiles confeſtim & concipiantur, & concepti ſemel oriantur ex vtero, pariter ac nobiles adoleſcãt, hoc mehercle maximam habet difficultatem: ſiquidem hinc orbis vniuerſi conſenſus obſtrepat, nempe qui nobilium filios adſeueret procreari nobiles, illinc naturalis ratio conqueratur, id æquo animo ferre nequeat, huic axiomati quantumuis omnium conſenſu cõprobato vel audacter vtroq; ſeipſam opponat, dein huic adſertioni ſic iniuria vel infeſta ſit, vt etiam omnino reclamet.

Virtutem quamlibet eximiam haud poſſe nobilitatem impertiri, quæ tranſeat in poſteros, demonſtratiuè concluditur. *Caput XVII.*

INquit enim humana ratio: ſi qua eſt legittima virtutis origo, ea potiſſimùm præ cæteriſque fuerit virtus, nempe moralis aut intellectualis, hoc eſt, honorabilium rerum perceptio ſiue peritia (quod ante dictum eſt) vel bonorum honorabilium diuturna quæque tranſierit in habitũ poſſeſſio. Atqui virtus ſiue moralis ea fuerit vel intellectualis, trãsfũdi nequit in poſteros, ergo nec proprius eiuſdem effectus vel propria paſſio, quemadmodũ Neotherici paſſim efferũt. Id etenim inter opus pro-

prium & commune discriminis intercidit, quòd hoc à subiecto cuius proprium opus dignoscitur separari nequeat, illud autem ab eo diuelli possit. Quanquam enim nonnulla visuntur accidentia minimè subiecti, cui insunt propria, quæ nihilo secius ab eadem inseparabilia conspiciuntur, attamen ijsdem accidentibus inseparabilibus, nusquam autem proprijs ipsum carere potest subiectum, quandoquidem eam subiecti naturam minimè necessariò consequantur, nec vllum eidem commodum adferant, necessarium, de proprijs autem secus, vtpote quibus ipsum compositum orbari nequeat, Adeo sublatis è medio semel accidentibus proprijs, ablatum iri corruptumque compositum omnino necessum est. Quam ob rem ipsa nobilitas filia quum agnoscatur legitima (non autem spuria, vel proles adulterina) virtutis moralis aut intellectualis, idque non cuiuslibet indiscriminatim, at sublimioris tantummodò, quippe quæ vehementem etiatuque dignam omnino requirat indaginem: nobilitas inquam ipsa quum à virtute, prolis instar legitimæ prognata cernatur, & opus eiusdem proprium adpareat, qui (dic sodes) ab ea diuelli queat? Itaque methodo dialectica ratiocinor hunc in modum. Virtus parentum intellectualis aut moralis transmeare seu transfundi nequit in propriam sobolem, vel in proprios natos, ergo nec eiusdem virtutis opus proprium. At nobilitas propria censetur adfectio siue propria passio virtutis, igitur in posteros minimè transmeat, quandoquidē subiecto proprio, quod virtus est, adhærere cogatur. Porro virtutes parentum haud peregrinari, vel in posteros transire, cum experientia videlicet optima rerum magistra, tum ipsa naturalis ratio palam attestantur amplumque perhibent nobis testimonium. Ergo nobilitas ex virtute parta non erit vera nobilitas, aut saltem ea non fuerit, quam & legis latores & eorum interpretes nobis ob oculos constituunt: siquidem suam nobilitatem illam in posteros longa serie peregrinari velint, &

in

in transuersales quoque similiter ad certum quendam gradum produci. Quo circa nobilitas ea, quam virtus progignit, quum in filios haud propagetur nedum in alios sequentes gradus, haudquaquam ea ipsa nobilitas fuerit, nempe quam legislatores vna cum eorum interpretibus ad sidera tollunt tantique faciunt.

Non diuitias nobilitati sed contra nobilitatem diuitijs præferendam esse, quidquid nonnulli Doctores Iurisconsulti senserint. *Caput XVIII.*

PRoximum est, vt hoc loco scrupulum amoueamus, qui nobis negocium facessit. Egregij quidam Iuris ciuilis intrepretes existimant diuitias esse nobilitati præferendas, cuiusmodi sunt And: Iser & Matth. Afflict. quippe qui potissimùm hisce rationibus innituntur. Aiunt enim esse diuites amantiores patriæ, quoniam seruata patria pariter, illorum quoque bona conseruantur, & eadem subuersa similiter eorundem bona pereunt atque subuertuntur. Addit Mattheus diuitem ad scelera patranda timidiorem offendi, ne bona perdat propria, pauperem verò nihil huiusmodi metuere. Verùm hi Doctores in hac causa videntur aduocati, propterea quòd vnam solummodò partem tueantur. Atqui si velint esse iudices, nempe quales hoc loco seipsos profitentur, quādo sententiam tulerint quæstionemue deciderint, si velint inquam huic disertationi Colophonem imponere, medius fidius vtrinque deceret, eos in medium argumentationes proferre, quo sic nimirum iudicio tutior pateret ad quæstionem pensiculandam aditus, & aptior, de in ad eandem extricandam felicior exi-

tus. Proinde quod illi prætermiserunt incauti, nos vltro prosequamur & examussim pro virili nostra diligenter exequamur. Itaque subijciamus in primis velut confessum apud omnes, auaritiam non extingui diuitijs, quinimò cùm exacerbari vel irritari, tùm etiam in immensum continuò magis atque magis excrescere. Secundò velim hoc vltro mihi dari, quod alioquin iandiu comprobatum est experientia, nempe viles & ignobiles homines vtcunque diuites vt plurimùm auaros adinueniri pariter ac honorem haud magnifacere, sed admirari lucrum potius & (vt ita dixerim) venerari, quod quidem in veris nobilibus non perinde conspicias. Itaque suppositis huiusmodi iactisque veluti fundementis, eamus obuiam intrepidè ratiocinijs nuper in medium adductis. Aiunt enim: diuites patriæ sunt amantiores, quia conseruata patria (inquiunt) bona pariter eorum adseruantur, & ea subuersa protinus eadem ratione subuertuntur. Sanè id enũtiatum tale prorsus fuerit, perinde, ac si vilis quidam atque Mechanicus artifex efferret se Petrum aut Anthonium amore prosequi, propterea quòd ab eo sæpius emat merces suamque frequentet officinam. Si Doctores eiusmodi semel Aristotelis ethica perlegissent, hi dubio procul in hanc foueam haud impegissent. Adeò hisce suis argumentis in scirpo (quod est in adagio) nodum quæritant. Namque triplex quum offendatur amor vnaque triplex reperiatur amicitiæ genus, id sanè præcæteris abiectum est atque nullius ferè momenti, quod ab vtilitate proficiscitur: siquidem isthęc planè sordidorum hominum amicitia cernatur. Proinde si diuites patriam diligunt propter commodum proprium, mehercle non patriam hoc casu, quinimò seipsos tantummodò diligunt. Vnde si certò seipsos prodita pariter ac deserta patria, multò locupletiores futuros nouerint, hi verisimiliter occasum interitumque patriæ nusquam æstimaturi fuerint.
Porro diuitem ad scelera patranda videri timidiorem, ne bona quæ possidet amittat, id minimè virtus est, iuxta

iuxta videlicet illud poetæ. Oderunt peccare boni virtutis amore. Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Dein ob id patria nihilo magis tuta redditur, quia diues auarus vtpote vilis, largitione semel oblata grandi, (quippequæ metum amissionis bonorum, & amouet, & procul arcet) mox lubricam vilis ignobilitatis inclinationem insequitur. Adeò res qualibet suapte sponte ni quidpiam impediat, opera vel exigua redit ad suam ipsius naturam. Quam ob rem nos in præsenti modo longè diuerso sic in fauorem nobilium argumentamur. Nobiles plerunque quoniam honorem plurimi faciunt atque diuitijs anteponunt, patriam amant illiusque salutem multò magis æstimant ac ignobiles, ergo vel hoc dato quòd nobilis pauper sit, modò benè audiat inter ciues præcipuè si fuerit ortus à probis parentibus; hic vtique quanlibet egenus ignobili venit anteponendus in administranda Republica, quippe cui tutius multò commiseris habenas patriæ moderandas: siquidem ignobiles vt plurimùm quò ditiores, eo magis auari, atque ita magis cupidi non aliter ac ignis, qui quo plura consumit, eo magis augetur. Innumera porro fuerint exempla cum antiquorum præcipuè Romanorum, tùm etiam nostræ tempestatis, nempe quibus liquidò videtur, ferè semper amantiores fuisse patriæ nobiles quanlibet egenos, ac ignobiles vtcunque diuites.

Nec

Nec antiquas diuitias nobilitati præferendas. Caput XIX.

ALij porro non omnes promiscuè diuitias antepo-nendas nobilitati censuerunt, sed antiquas tantummodò, qui fortassis innituntur huic rationi, quòd antiquitas diuitiarum antiquam pariter arguat nobilitatem, quando diuitiæ quamuis haud nobilitent, nihilominus nobilitati non leue sed effatu dignum adferant subsidium. Quid enim obsecro virtutem eam inter cæteras claram, quæ magnificentia nũcupatur, exercueris, si diuitiæ tibi defuerint? Communiri poterit isthęc opinio vel hoc argumento, quòd interuentu diuitiarũm præsertim antiquarum plerunque nobilitas paretur, ac ita diuitiæ saltem antiquæ debebunt anteire nobilitati idque iuxta regulã Topicam: propter quod vnumquodque tale & illud magis. At vtà prima ratione statim exordiãtur, quod aliquid indicat, propterea quòd illud indicet aut nonnullas ei suppetias adferat, continuò nequaquam eidem præferri conuenit aut expedit, quãdo multæ res viles adiuuent, aut demonstrent nobiliores, quippe quas hic recensere (quando propemodũ infinitæ sint) omnino superuacaneum esse dijudico. Ad regulam Topicam respondemus vnà cum interpretibus Aristotelis, eam in hisce tantummodò rebus habere veritatem, quæ reperiuntur eius adfectionis, de qua fit comparatio, participes. Vnde sicuti nil concludit hoc argumentum: hic est ebrius propter vinum, ergo vinũ multò magis ebriũ, nempe quia vinum ebrietatis minimè particeps visitur, ita nimirum, vel hoc dato, sed tamen haud cõcesso, quòd nobilitas à diuitijs præsertim antiquis emanet, atque (sic fari concedatur) scaturiat, sine quod ipsæ diuitiæ nobilitatem parturiant, inde nihilosecius haud consequitur digniores haberi diuitias nobilitate vel eidem præferri debere. Nobilitas etenim animi qualitas est insignis,

quod proximo libro demonſtrabimus, diuitiæ verò res inanimatæ ſunt, & ad vnum vſum hominis cùm adquiri tùm etiam poſſideri debent, haud ſecus ac elementa quatuor,cęteraque paſſim omnia,quæ Deus creauit propter hominem ſolum. Nam iſthæc præſertim interitui vel occaſui ſecundum naturam obnoxia, non ob aliam prorſus vllam cauſam ab homine ſanę mentis compote, quapropter vſum hominum æſtimandæ veniunt, tantū abeſt,vt inſignibus animi qualitatibus(cuiuſmodi nobilitas viſitur)eaſdem anteponere liceat.

Ignobiles virtute propria iam primùm nobilitatos, antiqua nobilitate claris, ſed tamen orbatis virtute, nobiliores dijudicari dialecticè,concluditur. Caput XX.

HIc ſanè regula Topica iure locum habere queat. Propter quod,vnum quodque tale,& illud magis, atque vt propter ſcientiam,ſicut & propter virtutes alias præcipuè morales,nobilitas eſt digna,vel honorabilis(vt Ariſtotelica phraſi nonnunquam vtamur) ergo ſcientia nobilitate dignior extiterit atque præſtantior: ſiquidem dignitatis ac præſtantiæ vel honoris ipſæ ſcientiæ participes offendantur,& ipſa nobilitas, animi qualitas quoq; ſit inſignis deinde nobilitatem ſcētia ſicut effectum cauſa parturiat. Verū enimuerò latet anguis in herba,quod in adagio paſſim efferri conſueuit. Namque ſi virtus intellectrix nempe ſciētiæ vel morales virtutes veluti cauſæ propriæ nobilitatem progignunt(quemadmodum peritia quoque militaris) & tandem dignitate præcellunt, omnino conſequitur, Doctores præcipuè moralibus virtutibus inſignes vel a viliſſimis viris, nempe qui longa ſerie per mille annos (exempli gratia) vel à præclaris heroibus effluxerint atque ſuam illinc traxerint originem; ſequitur inquam hoſce,veluti ſcientia præditos, moralibuſque

busque virtutibus nuper imbutos, sci licet in quibus iam primum nobilitas incæpit, nobilitate tot annorum interstitio confirmatis, sed tamē scientijs orbatis, iudicari debere nobiliores. Adeo secundum allegata qui præstantiores animi dotes obtinet, is protinus dignior simulac nobilior videatur. Ad opinionem huiusmodi fulciendam atque corroborandam illud insuper accedit, quòd Iurisconsulti vere prædicent vnaque constanter ad seuerent, scientiæ defectum nequaquam suppleri posse nobilitatis interuentu, quum alioquin interea nobilitatis defectus per scientiam vel abunde sarciri queat. Cæterū consulto dessolutionem horum nodorum dataque opera distulimus in proximum librum, vbi videlicet ex professo vires nobilitatis atque naturam hactenus (meo quidem iudicio saltem) incognitam disquiremus, & eandem exactè pro virili nostra rimabimur.

AN-

ANDREÆ CAMVTII

PHYSICI OLIM CELEBERRIMI.

DE NOBILITATE

LIBER SECVNDVS.

Nunquid reuera nobilitas offendatur.
Caput Primum.

EVulsis è medioq; sublatis omnino sentibus, quæ nobis impedimēto fuerant, quò minus eueheremur ad altiora, hoc est, amotis aliorum opinionibus veluti repagulis quibusdam, vel ipsa rei quam hic ex professo disquirimus, natura monet, seduloque pariter hortatur, vt ad eam extricandam vtpote perplexā festinemus atque iugiter properemus. Atqui frustra quæsieris alicuius rei naturam vel (vt peripatheticè dixerim) essentiam, ni prius rem, nempe quam ex-

explicare cōtēdis aut meditaris, alicubi saltē ad inueniri cōstiterit, adq; iuxta philosophi decreta naturæ rerū, vnde scientiarū affabrè methodi suam trahūt atq; deducūt originem, mirificā consentanea. Proinde primùm ambigitur, an vspiam reperiatur nobilitas. Eorum qui hactenus de nobilitate scriptis quidpiam prodiderunt, alij nobilitatem in diuitijs consistere sunt arbitrati, quemadmodum proximo libro retulimus. Alij non in omnibus promiscuè diuitijs quanlibet exuberantibus, & adfluentibus, sed in antiquis tantùm obtinere sedem existimarunt. Legislatores in vna Principis præcipuè summi voluntate radices agere mordicus ita tuentur, vt eam vnam propriè magis veram atque synceram dijudicari nobilitatem adseuerent. Qui saniorem præ cæteris mentem ab Optimo Deo nacti sunt, ij nobilitatem adinstar pulchræ sobolis atque legitimę solùm ab vna virtute semper emanare seu proficisci cōtēdūt. Omniū hominū oculati quàm minimùm eandem in opinione vulgi collocant. Hi porro quamuis inter se dissentiant, attamen hac in re saltem inter eos conuenit, si paulò diligentius pensiculaueris, quòd eandem nobilitatem ex parte rei nihil esse penitùs vel inuiti, quamuis id non exprimant tacite saltem concludant, & hominum agnosci meram atque simplicem opinionem suis figmentis declarent. Huiusce rei vel euidens menifestumque dignoscitur argumentum, quòd ne vnam quidem nobilitatis definitionem tanquam rei fictæ nōn autem existentis adsignare tentauerint, si videlicet eos tantummodò iurisconsultis exceperis, qui nobilitatem ab authoritate Principis emergere pronuntiarūt: Siquidem ij soli (quod supra retulimus) eum esse qualitatem illatam à principe, qua quis præ cæteris honestis ciuibus ostenditur acceptus, definiuerint. Verùm hi quoque reuera nobilitatem aliquid esse nos haud quaquam edocet, quandoquidem ex ea Principis liberalitate nobilitatem impertientis, nulla deinceps in eum, qui nobilitatur hic realis (vt scholasticè loquar) qualitas trāsmeet siue transfundatur, quod vtcunque quidem ante probaui-

uimus, impresẽtiarum autem paulò ofidius vnaquę ſuccinctè magis demonſtrabimus. Tres in vniuerſum qualitatis adſignantur à Philoſopho ſpecies, nempe diſpoſitio vel habitus, naturalis potentia vel impotentia, paſſio vel paſſibilis qualitas, denique forma vel circa quidpiã conſtant figura. Quum itaque nobilitas in earum cathalago minime comprehendatur, eam haud agnoſci qualitatem luce meridiana clarius euadit. Item nobilitas omnium conſenſu bonum quoddam eſt, & fortunæ bonum eſt, vt ipſi rentur, quotquot de ea re conſcripſerũt, ergo ſenſibus innoteſcere deberet, quemadmodnm aliæ fortunę bona ſenſu dijudicãtur, putà veſtes, aurum, monilia, triticum, denique genus omne diuitiarum. At inquies forſitã honorem agnoſci fortunæ bonum id, quod nobilitas adpellatur ac ita ſenſu non diſcerni, ſcilicet in hiſce quibus honor tribuitur, atque ita pronunciabimus fortè nobilitatem eſſe fortunæ bonum huiuſmodi videlicet honorẽ, quod minimè ſenſu percipiatur. Quid ais? Honorem vt admittamus eſſe bonum quoddam aduentitium ita negamus, hunc eſſe fortunę bonum. Nam honorem in honorante non autẽ in honorato (ſic fari concedatur) conſiſtere cùm Ariſtoteles in Ethicis atteſtatur, tùm ratio naturalis huic adſertioni ſiue placito ſubſcribit vnaque libenter confitetur. Ibidem honor ita ſedem obtinet in honorante vt interim à voluntate dependeat ſimul ac in eius arbitrio radices agat. Proinde fortunæ bonum eſſe nequeat, quandoquidem in Phiſicis (adſertore Philoſopho) quidquid à fortuna profiſciſci creditur, id omne pręter hominum opinionem accidere conſueuerit.

Nobilitatem reuera merum esse figmentum ex aliorum opinionibus colligi. Caput II.

ITerum vrgebis forsitan nobilitatem propriè nequaquam honorem esse, sed tamen eam dignosci bonum quodpiam honore dignum. Atqui siste gradum tantisper. Nobilitas, quam Princeps impertitus fuerit, aut diuitiæ contulerint, vel opinio vulgi comprobauerit, esto reuera non sit honor, sed tamen aliqua sit dignitas, quæ promereatur honorem; ea iustè tamen collata vel (vt appositè magis eloquar) pronuntiata fuit, aut (quod sæpenumero contingit) temerè præterque rationem. Si iustè scilicet quod in eo fortassis qui nobilitatur eximia quæpiam virtus resideat eo casu sanè, non quòd à Republica vel à Principe, siue magnis à diuitijs, aut etiam ab opinione vulgi collata dignitas huiusmodi fuerit: nempe nobilitas ob id honore digna merito censeatur, quinpotius ea ratione quoniam intrinseca virtus ipsa nobilitatem intrinsece peperit, quippe quam diuitiæ, vulgaris opinio, Princeps, aut Respublica propriè nusquā effecerant, sed quod (præcedenti libro demonstratum est) testimonio vel authoritate sua fulciuerunt atque cohonestarunt. Itaque vera nobilitas intrinseca proprio vel aliorum sudore laboribusue conquisita, non modò laudem verum etiam honorem promeretur. Adeo virtutes eiusmodi nuncupantur à peripathicis honorabiles, quoniam homines huiusmodi dotibus imbutos verè nobilitant honoreque dignos, efficiunt. Adeo nobilis nil aliud pene nobis indicare vel sonare videatur, quàm hominem honore dignum, idque non extrinsecis quibusdam à fortuna petitis quinimò propria videlicet intrinseca perfectione diuturnis ad quisita laboribus aut saltem hæreditario quodam iure quæsitis. Ad pensam

re-

redeo. Nobilitas à Principe vel ab alijs propriè non collata, sed pronunciata solummodò seu declarata, si iustè pronunciata fuerit, minimè censeri debet, fortunæ bonum neque naturale, quando consistat in voluntate, sed ea species planè qualitatis visitur, quæ nuncupatur habitus, quippe cuius habitus possessione fretus idcirco nobilis pronunciatur, non autem verè nobilitatur, quia talis suapte sponte prius dignoscitur: voluntatis inquam habitus iure censetur, quoniam id voluntariè, data opera, proprijs laboribus, longaque patientia sibi ipsi comparauit, aut aliunde saltem videlicet à progenitoribus velut hæreditario iure consequutus est, ita tamen vt eundem nobilitatis habitum intrinsecè possideat eoque iugiter fruatur. Sin autem iniustè præterque rationem omnem seu temerè nobilis à Principe declaretur, siue talis vulgò propter adfluentes diuitias habeatur, sanè tùm id fortuitum fuerit, & malum. Quò fit, vt fortunæ malum potius, quàm fortunæ bonum enuntiari debeat, nec vspiam ille nobilis verè dici queat, etiam si quadringenta nobilitatis in suo scrinio possideat atque concluserit nobilitatis priuilegia, quod quidem historia nobilitati rustici, quippe quam proximo libro retulimus, palàm ostendit. Quocirca nobilitatem nusquam offendi sed merum agnosci figmentum: atque nudius tertius (vt ita dixerim) inuentum, ex diuersis authorum: opinionibus inter se mutuò dimicantibus abunde notum euadit. Nanque nobilitatem ab adfluentia diuitiarum petitum, siue nunc primum comparatæ fuerint, seu per annos mille prius iustæ fuerint conquisitæ: nobilitatem inquam à diuitijs emanatem, eum qui nobilitatus, nulla penitus adficere noua qualitate, ni quidpiam aliud accesserit, superiora dubio procul dilucidè satis ostendunt. Item eum existimari, iure nobilem qui vulgò talis creditur, ac opinionem vulgi sufficere videlicet ad ipsam nobilitatem comparanda: hoc inquam opinari plus quàm decies fatuum esse profiteri seipsum, qui sic

D opi

opinatur, mehercle notius est, quàm vt à quopiam vel stupidissimo dissimulari queat. Itidem eam nobilitatem quam vnus Princeps precipuè summus elargitur, esse qualitatem in eum qui nobilitatur, transfusam, agnosci commentitium quidpiam, & à veritatate prorsus alienũ satis superque nos ostendisse nequaquam diffitemur.

Incontrarium obiecta producuntur. Caput III.

Verum enimuerò superiora quibus vsi sumus, velut axiomatibus quibusdam, vt authorũ, qui de nobilitate conscripserũt, ædificia demoliremur, à scopo fortassis aberrare videantur. Namque supponebamus pro confesso duas enũtiationes, primo fortunæ bonum quodlibet à sensu discerni, secundò dignitatem omnem esse fictum in qua videlicet qualitas nulla penitus imprimitur. At isthæc supposita sunt falsa, sequitur ergo conclusiones, quas inde deduximus in tenebris versari. Probatur adsumptum, quia nõnulli Principes ac Reges eliguntur, qui de regno nullam fortassis vnquam habuerũt imaginationem, quemadmodum historiæ propemodũ innumerę testantur, quippequibus fidẽ abrogare piaculum ac nephas est. Quinimo Mariam Angliæ reginam nostra tempestate per vim ad regnum attractam fuisse cõstat: siquidem Odoardo fratre sublato tunc primùm ex humanis veneno, fugam ex Anglia quęritaret, & aufugisset haud dubiè pertæsa simul ac verita minacẽ ac atrocem hostium crudelitatem ni prope mare magna populi manus iter intercepisset. Quapropter eiusmodi meritò credantur à casu vel à fortuna contingere, quæcunque pręter opinionem imo nonnunquam contra nostram opinionem eueniunt. Vnde quotiens aliqui non cogitantes eliguntur ad regna, præsertim quum ad ea capescenda nonnulli rapiantur sane fortuita cogeris opera talia confiteri, quæ nihilosecius bona sunt, neque tamen-

tamen ſenſui conſpiciuntur obuia. Namque dic obſecro quo ſenſu diſtinxeris Regem ab ignobili, ſi Rex minime ſtipatus appareat caterua militum aut curialium, ſi deſertus alicubi commoretur, ſi careat amicta regio, ſi denique veſtibus alijſue ſemel deſtituatur ornamentis, nempe quibus promiſcuè nobiles priuatim ſaltem vtuntur? Nec obſtat, ſi dixeris id genus, opera non eſſe fortuita, nec ita per conſequens fortunæ bona, quoniam etſi præter opinionem ſuam hi Principes eliguntur, nihilominus electores conſultò fecerunt eam electionem. Vnde nuſquam appareat opus fortuitum. Atqui quotiens eligentium ſuffragia propemodum innumera ſunt, quod iandudum in electione Regis Poloniæ palpauimus atq; ſingulis penè momentis ne dum hebdomadibus vel diebus vacillant hominum ingenia; dic ſodes, an non in tãta rerum varietate ſcilicet, in qua nemo quãlibet ſolers, prudens, vel induſtrius ariolari poteſt, aut vaticinari, ne dum præſagire, quandoquidem aliquando vix coniectari cõcedatur: an nõ inquam in actionibus adeò lubricis effectum diudicari fortuitum vltro non fateberis? An tergiuerſari te non pudebit in re tam ancipiti? Quam ob rem inde liceat elicere, quædam fortunæ bona latere ſenſum, ſicuti Regnum fortuitò collatum, quo caſu Regia dignitas haud internoſcitur, ſi videlicet ea ſemel extrinſeca defuerint, quæ Regiam eandem dignitatem concomituri ſimul ac eidem præſto eſſe ſolent. Proinde primum ſuppoſitum corruit. Item ſi nobilitatem eſſe tẽ fictam atque commentitiam adſtruas, propterea quòd impreſſa minimè qualitas adpareat, atque ita Bartholi definitionem nobilitatis velut ementitum ſiue confictũ explodas: ratione ſimili profectò cũctas in tota penè Republica dignitates & obliteraueris & in vniuerſum expũxeris. At id ſi ſemel admiſeris, quot obſecro ſequentur abſurda? quot hinc emergent atque pullulabunt inconuenientia? Nunquid hoc caſu fateri non cogeris dignitatem ſenatoriam agnoſci nudũ Principis figmentũ. Nonne cæteri iudices æque fuerint laruæ? Quidnam

hoc pacto Principis legatus aliud fuerit ac stipes? Num in hisce quam (sicut in Principe somniabas) qualitatem effingere possis collatam, quæ videlicet veluti fortunæ bonum quoddam (te relatore pariter ac adsertore) sensibus obuiam eat vltroque seipsam eisdem prodat?

Eisdem obiectis occurritur.
Caput IV.

OBsecro siste gradum tantisper, neque longius excurras. Earum, quæ possideri creduntur dignitatum, aliæ sunt intrinsecæ quædam extrinsecè deforisque nobis adueniunt. Intrinsecæ fuerint sicut omnes ad vnum habitus intellectus. Extrinsecè verò dignitates quemadmodum Senatorius ordo, vel prætura, siue legatio. Verùm intrinseca necessariò corpus (si corporeæ qualitates fuerint) aut ipsum adficiunt animum extrinseca verò non omnia præstant hoc idem. Nam extrinsecis quibusdam mirificè noster animus afficitur, & id haud omnino latet sensum, quamquam obscurius, quemadmodum supra de sacris characteribus impressis animo quotiens ordines Ecclesiæ conferũtur, aptè satis commonstrauimus, quo loco planè docuimus idem euenire collationi regiæ dignitatis, non autẽ sæcularibus cæteris dignitatibus. Nam eiusmodi dignitates vna duntàxat excepta regia, dignitates idcirco dicuntur ac reuera sunt, quòd qui talibus funguntur muneribus, & à quibus administratur ritè Respublica, Principem referant atque repræsentent, quandoquidem vbique nequeat esse Princeps nec omnia solus peragere, sed coadiutoribus indigeat. Hinc nimirum Prætores, in dirimendis priuatorum litibus, Senatores in sedandis etiam maioris momenti quęstionibus, Quæstores in exigendis redditibus, denique Præfecti militum supremi, præterea quicunque rebus præsunt magnis, quippe quibus

tus Principem interesse deceret, modò superesse liceret omnibus eisdem, & exquirendis, & exercēdis. Hæc omnia Reipublicæ munia, quanquam Principi conueniunt & eum decent; nihilosecius delegantur alijs, qui Principis eiusdem vices gerunt, & ideo dignitates reuera dijudicantur vnaque sensibus apparent conspicuæ, scilicet quia Princeps publico testimonio simul ac subscripto propria manu Chyrographo, plenam ijsdem in hisce tradit potestatem, & eos loco suo constituit, neque tamen ob id in eosdem aliqua migrat à Principe collata qualitas. Id in summa perinde est, ac si priuatus quispiam procuratorio nomine (sicut aiunt) suo loco constituerit Cæsarem, aut Pompeum ad causas, ad exigendum aliquid, vel ad aliud quidpiam agendum, quod ipse nolit aut sua præsentia præstare nequeat. Cæterùm qui nobilis declaratur à Principe, si nullam in scripto qualitatem honorabilem præseferant, nec à præclaris maiorum gestis iure quodam hæreditario successionis aliquam inde nobilitatem traxerit, de qua gloriari possit: adhæc si nullum eidem à Principe munus publicum fuerit iniunctum pro salute Reipublicæ, scilicet cuius interuentu Principem referat atque ita dignitatem sibi conquesiuerit saltem ad tempus, nempe quousque perdurauerit ea dignitas; in summa si nulla prorsus in hoc temerè nobilitato nec intrinseca nec extrinsica dignitas compareat, nec ei dignum vel honorabile munus aliquod à Principe demandatum fuerit, sed oretenus aut sigillis, & scriptura longa, lata, profundaque tantùm veluti bellum populo suæ ditionis indiderit atque simpliciter nobilem hunc pronuntiauerit idque præter omnem rationem, dic obsecro, quidnam hoc esse putes aliud, quā nudum merumque prorsus nihil? Quam huic pecudi, quæ sola scatet vnaque tumet imò fętet superbia, dignitatē adnectere, vel (hoc supposito quòd sarctor sis optimus) consuere queas? Qui sarcite possis tunicā quę nil ī se boni cōtineat. Quo rādē glutino coire posse quisquilias eiusmodi speres? Isthęc pecu

dis huiusce nobilitatus quum nec sit qualitas nec aliud insuper aliquod accidens appareat, eritne forsitan substantia? Sed iam inuenimus foueam in qua lateat id genus pecudum. Absit enim vt substantia sit, vbi videlicet accidentia non patiantur in eorum cathalago similem impetiginem collocari. Quapropter vndecimum aliud prædicamento comminiscamur, quod adpelletur nihili prædicamentum, in quo velut in cæno delitescat isthæc morosa pecudis nobilitas.

Postremum obiectum infirmatur. Caput V.

AT instabis forsitan rursus. Quicunque licet indignus à Principe nobilis declaratur, hoc ipsum quamquam iniustè fit ac temerè peragitur, veruntamen quoniam à voluntate seu deliberatione Principis proficiscitur, minimè fortuitum esse, nec iure dici queat, quòd fortuita præter hominum voluntatem, & opinionem accidant. Hic arrige aures (Terentiano mihi tropo semel vti liceat) Pamphile. Philosophus in physicis auscultationibus adfabrè nos edocuit, omnia passim fortuita vel (vt rectius eloquar) casualia contingere semper in fantulis belluis, denique rebus inannimatis omnibus scilicet quia belluæ destituuntur ea facultate, qua dijudicamus atque desideramus, pueri verò quamuis huiusmodi possideant, ea tamen non nisi tempore præfinito quodam vti possint, quippe quo iudicare simul ac deliberare possunt. Proinde si Princeps inconsideratè seu temerè quidpiam agat, ad id integre vel prout conuenit, voluntas minimè concurrit. Adeò qui seclusa cogitatione quidpiam attẽtat, quæ iudicium electionemque præcedit secundum naturam, is voluntate sic vtitur, vt sæpenumerò nesciant homines, an id quod alioquin semel egerunt, agere voluerint, nempe quo-

quoniam idipſum ſecluſa meditatione raptim adgreſſi ſunt, Simile quidpiam quotiens dormimus, accidere conſueuit, quippe quo tempore ne facultas quidem ratiocinatrix aut ſenſilis feriatur: ſiquidem ipſæ (ſicut & altrix) nunquam habeant inducias, quia ſemper operantur, quando reſpirent homines indeſinenter atque perpetuò, quod quidem opus ad vnam ſenſilem pertinere facultatem (quidquid Peripathetici ſenſerint Ariſtotelis interpretes) adprimè luculenterque Gal: in opere de motu maſculorum demonſtrauit. Princeps itaque quotiens non ex malitia vel ex vera prudentia, quin potius inconſideratè priuilegijs eorum ſubſcribit, qui nobilitatur, idque neſciens (quod aliquandò contingit,) quid in eo priuilegiò contineatur, ſanè tùm operatur à caſu, non aliter ac infantes ipſi, ſicut & furioſi vel ebrij, quemadmodum & in ſomno quamquan in actionibus huiuſmodi voluntas quoque concurrit, adſertore Galeno: veruntamen quia voluntas eiſdem oſcitanter (vt ita dixerim) adſentitur idque adeò, vt non niſi magna ſolertia vel indagine vehementi diſcernere queas, an ad eas concurrat actiones aut non concurrat, ideo nil vetat, quò minus actiones id genus humanæ rationis à caſu dicantur operari, ſcilicet quoniam in hiſce promendis multò plus præſtant vaporum turbines, quàm exequi ratio queat, ſcilicet quia rationalis facultas hoc caſu potius agitur, quàm agat, quando non imperet eo tempore, nec vincat, ſed obruta pluribus idolis & imaginibus huc illucue trudatur, & nullo penitus ordine ſeruato cauſarum impellatur. Ex ijs ergo quæ diuerſi paſſim authores hactenus de nobilitate literarum monumentis demandarunt, conuincitur nobilitatem nil aliud agnoſci, præter nudum humanæ rationis figmentum.

†

Idem authoritate virorum aliquot insignium comprobatur. Caput VI.

ETsi porro nuper allegatæ rationes euidenter id cõprobant, attamen idipsum authoritate virorum aliquot illustrium fulciri potest. Sanctus Chrysostomus homilia in Matheum scriptum ita reliquit ad verbum: Dic quæso, quid genus, est? (ilico subdit) nil aliud certè, quàm verbi sonitus ab omni re destitutus, quod probè scietis in extremo die, hæc ille. Quidam existimant id enuntiasse Chrysostomũ non absolutè vel simpliciter in vniuersali, sed contra nobiles illos tantumodò, quibus ob malam vitam esse dedecori nobilitas videtur. At hoc minimè satisfacit, quia repræhenderet homines ipsos delinquentes, & eisdem exprobarret vitia, quippe quibus nobilitas maculari nequosque pariter obducere consueuit, haud secus ac otio vel ignauia tandem in bonorum morum extinctionem velut in scopulum impingit, perinde ac si rubiginem aut situm quendam contraheret Verùm hic ipse (quod eius verba palam ostendunt) non delicta nobilium incessit, quinimò genus ipsum impetit. Quid enim hac phrasi seu modo loquendi clarius efferri potuit? Item diuus Hieronymus ad Helbidiam, ait ex iniquitate procedere nobilitatem inquiens Nobilitas mundi nil aliud est, quàm inueteratæ diuitiæ, omnes autem diuitiæ de iniquitate descendunt. Vnde vulgata illa Sententia mihi verissima videtur. Omnis diues aut iniquus aut iniqui hæres, ergo nobilitas generis ex iniquitate descendit, hactenus ille. Quid obsecro manifestius hisce verbis enuntiare potuit? Itidem Philosophus de nobilitate librum conscripsit Stobeo relatore Sermone 84. qui non reperitur, in quo legebatur speciem nobili-

li-

litatis verbotenus tantum intelligi non autem reipsa. Dein ambigit omnino, quos nibiles adpellet. Plutarchus in libro de educandis liberis ita scriptum reliquit: Pulchra res quidem est nobilitas, at maiorum nostrorum id bonum est, Itaque nobilitatem hoc modo loquendi videtur quidem admittere, sed non eam, quæ transeat in posteros, nempe quam omnes ad vnum præcipuè legislatores vna cum eorundem interpretibus prædicant. Huc alludit illud Ouidij: Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto. Dein apud Lucanum libro octauo Cleopatra non immeritò videtur ambigere, sit ne aliqua nobilitas inquiens: Si qua est maximè cæsar nobililas. Prætetra sacræ literæ nobiles innuere videntur eos tantummodò, qui nobilia pronunt, iuxto illud. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Deinceps alio loco: potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. At isthæc nobilitas minimè transfunditur seu migrare creditur in posteros. Equidem existimauerim hosce graues authores rectè sentire nec dare locum fugæ, quādo concisim quidem sed tamen apertè loquantur ita, vt adductam in medium nuperrimè glosam illam, & eludant, & exterminent Nanque si nobilitatis efficientem causam, vulgi clangorem (ita dixerim) aut balatum statueris, nemo stupidus aut vecors est adeo, qui non intelligat eam esse merum vnius vocis humanę sonitum. Sin antiquas aut etiam nouas diuitias parere simul ac adseruare nobilitatem inculcaueris, in eandem planè foueam impegeris, quando qui diues est hodie, cras pauper euadere queat, quod vtique frequenter intuemur, ac ita qui modò nobilis est, paulò post ignobilis pro uarietate contingentium rerum fuerit, vt interim alia consultò missa faciam absurda, quę non ita multò ante produximus. Accedit quod inde colligatur euidenter atque deducatur diuitias non producere nobilitatem, sed ipsasmet diui-

tias

tias diuitiari nobilitatem ipſam, atque ita coincidit iſta opinio cum ea priori, quam vulgus opinione propria nobilitatem efficere vel (vt more loquar interpretum Ariſtotelis) cauſare putat, & acriter contendit. Adeo iuxta placitum authorum huiuſmodi quicunque diuites extiterint, ij protinus nobiles fuerint, & quò ditiores eo nobiliores. Adhæc ſublatis è medio quomodolibet ipſis diuitijs illico nobilitas in præceps ruit & ijſdem redeuntibus ipſa quoque denuo renaſcitur nobilitas, reſurgit atque velut ab inferis reuocatur. Vnde nobilitas nil aliud fuerit hoc pacto quàm ipſæmet diuitiæ. Dein ea quam Princeps vel pro vertigine capitis alicui confert nobilitas, quando non ſit qualitas, vt adpoſitè quo ſuum fulciret inſtitutum, ſomniauit Bartholus, nec aliud accidens aliquod minuſque multò ſubſtantia nobilitas inquam à Principe collata, verbotenus tantummodo nobilitas viſitur, quæ quum eſſentia (peripatheticè loqui cogimur) penitus deſtituatur, neque tamen interea nihil omnino credatur, quandoquidem vniuerſus penè terrarum orbis nobilitatem inculcet, ac elato ſupercilio prædicet, relinquitur eam agnoſci verborum ſonorũ, grauium, ſeſquipedalium, merum, nudum, ſimplicemque ſtrepitum.

Reuera nobilitatem offendi ſolidis rationibus conuincitur. Caput VII.

HActenus ex aliorum opinionibus atque ratiotinijs, qui de nobilitate tractarunt, ex natura rei nuſquã adinueniri nobilitatem (meo ſaltem iudicio) ſatis euidẽter edocuimus, impręſentiarum autem operæprecium arbitramur oſtendere ſolidis rationibus (ſcilicet quatenus id rei natura permittit) in rerum natura, videlicet in humana ſpecie nobilitatem offendi. Primum argumentum ſic habet. Omnes homines promiſcuè tam ineruditi quàm eruditi, tam barbari quàm ciuiles, tam feri

quàm

quam mites, & sic de singulis, opinantur aliquos esse reuera nobiles, quosdam autem ignobiles, quod quidem ratiocinium ab huiusce operis initio statim ex pœna (mihi liceat ita loqui) vel ærario parentis naturæ deprompsimus, ergo datur in humana specie vera nobilitas, quæ propriam nanciscitur essentiam, vt more loquar peripathetico: siquidem quod indiuiduis ad vnum omnibus inesse depræhenditur alicuius naturæ seu speciei, mox illud idem naturale quidpiam necessariò censeri debeat atque côueniat. Accedit quòd in posterioribus analyticis precisè Philosopus hac eadem argumentatione fuerit vsus, ad probãdum scire rectè definitum fuisse. Inquit enim: Tam nescientes quàm scientes fatentur scire nil aliud esse, quàm cognoscere per causam, igitur à nobis ritè definitum est ipsum scire. Nam hæc loquendi Phrasis perinde est, ac si hunc in modum efferret: Quod naturale dignoscitur, irritum esse nequit, quando natura nihil agat in cassum neque perperam. At eadem natura mortalibus inseruit hoc postulatũ vna cum innato desiderio causarum cuiusque rei dignoscendarum, igitur est naturale. Secundum ratiocinationis adsumptum probatur, quoniam id in est omnibus indiscriminatim humanæ speciei particularibus. Ad eundem modum argumentatio nostra procedit. Omnes homines existimãt inter eos quosdam esse dignos honore, quosdam autem indignos, ac ita per consequens ignobiles, igitur id iudicium, vel hoc ipsum sentire cum omnibus insit, naturale dignoscitur. Vnde consequitur nobilitatem aut ignobilitatem inesse cunctis hominibus. Secundò sic argumentor. Inter homines, quosdam intuemur ad prę clara gesta propensos, deinde nonnullos videre liceat rebus ita vilibus addictos, & (vt ita dixerim) emancipatos, vt inde nusquam diuelli queant. Non imus inficias quanplures in republica nobiles adinueniri plebeis longe peiores quandoquidem in quocunque statu hominũ arbitrij libertas expungi nequeat. Quinimo nobiles quia plerunque sunt ingeniosi iuditioque pollent, in-

quan-

quacunquē partem deflexerint, optimi viri protinus euaduntaut sceleratissimi, quando prȩclara passim ingenia (Platone relatore simul ac authore) mediocritatem auersentur. Veruntamen nobiles vtcunque facinorosos perpetuò fere videas, obtinere quandam ad excelsa propēsionē,& inclinationem. Nāque specie boni decipiūtur existimātes maxima facinora nonunquā esse prȩclara gesta. Prȩcȩteris(exēpli gratia) magnanimitas Italiȩ nobilibus apparet iniurias vlcisci, cum alioquin id rectè iudicanti vituperio dignum agnoscatur, ac verè fortis atque magnanimus is meritò censeatur, nempe qui graues iniurias ȩquo animo sustinere possit, & vltionem execretur; præcipuè quotiens vlciscendi conceditur opportunitas. Itaque sermonem in exiguo verborū spacio velut in scrinio concludentes, à posteriori (quemadmodum Logici loquuntur) Dialectica methodo ratiocinamur hunc in modum. In quouis hominum statu nonnulli visuntur ad vilia semper inebinati rerumque vilium cupidi, quidam autem ad excelsa propensi ita, vt nihil verè quod non eximium sit atque præclarum, animo concipiant resque solummodo difficiles attentent. Ergo nobilitas inest hominibus, aut ignobilitas.

Idem testimonio Sacræ pagini confirmatur. Caput VIII.

Porro non solùm authores Ethnici simul ac sæculares christicolæ nobilitatem admittunt, verum etiam ex sacris literis ea commendatur. Nanque Numero primo Ecclesiastes 25. Deut. primo. denique primo Regum cap. 2. & multis alijs in locis, quæ breuitatis gratia prætereo, nobilitas apertè commendatur. At omissis de industria veteris testamenti locis, noui testamenti solum authoritatibus initar. Nanque Matthei capite

pite 15. scribitur: Venit Ioseph ab Arimathia nobilis decurio. Item Lucæ 19. scriptum inuenimus: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum. Itidem Pauli prioris Epistolæ ad Corinthios capite primo. Videte enim vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, & quæ sequuntur. Præterea Capite 4. Nos infirmi, vos autem fortes, nos nobiles, vos autem ignobiles: alij vertunt nos clari, vos obscuri. Similia leguntur capite. 11. & 15. Rursus in Actis Apostolorum capite 17. Ecce de gentilibus multitudo magna, & mulieres nobiles non paucę. Adhęc ibidem paulò post ita legitur: Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thęssalonicę. Postremò Sanctus Lucas in ingressu statim Euangelij sui maiorum Diui Iohannis nobilitatem prędicat, vt ibidem adnotat Ambrosius inquiens: Plena est laudatio, quę genus, mores, officium factum iudiciumque compræhendit. Diuus quoque Hieronimus tantum nobilitati generis detulit, vt in Epithaphio Piolę generositatem primo loco nominauerit. Accedit quòd Eusebius Cæsariensis in libro hystorię Ecclesiasticę vndecimo capite 9. nobilitatis voce sanctos commendauerit plurimos. Quinetiam ignobilitas adscribitur falsis dijs, quemadmodum vero Deo nobilitas, vt patet in C. Adam 40. dist. Similiter memini Deos Homerum, & homines titulo nobilitatis decorasse. Verum nolim hic inuoluisse silentio, citatis nuperrimè locis, vbi multotiens glorięsit mentio, per gloriam vt pote contrariam ignobilitati, continuò nobilitatem intelligi. Nam primo Regū (verbi gratia) capite secundo sic ad verbum scriptum reperimus. Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles, quo loco nimirum apertè ignobilitas opponitur glorię. Cęterum vrgebis forsitan hunc in modum. Authoritates nuper allegatæ non innuunt quidem aut indicant, imò manifestè declarāt veram nobilitatem in solis actionibus cōsistere.

sistere, quando sacra pagina sic enuntiet: Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnũt me erunt ignobiles, & alibi (quod supra nominauimus) si filiæ Abrahæ estis; At isthæc nobilitas minimè transit in posteros, ergo non est illa nobilitas, nempe quam vniuersus orbis admittit, & cuius naturam, & essentiam hic inquirimus. Istud obiectum exiguo negotio tolli potest, quia nemo potest fieri nobilis, nisi facinorum egregiorũ interuentu. Proinde quicunque viribus omnibus exequitur mandata Dei vel ignobilissimus, dubio procul is in nobilem euadit. At hoc non impedit, quò minus is, qui successiuè proficiscitur atq; progignitur à parẽtibus nobilibus, etiam si propria virtute nõ fulgeat, modò vitijs haud scateat, & infamis agnoscatur: hoc inquã haud vetat, quò minus viri nobilis filius verè censeatur nobilis. Hinc Ecclesiast. c. 10. legitur: Beata terra cuius rex nobilis est, siue (quemadmodũ alij vertunt) filius nobilis. Hic sanè (velis, nolis) ea nobilitas intelligitur, quæ transit ac veluti peregrinatur in posteros, quando tacitè saltẽ innuat imò supponat veluti iamdiu receptum & experientia comprobatum, nempe nobiles eorumque natos si non semper, certè saltem vt plurimùm ignobilibus adinueniri cùm prudentiores & ad regna moderanda magis aptos ac idoneos, tùm insuper meliores, alioquin parui referret nobilem imperare vel ignobilem. Adeò legislatorum sententia quippe qui nobiles ad moderandas vrbes magistratusque gerendas dijudicarunt aptiores, mirificè videatur diuinis eloquijs consentire. Illud philosophi quoque libro 1. de hystoria animalium capite 1. non ita multò ante finem obiter ac veluti per transennam, sed tamen accuratè venit perpendendum, nempe leones ab eodem Philosopho nobiles appellari, lupos verò generosos: siquidem id verè dicatur nobile, quod ex bono prodijt genere, generosum autem propriè vocetur, quod à sua natura quantumuis ignobili nusquam, aut rarò saltem degenerat.

Si-

Significatum huius verbi nobilis explicatur. C A P. IX.

SVperiora meo quidem iudicio nobilitatem in hominibus qualitatem esse realem, non autem commentitiam, præcipuè cum in rebus pariter inanimatis aliqua conspicantur nobilia, quædam autem ignobilia, dilucidè satis ostendunt. At cum hactenus nemo quanlibet solers & industrius adhuc scopum attigerit, nostra dubio procul interrest initi totis viribus vt sepultam hucusque rei tam præclaræ singularem intelligētiā ex vmbraculis (quod passim efferri consueuit) in solem eliciamus, & euocemus. Itaque primò definitionem quid nominis ita nuncupatam à logicis, id est, notionalem definitione adgrediemur: siquidem ea diligenti rerum difficilium indagini magnas perpetuò suppetias adferat, viam sternat, & ad penitiorem disquisitionem iter tutum præparet. Vocabulum nobilis, vt plurimùm apud latinos authores vsurpatur pro noto siue pro claro. Quò fit, vt nobilis intelligatur vir præ cæteris notus & clarus & ignobilis ignotus vel obscurus. Vnde nobilitas dicitur quasi lucens & ignobilitas tāquā oblita tenebris. Hincq; ignobiles, obscuri dicuntur, nobiles autem illustres. Hinc claritudo generis prædicatur, & nobiles clari vocitantur. Vnde Venetijs magnus existimatur nobilium titulus, nempe quotiens aliquem appellant Clarissimū. Authores præterea clasici nobiles dicunt summo loco natos, hoc est summa familia vel summo genere. Vocitant eosdem pariter insignes, & inclitos. Contra dicunt ignobiles imos vel infimos, & humili loco natos. Plautus in Cistellaria summates vocat matronas, id est summo genere ortas, hoc est, nobilissimo Silius libro octauo graphicè describit ignobilem inquiens. Ast illi sine luce genus surdumque parentum nomen, & Plinius libro 22. capite. 2. Surdum appellat, quod est ignobile. Tullius con-

contra Saluſtium ait: Ego meis maioribus virtute meã præluxi. Tu tuis vita, quam turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras, vt etiam ſi fuerint egregij ciues certè venerint in obliuionem. Hinc patria quoque nuncupatur illuſtris vel obſcura, id eſt, nobilis vel ignobilis. Alium authores commenti ſunt nobilitatis titulum. Firmicus Maternus libro Aſtronomicon ſexto capite tertiò dicit progenitum ex nobili ſtirpe, natum ex alto genere Hinc nimirum Galli, ſicut & Hiſpani Principem honoris gratia vocant altum atque potentem. Nam alij quoque plures authores claſſici vſurpare ſolent aliquando vocem potentis pro nobili. V[illegible]ntamen propriè differunt. Nã præter quamplura loca Ciceronis ac Terentij manifeſtũ indicantia diſcrimen, habemus Pauli locum prioris ad Cor. cap. 1. vbi ait: Non multi potentes, non multi nobiles. Item in cap. Super eo lib. 2. de teſt: quum dicitur: potentia, nobilitate, honore. Itidem hoc docet illa quæſtio Can. in Cap. conſtitutis lib. 2. de ap. & lo. An in ſacerdotijs conferendis conſideranda veniat magis potentia quàm nobilitas. Idcirco fatuè nobiles quidam priuati ſeipſos ampulloſo titulo potentes vocitant.

Opinio quorundam ſcribentium infirmatur. C A P. X.

PORro quidam exiſtimant haud ſemper accipi notum pro nobili, cuius quidem opinionis fuit Andreas Tyraquelus ille Polygraphus: ſiquidẽ Tullius actione ſecunda Verrem à nobili notum manifeſtò diſtinxiſſe videatur inquiens: Qui non tam me impediunt, quòd nobiles ſunt, quàm adiuuant, quòd noti ſunt. Idem in oratione pro Marco Cælio: Res eſt omnis in hac caſa nobis iudices, cum Clodia muliere non ſolùm nobili ſed etiam nota. Rurſus pro Lucio Flacco: Cæteri homines apud nos noti inter ſuos nobiles Præterea Varro libro Reipublicę tertio capite primò inquit. Hæc nota & nobilis.

Equi-

Equidem existimauerim noti nomenclaturam vni propriè præ cæterisque nobili competere, non quòd nobilis actu semper innotescat, quando contingere possit, vt incognitus sit, sed quia nobilis vtpote clarus atque propria natura conspicuus, optimo iure cunctis innotescere debet, idque necessariò, ni fortè quidpiam obstiterit, quò minus actu notus euadat. Contra tenebris obsitus videlicet ignobilis etsi proprijs operibus innotescere paucis deberet, velut obscurus propria natura, nihilominus aliquo casu contingit, eundē in hominum multitudine notum fieri, cum alioquin, nec propria virtute neque suorum gestis, maiorum aliquo pacto sit (vt ita dixerim) cognoscibilis. Exempli gratia, sed inter astra cætera nobilissimus vtpote lucidissimus omnium ac ita per consequens propria virtute notissimus, attamen aliquando terræ vel densarum nubium interuentu sensum effugit ac modo quodam latet. Contra vero luna secundum naturam propriam opaca pariter ac ignobilis, & minimè cognoscibilis (vt ita loquar) nota nihilosecius atque conspicua pluries beneficio solaris luminis euadit, quod quidem hominibus obscuris, & ignobilibus aliquando contingere consueuit, scilicet vt aliorum splendore quatenus illustrentur, notique pariter euadant. Adeò quod scribentes hic de nobilitate nobis indicant, nempe disiungi notum à nobili simul ac nobilem ignotum esse posse, mihi profectò nusquam adridet: siquidem. Tullius in hisce locis nuperrimè citatis (meo saltem iuditio) planè nil aliud innuat, quàm vt propriè nobilē per se notum (ea ratione qua nobilis est) esse continuò per se notum, ignotum autem per accidens; ignobilem verò quatenus ignobilis est, ignotum per se seu propria natura, veruntamen innotescere vel illustrari per accidens atque secūdariò. Cæterum hic obiter quoque venit adnotandū hasce voces, nempe nobilem atque nobilitatē à latinis authoribus vsurpari frequenter in malam partem, sicut & famosum in malam, & in bonam partem sumitur.

Veruntamen scelera conuenit, & oportet esse grandia, si debeant appellari nobilia, non aliter ac operationes bonas, quæ videlicet ignobiles nobilitant, haud mediocres multoque minus exiguas, quinimò raras, & eximias esse necessum est, alioquin dignæ laude fortassis dici queant, nobiles verò nequaquam. Hinc nobile scortum, nobilis latro, & homicidæ nobiles dicuntur, quotiens aliquod scelus difficile vel insigne patrant seu difficulter committunt. Vnde Tullius libro 2. officiorum inquit, Testis est Phallaris, cuius est præter cæteras nobilitata crudelitas. Id etenim nostro plurimum fauet instituto. Nanque Phallaridis delicta si fuissent exigua, vel mediocria nequaquam comparuissent euidentia nationibus omnibus. Atqui propter magnitudinem notissima cunctis euaserunt quandoquidem exilia latere nos plerunque consueuerint: ratione magnitudinis inquam notissima fuerunt, atque ita per consequens nobilia, quando nobilitas raritatem atque difficultatem necessario supponat. Quam ob rem notum à nobili minimè venit distinguendum. Adeo commeare mutuoque retrouerti seu reciprocare videantur ita, vt quidquid per se notum est, continuò nobile censeatur, & quidquid est nobile, mox natura suapte notum intelligatur. Itaque per se discrimen ab eo, quod est per accidens, quod hoc loco nuperimè citatos authores latuit, eisdem per clam imposuit caliginosasque tenebras offudit.

†

Ve-

Veræ nobilitatis proprietates inquiruntur. *Caput XI.*

VBi nobilitatem adinueniri multis, & rationibus, & authoritatibus comprobatum est, deinde postquam definitionem huiusce verbi: nobilis, notionalem ob oculos cõstituimus, significataque nobilitatis apertè distinximus quippequæ nimirum apprimè nostro conferunt instituto disquisitionique quam suscepimus, haud mediocres adferunt suppetias, proximum est, vt nobilitatis eiusdem adfectiones vel (vt scholasticorum verbis vtar) passiones pro virili nostra disquiramus: siquidem accidentia relatore simul ac authore Philosopho plurimùm conferant ad indagandam peruestigandãue rerum (vt ipsi loquuntur) essentiam, imò difficilibus in rebus aliam vix methodum reperias, quandoquidem earum causæ captum nostrum effugiant, & naturaliter (vt peripatheticorum interpretum verbis vtar) nobis incognita sint. Veris nobilibus vt pote sublimia præter cæteros meditãtibus quod ad actiones humanas pertinet, simplicitas adscribi cõsueuit velut adfectio, siue passio propria nobilitatis idque iuxta illud Ouidij libro Fastorum secundo. Quo ruitis generosa domus? malè creditis hosti: simplex nobilitas perfida tela caue: vbi de Fabijs loquitur Romanornm antiquorum nobilissimus. Dein in libro de Ponto scribens ad Fabium Maximum inquit? Conueniens animo genus est, tibi nobile namque Pectus, & Herculea simplicitatis habes. Nam etsi nostra tempestate simplicitas à plurimis nobilibus procul absit, & nihil minus hodie sint. quàm simplices, attamen simplicitas nobilibus natiua genuinaque secundum naturam visitur, quanuis illi vitijs emancipati vel educati perperam, eandem propria culpa genuinam simplicitatem verterint in ad fictitiam nescio quam calliditatem, sæuitiam, asperitatem, denique

E 2 su-

superbiam execrabilem, Mitto quod passim hodie plures falso nobiles vel superciliosè seipsos profitentur, & (vt adpositè magis eloquar) venditant, Agunt etenim id homines id genus, velut apum aut formicarū refertum cōgestarum examina, quandoquidem seipsos in multitudinem nobilium intrudant superbè, quum alioqui nihil minus sint quam nobiles. Aliam nobilitatis adfectionē Macrobius Satu: capite primo recitat nempe raritatem. Nanque meritò nobilitatē raram ibi appellat propterea quòd eæ res ex quibus præcipuè nobilitas paratur atque producitur, raræ sint, quemadmodum scientia, virtus, diuitiæ, militaris ars, & alia id genus rara sint admodū, & in paucis conspicantur. Hinc nimirum in dignitate constituti nobilesq; præ ceteris anxij solicitiq; visuntur admodum, ne præcipua domus eorum veluti rarum quidpiam (quādo rara raros pariter deceant) extra suam familiam alienetur. Quo fit, vt experientiæ legislatores vltro subscribant. Vnde statuta quædā, & consuetudines principalē domum primogenitis relinquunt suæ successionis nobilium personarum, cuiusmodi sunt (a multis etenim id mihi relatum est) in multis Galliæ partibus. Tertiam nobilitatis adfectionē Baldus adnotat cōsilio 327. nēpe desiderium libertatis vltra cæteros omnium rerū, quod experientia docet, cum alioquin si verè nobiles fuerint præcipuè nobiliter educati, minus eis liceat, & licere debeat ac cæteris, neque liberum eis appareat, quanplura facere, scilicet quæ cęteris absque dedecore licent, & eis cōdonātur. Quartum nobilitatis accidens est amabilitas quādo nobilitas amabilis natura suapte perpetuò videatur. Quin etiā mulieres magis erga nobiles adsitiuntur quàm ignobiles. Vnde Virgilius 4. Aeneidos ostendens quæ Didonem pellexerint, & incitauerint ad Aeneam amandum inquit. Multa viri virtus animo multusque recursat Gentis honos, & in oratione pro Publio Sextio Tullius ait. Erat enim hominum opinione, nobilitate ista blanda, conciliatricula commendatus.

Re-

Reliquæ nobilitatis adfectiones enumerantur. Caput XII.

QVinta nobilitatis adfectio maximè propria siue peculiaris agnoscitur liberalitas atque clementia, quemadmodum aurea verba legislatoris ostendunt in C. 1. de do: quæ sic habent. Hanc sibi quodammodo nobilitas legē imponit, vt se debere quod sponte tribuit, existimet, & nisi in benificijs creuerit, nil se pręstitisse putet. Itē Romæ in monte Quirinali siue foro Traiani in vno frustro marmoris inter alia multa fuit inuentus hic titulus: Potētissima dos in Principe liberalitas, & clemētia, quæ nimirum verba sunt auro quouis preciora. Hinc de iure communi donatio pręsumitur in nobilibus, sed non in ignobilibus. Præterea donatio nobilium nullum præmium sperat neque renumerationem, ignobilium verò secus. Adhæc nobilis haud potest petere salarium sui laboris? Sexta nobilitatis proprietas, extrinsecè dignoscitur notis etsi nescis eas exprimere verbis vel calamo describere notas. Nanque constat experientia scilicet inijs, qui nobiles verè sunt aut Mechanici vel rustici, species, vultus tantum haberi virium ac gestus corporis, vt non solùm mores hominum (quod leges ciuiles insinuant) sed & generis quoque nobilitatem, & ignobilitatem ad viuū referant. Notæ corporis enim id indicant, quantumlibet nobilitatem quis mentiri conetur. Hinc Ouidius libro 2. fastorum de Romulo, & Remo.

Si genus arguitur vultu nisi fallit imago.
Nescis quem è vobis suspiter esse Deum.

Idem eodem opere libro 4.

Nec facies impar nobilitate fuit.
Martia sacrifico deductum nomen ab Anco,
In quo par facies nobilitate fuit. Et subdit.
Par animo quoque forma suo respondet in illa.

Et genus, & facies ingeniumque simul.
Huc etiam alludit illud in Epistola paridis ad Helenam.
Forma vigorque animi quamvis de plebe videbar,
Indicium de te nobilitatis erat.

Itidem apud Homerum multa talia leguntur, & apud Euripidem in Hecuba. Quibus planè docemur nobilitatem vel de industria tectam ac dissimulatam se se nihilosecius vultu pariter, ac gestu prodere. Porro proprietates huiusmodi vel indicia nobilitatis multò cōspicua magis appareant in vno quam in alio, prò qualitate maioris aut minoris nobilitatis, quando Iurisconsultis aliquòt adsertoribus putà Sal.(quod quidem rationi consentaneum est, & nos hoc idem infra probabimus) eiusdē generis alium alio nobiliorem esse contingat nedum in diuersis generibus. Nam alij nobilitatem à genere solummodò nanciscuntur, quidam à scientia vel à moribus, nōnulli verò, qui cęteris nobiliores merito diiudicantur, ab vtroque nobilitatem sortiuntur. Cæterū sicut aqua videliter impēsè quantumuis excalfacta suapte sponte, ni deforis quidquam impediat, ad suam facilè redit naturā, quod quidē de singulis promiscuè corporibus ad vnum omnibus intelligi velim tam compositis quàm simplicibus: ita nimirum propria virtute ianpridem (vt sic dixerim) nobilitatus sua sponte tanquam in via lubrica constitutus, in ignobilitatem denuo velut in præceps relabitur, ni continuò seipsum in virtutibus nuper adquisitis laboriosè contineat acriterque sibi ipsi vim inferat, scilicet quousque sæpenumerò reiteratis repititisque per interualla per quàm exigua nobilibus actionibus, in portū(vt ita loquar) totius peregrinationis appulerit, id est, donec habitum exercitatione longa cōquisiuerit, quippe quem toto vix totius vitæ curriculo vel natura solertissimo cōsequi licet atque propter ignobititatis lubricam ad opera vilia quantumuis bona vel vtcunque laude digna propensionem conceditur.

Digitized by Google

Propositum in coronide primi libri quæsitum hic examussim excutitur. CAP. XIII.

HInc apertè nodus ille quē in coronide primi libri huius operis in medium produximus dissoluitur, vbi quęrebamus, an propediē (vt ita loquar) factus nobilis, id est, qui prius fuit obscurus, at ob eximias animi dotes in virum deinde nobilem euaserit: num is inquā anteire debeat ac iure sit eo nobilior, qui virtute quanlibet omni destitutus uisitur, sed tamen ex nobili genere prodijt, ad hæc nobilitati suæ nullum opposuit obicē, id est, nullum turpe facinus patrauit, aut commisit quo suam commaculare nobilitatem vel ei derogare potuerit. Nam superiora palam edocent habitum eo firmius hærere difficiliusque dimoueri quo maiores longa temporis intercapedine radices egerit & altiores. Vnde nobilis nouus adinstar in lucem emissi vel editi nuper conceptus vtpote iusto mollior, & imbecillas etiamnum obtinens vires exiguo negotio cùm labascit tum planè concidit, quando quod, paulò ante suppositū est exemplo rerum natura cōstantium, ad naturā facilè suā vnūquodq; remeet & auidè reuertatur. Quāobrē nobilis antiquus, vtcunque vagiēs in cunnis adhuc infantulus, nedum adultus, omni penitus virtute destitutus: nobilis inquā antiquus, hoc est, qui ꝓdierit ex nobili genere, qualiscūque tandem is fuerit, modò suis criminibus propriaue culpa nobilitati suæ vim effatu dignā nō intulerit, nobilitato iandudum vtcunque præclaris animi dotibus insigni, sed tamen ab ignobilibus orto parentibus, dubio procul nobilitate venit anteponēdus. Nam hic quia firmiorem nactus est nobilitatis habitum, qui videlicet in alterā quasi mutatus est naturam, solidiorem pariter habet inclinationem ad operationes excelsas, etsi propter desidiā fortassis aut aliud quoduis obstaculum nullū (vt ita dicam) nomē aut famā, nec vllū genus virtutum sibi

conquisiuerit. Nouus vero nobilis vtcunque clarus virtute quemadmodum de mulieribus negandi loquitur, omnium hominum maximus Hippocrates (excipio sāctitate Spirituque sancto cōspicuos, loquor secundū hominē) quippe quæ primis mensibus ob nimiā fœtus mollitiem aboriūtur facillimè: nouus inquam nobilis vtpote lubricus, ni continuo sibi cauerit, indesinenter obluctetur, iugiterq; sibi ipsi vim inferat, crebrius multò prolabitur ī actiones viles, vt qui facilè redeat ad suam naturā, & nō nisi summa uirium animi contētione queat inde diuelli, quàm natus nobilis vel hoc supposito, quod in rebus præclaris nunquā seipsum exercuerit. Accedit insuper quod eorum qui nascūtur ex nouis nobilibus, admodum paucos (experiente texte) reperias, qui non redoleant adhuc fomitem (vt sic dixerim) maiorum suorum ignobilē, adeò semper ferè quandam præ se ferāt inconcinnam, & male olentem (si fas est ita loqui) rusticitatem, sicut enim habitus boni. vel nobiles suas perpetuò vires exerunt, ita mali seu viles habitus percontrarium bonos atque nobiles videlicet eis infensos imò penitus hostiles acriter impetunt, & indesinenter sic oppugnant, vt eos quoque multotiens expugnent. Adeò namque eos è medio tolūt atque funditus (quod dici solet) euertunt.

Quid propriè sit degenerare quidque mutationis voce vel solutionis intelligi debeat libro 4. de generatione animalium capite 3. docetur. Caput XIV.

Atqui iam videtur tempestiuum, vt nobilitatis adfectionibus vtcunque diligenter explicatis ad ipsā rei naturam nos ipsos enucleandam accingamus. Id autē cōmodè fiet, si prius ea, quæ tradūtur à Philosopho libro de generatione animaliū 4. capite 3. diligēter pro nostra virili discusserimus: quo in loco si alias vnquam, suū ita Philosopus ingenium extitisse diuinum potius quam huma-

manum palàm ostendit nedum insinuauerit simpliciter aut indicarit, vt hoc loco mihi maiorem excitarit admirationem, quàm in eis dogmatibus quæ discussit in tribus de anima libris quanlibet extra communem ingeniorum omnium aleam (vt ita dixerim) positis. Itaque pro capitis eiusdẽ intelligentia primò venit subijciendũ, & loco mutationis vocem vsurpari pro degeneratione. Nam degenerare dicitur aliquid propriè, quoties à genere proprio discedit ac in oppositũ transit, & hoc ipsum ab eodem eo loco mutata nomenclatura, mutari pariter effertur. Ibidem solutionis vocem frequenter vsurpat. Nanque sicuti mutatio siue degeneratio (quod idem est eo loco) fit in oppositum, ita solutio fit in propinquum. Verbi gratia fœtus si patri vel matri similis fingi nequeat Auo vel alicui maiorum sæpenumero similis gignitur, atque hæc vocatur solutio, quandoquidem motus paternæ similitudinis à Philosopho solui dicatur in propinquos nõ autem immutari vel degenerare. Secundo notãdum est, initium degenerandi primum esse fæminã gigni propterea quòd natura marẽ potius adfectet vtpote perfectiorẽ. At eam impropriè denominari degenerationem Aristotelis loquẽdi modus palàm denuntiat, quãdo ita dicat ad verbum. Qui enim suis parentibus similis nõ est, monstrum quodammodo est. Discessit enim in eo quodammodo natura ex proprio gene cæpitque degenerare (subdit ilico) sed initium primum degenerandi est fæminam generari, non marem. Hæc ille. Proinde quum nasci maioribus persimisem fætum non autem proprijs parentibus à philosopho non appelletur mõstrum absolutè vel simpliciter, quinimò cum hac appendice: quodãmodo sicut, & eodem loco protinus naturam ex proprio genere quodammodo discessisse subintulit ac cæpisse degenerare. Nam sicut is qui proprijs parentibus similis non est propriè nundum degenerat, sed cum hoc adiuncto videlicet: quodammodo pariter ac degenerare tantũ incipit, & quod incipit dubio procul tale nundum existat, multò minus progigni fæminam erit degenerate simpliciter sed p metaphorã, quãdoquidẽ in

generatione fęminę minus degeneret fætus, quàm quũ parẽtibus dissimilis enascitur. Vnde subdidit fęminã gigni necessũ esse, quòd necessario cõtingat aliquãdo maris geniturũ superari, scilicet ob senium aut iuuenilem ætatem vel alias id genus causas. Subdit id à natura statutum fuisse propter finem speciei conseruandæ. Quò fit, vt propriè progigni fęminam, à natura videlicet exoptatam secundariò saltem, & intentam minimè præter naturam dici queat, ac ita per consequens gigni fæminã vtpote propter finem à natura necessariò desideratam, non nisi per metaphoram degenerare dici queat: sicut & in propriè dicuntur fætus maioribus persimiles non autem parentibus degenerare, quia tantisper ab exquisita naturæ perfectione distant. Nam etsi magis naturale visitur vtpote magis in ea specie perfectum, nasci marem parentibusque similem, quàm eff[illegible]mari fæmellam vel maioribus similiorem ac parẽtibus attamen hoc ipsum quoq; scilicet effingi fæminę aut similẽ maioribus à natura desideratur (vt sic dixerim) ac intẽditur, quãuis magis eadẽ natura marẽ anhelet aut parẽtũ similitudinem velut effectus eiusdem formæ perfectiores, ac ipsam fæminam aut maiorum similitudinem. Verum enimuerò generari mõstrum, quoniam id minimè necessarium dignoscitur propter finem, quum à natura nullatenus intendatur, quamuis necessarium appareat per accidens, ac ratione materiæ scilicet, vt imperfectæ vel (vt ego quidem Philosophum interpretor) irritæ nonnunquam euadant actiones naturæ propter concursum causarum hinc & inde seipsas mutuò lędentium & impedientium.

In generatione non solùm particulares verumetiam vniuersales operari facultates atque substantias, etsi propriæ magis operantur ac vniuersales. Caput XV.

EOdem capite Philosophus edocuit semini genitali plures inesse potentias, quarum aliæ propius insunt, aliæ remotius, idque sub ea ratione, qua genitale est, & non per accidens, puta si grammaticus aut vicinus cuiusquam est, qui generat: siquidem id accidere queat, cum alioquin eæ potestates nusquam in semine reperiantur. Hic illud omnino venit subijciendum, nempe nō solùm id generare quod particulare dignoscitur, verumetiam quod genus est, & vniuersale, quamquam in generando semper valet magis atque præpōderat, quod proprium, id est propinquius est ac particulare visitur, quandoquidem id hoc substantia verius censeatur. Hoc enim scilicet particulare substantia est (inquit Aristoteles) id est, substantia magis est, vt ego quidem interpretor, quandoquidem vniuersales naturæ pariter substantiæ passim existimentur ac reuera sint. Philosophus deinde subintulit: quod enim gignitur etsi quale quid est, hoc est, (quēadmodum ego rursus interpretor, idque contra communem fortassis opinionem exponentium Aristotelem alijs locis) vniuersale, quum in seipso naturam atque substantiam vniuersalem contineat, tamen hoc quidquā est idque substantia est, inquit Philosophus. Ego verò sic interpretor. Particulare, substantia est nō ipsum solum, sed magis ac ipsum vniuersale, quippe quod solum subsistere nequeat, particulare verò subsistit, quoniā in seipso cōtinet omnia quecūq; requirūtur ad subsistentiā, neque subsistere posset, ni substātias vniuersales in proprio sinu (sic fari liceat) cōcluderet vnà cum appēdicibus particulari-

lari-

laribus, haud minus (imò plerũque magis) à materia quã à specie seu forma depēdētibus. Deinde subintulit Philosophus ad verbũ: Ad eiusmodi omniũ motus insũt seminibus, sicut & eorũ motuũ facultates omnes. Nō iniuria subintulit eiusmodi verba. Nã ij motus apertè dignoscũtur intrinsecè. Quò fit, vt necessariò naturaliter insint, & efficiens necessariò sortiãtur intrinsecũ quod aliud effingi vel esse nequeat quã ipsa natura quippe quę potestates veluti caudices, aut palmites ab vno trũco pullulãtes obtinere consueuit, quæ quidem facultates, vt ab vna totius corporis natura proficiscũtur ac instar surculorum prodeunt, ita nimirum eædem potestates proximæ dignoscuntur eorundem motuum, & effectuum efficientes causæ. Verùm illud interea paulò diligentius expendendũ accuratiusue considerandum, cuius ab initio capitis huiusce meminimus, nēpe quotiens natura generationē attentat, nō solũ agere particulares, verũetiam vniuersales potētias impartiri suũ opus. Nanque ni distinxeris à naturali speculatione logicã cōsiderationē, in scopulũ protinus impegeris ac ita miserè collisus occũbes. Qui tractatũ Aristotelis de summis rerum generibus, hoc est, de prædicamentis interpretantur, existimant vniuersales substãtias agere nusquam, & actiones promiscuè cuilibet vni tantùm adscribi debere composito, iuxta communem regulam, vel hypothesim vbique veluti per cōpita decantatam, scilicet actiones tantummodò suppositorum esse. Cæterum haud animaduertunt in suppositis operationes emicare facultatum interuentu, quippe quas vna totius compositi natura surculorum instar germinat. Vnde licet anima siue rationalis facultas non intelligat, quemadmodum neque sensilis potentia (loquendo propriè) sentit, ita mediusfidius homo per intellectricem potestatem intelligit, & sensilis adminiculo potentiæ sentit, quemadmodum & motricis vnius opera molem corporis exagitat. Adeò non iniuria Philosophus hoc loco substantias vniuersales operari minimè diffitetur, quotiens natura generationem animalis

malis attentat, & adgreditur. Neque tamen id interim dogma conuellitur, quo suppositorum actiones prædicantur, quando composita non nisi facultatum adminiculis operentur, quæ facultates verè dubio procul substantiæ sunt vniuersales. Hæ porro substantiæ vocitantur vniuersales à Philosopho naturali, non quòd de pluribus enuntientur, siue plura veluti proprium intra sinum concludant; quinimò substantiæ dicuntur, & vniuersales, quia sicut in hoc particulari resident, exempli gratia, vel operantur, ita natura suapte nimirum idonea vel apta sunt, vt in pluribus alijs eiusdem generis vel speciei singularibus offendi queant, & in eisdem operari similiter.

Semini motum inesse potentia vel actu qui debeat intelligi diligenter inquiritur.
CAP. XVI.

IN præsentiarum accuratè venit perpendendum, qui commune debeat illud intelligi theorema, nempe facultatem inesse genitali, semini potentia vel actu. Neque decet Philosophum rixari de vocabulis, quemadmodum plerique factitant Aristotelis interpretes, aut summoperè niti decet, vt penitiores rerum naturalium recessus rimemur, & quoad fieri licet, oculis mentis intueamur. Existimant etenim illi passim aliquid in potentia propriè denominari, quod nullatenus agat, quo modo nimirum esse primum subiectū in potētia dictitant. Atqui non aduertunt quantitatem quanlibet interminatam limitibusue destitutā è primo subiecto proximè, quod materiam primam vocitant, pullulare pariter ac (vt ita dixerim) germinare. Hoc ipsum Auerrhoes in physicis auscultationibus non diffitetur, nec aliam interminaturum huiusmodi quantitatum efficientem causam comminisci vel effingere liceat, quod

qui-

quidem haud dubiè nobis plenam facit fidem, quòd materia prima nequaquam omni penitus actione destituatur, atque ita per consequens nec immunis ab omni penitus actu comperiatur. Proinde quod eis per clam impofuit, hoc meo saltē iudicio fuit in causa, quòd Philosophus vbiq; primū informe subiectū esse prędicet, & ad omnes actus ꝑmiscuè suscipiēdos idoneū inculcet. Hinc Auerrhoes ita ꝓnūtiare cōsueuit. Si materia prima propriè aliquē haberet actū, alias minimè posset recipere species naturales, quādo iuxta decātatū illud vbique vel ab omnibus iandiu receptū axioma, quodlibet recipiens orbatum esse rei suscipiendæ natura conueniat, quoniam intus apparens externam arcet (eodem Philosopho relatore) qualitatem & impedit, quò minus ingrediatur atque recipiatur. Eiusmodi dicteria, cum prima fronte speciem præ se ferant veritatis, eò miseros adigerunt impuleruntque passim interpretes, vt materiam primā prorsus nudam esse potentiam omnis indiscriminatim actualitatis expertē adserere fuerint ausi. Nec aduertebant priuationem alicubi quouis actu penitus orbatam subsistere nec à quopiam intelligi posse, quinimò merū esse nihil. Qui enim, dic sodes, imaginari queas nedum offendere priuationem siue potentiam secluso quolibet subiecto? Qui rursus passis effingere nedum animo concipere subiectum, quod ab omni prorsus actu reperiatur immune? Quod si potentia siue priuatio quæuis necessariò subiectum præsupponit, si debeat esse vel intelligi, dic amabo, specie qualibet per intelligentiam exclusa, quam subiecti primi finxeris essētiam (hic Scholasticè loqui cogimur velimus, nolimus) nedum existentiam, scilicet hoc supposito vel dato, quòd primum idem subiectum omni prorsus actu careat? Ergo quod ingeniosissimè Ioannes Scotus animaduertit, aliquem actum ipsa possidet prima sic ab interpretibus appellata materia, nempe quem actum idem Scotus entitatiuum nuncupat, ideſt, actum ita debilem & infirmum, vt esse tantùm simpliciter, & à nobis intelligi non autem in natu-

ra rerum exiſtere queat. Neque mirum id aut nudius tertius (vt ſic dixerim) confictum eſſe videatur, quando ſpecies vel forma quippe quam, actum eſſe nullus vnquã in dubium vocauit, ſola ſubſiſtere nequeat, quinimò ſubiectum, quo fulciatur, neceſſario poſtulet. At quam obſecro vim ſubiectũ illud informe poſſideret, qui ſupereſſe liceret ei ſpeciei fulciendæ vel ſuſtinendæ. Si quolibet indiſcriminatim actu fruſtraretur? Nonne quod aliud ſuſtinet ac in ſeipſo defert aliquã in ſeipſo vim poſſideat, oportet atque neceſsũ eſt? Qui ſecluſo quouis actu vis eidẽ ineſſe queat? Itaq; redeũtes ad pẽſũ, quãdo plus iuſto forſitã expatiati fuerimus, hunc ĩ modũ ratiocinamur. Si vis aliqua ſiue potẽtia deſtitui poſſet omni prorſus actione ſimpliciter, neceſſariò conſequeretur ſubiectũ informe primum vtpote rerum omnium in vniuerſa natura viliſſimum agere nihil poſſe ſimul, & ab actu quolibet offendi vacantem. At hoc fieri nequit, quemadmodum ſuperiora demonſtrant, igitur alia ſubiecta vel aliæ quælibet potentiæ multo minus carebunt actione, vel actu quolibet, pręcipuè cum huiuſmodi ſubiecta quãlibet in potentia propriam nacta ſint ſpeciem & in rerũ natura per bellè ſubſiſtant, quod alioquin vni primo ſubiecto minimè conceditur. Adeò ſemper impura potentia prædicatur, non quòd ab omni reuera penitus actu cenſeatur immunis (hoc etenim pacto nihil omnino foret, ſed quòd omni nõ abſolutè vel ſimpliciter, ſed omni penitus actu (cum hac appendice) tali careat, cuius opera vel ſuffragijs in rerum vniuerſali conſortio ſubſiſtere vel exiſtere valeat, qui quidem germanus mihi ſemper viſus eſt verborum Ariſtotelis quemadmodum & lucidiſſimi Themiſtij ſenſus, in ea præſertim aurea digreſſione paraphraſeos in primum phyſicarum Ariſtotelis auſcultationum librum.

Propositus dissoluitur nudus. Caput XVII.

PORro si primum informe subiectum omni penitus actu non caret, quidnam de cæteris intelligendum arbitraris? Nonne cætera passim omnia reperiuntur formata siue propria specie decorata? Quam ob rem quæcunque facultates inesse dicuntur in potentia semini, aliæ propinqua magis aliæ remota magis insunt potentia. Dein huiusmodi facultates quanlibet in potentia mouent, igitur ea potentia non est actualitatis (vt ita dixerim) expers. Quinimò quidquid est in potentia, semper in actu fuerit quantumuis imperfecto magis aut minus, prout potentia vicinior erit aut remotior. & si non agit imperfectus actus ille, qui vocitatur & reuera est in potentia, mediusfidius id est in causa, quod à potentiori virtute supprimitur & impeditur, quò minus agat. Itaque quot in semine fuerint potentiæ, totidem erunt pariter actus imperfecti magis, aut minus, qui potentiæ nuncupantur. At exponamus breuiter, quænam actu sint in semine facultates, quandoquidem hoc pacto longè commodius perceperis ea, quæ videlicet eidem insunt in potentia, hoc est, actu quodam imperfecto. Nam ea semini actu prædicantur inesse, quæ non simpliciter, sed actu tantùm insunt perfecto. Sed audiamus Aristotelē. Insunt autem motus alij actu, alij potentia. Actu insunt motus eius, qui generat, & vniuersalium, vt hominis, vt animalis. Potentia insunt motus fæminæ, & maiorum tam in patre, quàm in matre. Nanque motus in patre remoti solùm in potentia dicuntur, in matre vero motus omnes tam remoti quàm propinqui semper in potentia prædicantur: siquidem in generatione fætus absoluti numeris omnibus fæmina nil aliud conferat præter vnam materiam ad sobolis generationem ritè dispositam, idque iuxta Philosophi decreta, quæ sicut mihi vehemen-

ter

ter adrident, ita summoperè probantur, tametsi Galenus varijs in locis præsertim in libris de semine quos præ cæteris contra Philosophi sententiam adcuratè conscripsit, quemadmodũ & hoc idẽ in libris qui de decretis hyppocratis & Platonis inscribuntur, eadem diligentia præstitit: licet inquam Galenus oppositum senserit, quippe cuius argumentationes vtcunque difficiles & à neothericis impendio probatas aliquando conuellemus seduloq; pariter infirmabimus, modò Deus Opt. Max. (quod spero futurum) nostris clementia sua faueat conatibus, qui primò iugiterque tendunt in vnam Dei gloriam atque veritatis excussionem vnius, quanquam accessoriè, vel secundariò mihi ipsi libenter studeo nomen aliquod comparare propter posteritatem potius, quàm gratiam mei ipsius scilicet, vt aliquando Camutia gens intelligat ex stirpe sua virum extitisse, qui nobilitatem eius prosapiæ si non augere, saltem adseruare studuerit. Ad pensum redeo. Fæmina nunquam actiuè (quemadmodum Neotherici loquuntur) ad generationem sobolis concurrit, nisi cum integras omni ex parte semen virile facultates viresque non possidet, sed in aliqua virium differentia tantisper deficit, sicuti paulò post ostendemus. Ergo motus generandi simpliciter hominem, animal, marem, cũque patri similem, hæ potestates virili semini perfecto, actu semper insunt, nullatenus autem in potentia, quãdoquidem actu perpetuò similes edat operationes, ni materia menstrui fortassis disposita perperam impediat vetetque quò minus id exequi possit. Alij verò motus enumerati nuper in potentia semini iure dicuntur inesse, quòd non nisi seminis eiusdem maris impotentia vel imbecillitate secundum aliquam differentiam contingant atque locum habeant, quo nimirum casu potentiæ viliores, & imbecilliores, deinde proprias exerunt vires & agentis præcipui quodammodo supplent imbecillitatem.

degeneratio vel solutio contingat in generatione sobolis. Caput XVIII.

Age nunc enucleemus diligenter qui degenerent aut soluantur motus in semine. Sed tamen id prius admonuisse velim, quod sicut in semine motuum vniuersalium, id est, ad fœtus generationem totius pertinẽtium alij potentia solum insunt, alij autem actu: sic dubio procul & motus partium singularum alij similiter insunt actu, alij verò tantummodò potentia. Redeo nũc ad diuerticulum. Semper degeneratio tendit in oppositum. Hinc Philosophus hoc loco degenerationem sæpe vocat mutationem, imò reuera species mutationis quædam dignoscitur, quando mutationis peculiare propriũque sit in oppositum tendere. Quapropter ex mare transitus in fœminam etsi deprehenditur intentio naturæ quanuis non primaria, degeneratio nuncupatur à Philosopho non absolutè quidem aut simpliciter, sed cum hac appendice: quodammodo. Tendit itaque quidquid degenerat in oppositum, quia superatur, soluitur autem in motum proximum, quidquid soluitur. Nanque si fuerit imbecilla læuisque solutio, prótinus is motus in propinquissimum soluitur. Putà si virilis natura seminis integris potiatur viribus, non solùm hominem & marem procreabit, verumetiam patri per omnia consimilem. At si tantisper in ea differentia deficiat, verbi gratia possit quidem & hominem, & marem generare, sed tamen hoc fine frustretur, quòd eundem fœtum sibi consimilẽ efformare nequeat: sanè tùm aut vincitur à semine fœmineo masculinum semen, ac superatur, aut non superatur quidem, sed hebetatur solummodò vel impeditur, quò minus exactè proprio munere fungi queat, simul ac prohibetur, ne metam optatam integrè possit pertingere. Subijciam hoc in negotio clarissimum exemplum. Currere multi possunt, vt aliquò perueniant. Interea non-

nonnulli præ virium imbecillitate optato frustrantur fine. Quidam illuc vsque perueniunt, sed vbi Scopum attigerint, fessi lassatique præ nimio labore decumbunt, ac ita nihil agere possunt eorum fortassis, quæ facere prius instituerant, vbi metam attigissent optatam! eoque venissent, quò peruenire dudum satagabant. Hoc casu simile quiddam naturæ contingit. Nam ea nō solùm animal, aut hominē simpliciter: verum etiam marem (primariò saltem) atque patri per omnia consimilem effingere concupiscit, & modis omnibus elaborat. Verūenim verò quod & nobis pluries accidere consueuit, natura seminis virilis iusto fortassis imbecillior in aliqua differētia, non superatur quidem aut subigitur à sanguine mēstruo, vel à fæmineo semine secundum opinionem Galē: sed ipsum semen virile propter imbecillitatem integrè nequit exequi, quod natura statuerat. Proinde quanuis abundè vires ei suppetant, vt animal, hominem, denique marem efformare queat, interea tamen vbi fætum in vtero iam conceptum sibi similem delineare satagit, in eo protinus opere mutilus redditur, deficit, lassatur labascit, ac velut fessus præ nimio labore concidit. Neque tamen eo casu iure vinci vel subigi credatur à mēnstruo sanguine, vel à fęmineo semine iuxta Galeni decreta: siquidem in præsenti supponamus materiam seu molem fæmineam minimè tantum habere virium, vt virile semen euincere vel subigere possit, imò subijciamus virile semen suapte sponte nulloque forinsecus impediente propter imbecillitatem virium concidere, seu labascere, quod quidem exemplo currentium, vt metam attingant, nuper ostendimus. Quam ob rem eo casu cum semē virile non euincatur à sanguine menstruo, sed paucioribus viribus præditum ac integrum, & numeris omnibus absolutum opus naturæ poscat, suapte sponte deficiat, & instar defessi laborantis concidat; contingit inquam eo casu, vt alia potentia latens in eodem semine virili, siue facultas emicet, velut ex vmbraculis in solem euocetur ac eliciatur, sicque vires proprias, quæ videlicet il-

lue vsque propter impedimenta delituerant, exerat. Quò fit vt mas qui secundum naturam integram, & ab omni vitio vel imbecillitate prorsus immunem patri simillimus effingi debuerat, deficiente seminis virilis robore quantum ad in exequendum pertinet: eo casu fit inquã, vt in eodem semine virili species alia detegatur nempe maiorum alicuius, quemadmodũ aui vel abaui quinetiã alius remoti magis puta tritaui. Quãquam enim naturæ magis cõsẽtaneũ visitur, vt fœt⁹ hominis & mas & patri simillimus euadat, ita medius fidius ea sicuti patris idolũ primariò saltem auet simul & auidè magis cõcupiscit ac aliorum alicuius eiusdem patris progenitorum ita nimirum eadem natura pariter vbi semel impedita similitudinem in fœtu patris inducere non permittitur, eius loco maiorum alicuius eiusdem patris effigiem quibuscũque particulis pro virili totius corporis imprimit atq; ita fœtum Auo (verbi gratia) vel Abauo simillimum effingit.

Idem clarius explicatur vnaque difficilimum obiectum excutitur. Cap. XIX.

VT admittamus perpetuo Philosophum in modo loquendi fuisse neruosum, ita non ambigimus eundem in rebus difficilibus extitisse multò neruosiorẽ, quod in medium ab eo rationes productæ de similitudine vel dissimilitudine natorum luculenter ostendũt atq; fidem faciunt. Equidem breuius multò pariter ac dilucidius ob oculos constituã quæcunque proximo capite tractabamus, deinde magni momenti scrupulum amouebo. Docuimus ante semini motuum alios inesse actu nempe motum eius, qui generat, & vniuersalium, vt hominis, vt animalis; dein alios inesse potẽtia, nempe motus fæminæ & maiorũ tam in patre quã in matre. Item dixim⁹ motus eiusmodi degenerare vel immutari (quod eo loco prorsus idem esse protulimus) nil aliud esse quàm

in

in oppositum transire, solutionem verò dici transitum in propinquũ. Huiusce rei causã hic breuiter cõplectar. Virile semen euictũ atque superatũ à sanguine menstruo degenerat vel mutatur fætus quod idẽ est, ac ita trãsitur in oppositũ, idque secũdũ eã dispositionis differentiã, qua vincitur, atq; subigitur. Exẽpli gratia si vincatur in idoli discrimine matris imprimẽdo vel detegẽdo, tũ fæmina gignitur. *Sin* autẽ superetur in effigie similitudinis effingẽda, tũ fæminę materia matris eiusdẽ imprimit imaginẽ fætui. Quò fit, vt matri similis euadat fœtus, idque siue mas fuerit siue fæmina. Porro soluitur & nõ degenerat neque mutatur in oppositum, quotiens virile semen in generãda sobole nõ superatur quidẽ à materia, scilicet in quã agit, vt fætũ cõformet, sed interea tamẽ hebetatur idq, adeò, vt quod imprimere vel infigere studebat idolum, euanescat, obliteretur ac intereat. Vnde species demum alia maiorum, quæ prius in potentia veluti sepulta delituerat, amoris obstaculis in actum deducitur, & in arenam (vt ita dixerim) descendit in eandemque materiam vtpote iam ab agente priori quantunuis irrito vel hebetato melius præparatã vltro seipsam inuehit. Itaque quotiens motus virilis seminis tantummodò soluitur, hoc est, hebetatur & euanescit, neque tamen superatur, quia si vinceretur, mutatio siue degeneratio (quod idem est hoc loco) contingeret in oppositam differentiam: quotiens inquam non vincitur, sed colligitur solummodò simul ac agendo speciem eam deperdit (equidem sic interpretor locum hunc difficilem) sanè tum solutio fit in propinquam speciem, in potentiam videlicet existentem in sanguine menstruo vel in semine pariter fæmineo secundum Galeni decreta, quippe quẽ potẽtiã nos actum imperfectum interpretabamur. Proinde si motus seminis virilis quàm minimum soluatur, in propinquissimum soluitur ac ita loco paternæ similitudinis, Aui succedit effigies sin autẽ magis hebetetur masculini seminis motus, actique maior solutio cõtingit & in remotiorem disceditur effigiem, ac ita nõ Aui sed Abaui

vel Tritaui similitudo consequitur proutque maior aut minor collisio seminis eiusdem fuerit, ita maior aut minor discessus vel solutio contingit. Quinetiam ita longè disceditur aliquando, tamque latè solutio nonnunquam tendit & expatiatur, vt nemini suorum similis prodeat fætus, sed commune tantùm relinquatur, vt homo sit, cuius quidem rei causa est, quòd commune particularia consequatur omnia. Homo enim vniuersale est, & magis animal. Socrates, pater, & quæcunque est mater, particularia sunt. Causa vt motus soluantur, hæc planè fuerit, quòd à patiente quodlibet agens repatiatur, sicut & mouens quodlibet aliquo motu saltem exagitatur atque percellitur excepto duntaxat mouente primo. Fit interdum, vt quod agit magis patiatur, quàm agat, quo casu degeneratio vel in oppositum immutatio contingit. Degenerat autem quod patitur, nec superatur aut facultatis eius defectu quod coquit & mouet, aut copia frigiditatis eius, quod coquitur ac distinguitur. Cæterum vbi partim superat partim verò non superat, sanè tùm euadit multiformæ, quod constituitur vt Athletis nonnullis per vsum cibi nimium accidit, quemadmodum testatur Philosophus. Obiectum porro difficilimum id esto. Si quod est in actu, fortius exagitat, & ocyus mouet eo, quod est in potentia, quoniam quod est in actu perfectius est, quod autem est in potentia diminutum, & imbecillum obtinet actum: si inquam quod est in actu fortius mouet vtpote perfectius, qui semel abolito motu paternæ similitudinis, & eiusdem effigie perempta, deinceps imprimi maiorum succedereque poterit idolum, cum ea maiorum similitudo solùm in potentia vel in imbecillo tantùm actu (quod idem est) in semine virili comperiatur? Si potentius efficiens à materia plus iusto fortassis frigida, sic hebetatum atque collisum est, vt in ea patris effigiem imprimere nequiuerit, qui maiorum aut matris idola vires vtpote sortita debiliores cum in potentia sint, infigi poterunt eidem nuper conformato fætui? Nunquid

agens

agens imbecillius exequi poterit, quod potentius multò præstare non potest. At magis videtur, quod actu tale commodius, & Ocyus id condonare possit vtpote perfectius vnaque potentius, & illud interea tamen clargiri nequit, etsi maioribus præditum est viribus, ergò minus multò perficere poterit, hoc idem aut absoluere, quod existit in potentia tanquam imperfectius, & imbecilius, quandoquidem esse (quod ante dictum est) in potentia nil aliud planè sit, quam actu præditum esse diminuto vel imbecillo. Cæterum difficilis hic admodum nodus hoc pacto dissoluitur. In semine virili vis vel facultas actu residens quia primo materiam oppugnare tentat, à vi materiæ perperam adfectæ (putà iusto frigidiori) nonnunquam eliditur, & aboletur, ita tamen, vt interea passum, quod eam elisit & attriuit, proprias aliqua ex parte saltem amittat vires, idque adeò, vt nouam subinde speciem ad actum deducendam (cum ea enim congredi pariter ac in arenam descendere cogitur) vtcunque debiliorem, priori semel collisa vel imbecilliorem retundere nequeat, quia vires in pręsenti minimè prioribus æquales obtinet, velut ab alio collisas agente vel hebitatas.

Definitio nobilitatis, & ignobilitatis inquiritur. Caput XX.

DEsimilitudine natorum hactenus pro virili nostra disquisiuimus in reque versati sumus aliquandiu paucis obuia nundumque prout conuenit ab aliquo quod sciam, explicata, nec aliã ob causam subiuimus id quidquid est oneris, quàm vt qui nobilitas aut ignobilitas à progenitoribus in posteros transfundatur ac veluti peregrinetur, enuclearemus. Nanq; sicuti nati parẽtibus concipiuntur similes, ita nimirum nobiles à nobilibus, sicut & ignobiles ab ignobilib⁹ proficisci ratio naturalis

vltro suadet, quandoquidem vtrobique videatur eadem ratio militare. Verùm vt nati quotiens materia fœtus iusto frigidior vim agentem in semine virili si non semper præcipuè saltem residētē, & oppugnat, & expugnat: vt inquam fœtus vtcunque mares matri similes euadūt, adhæc, vt aliquando neutri parentum adsimilantur, nec alicui maiorum prorsus adsimilantur, sed id solummodò commune relinquitur, vt homo sit, ita nimirum contingere rationi consentaneum visitur, vt ignobiles à nobilibus, & nobiles ab ignobilibus oriri queāt. Adeò nulla naris eo casu fingi poterit in posteros nobilitas aut ignobilitas deriuari, sicque noster huiusque susceptus labor planè fuerit irritus. Adeò fateri cogemur, natos ex patre videlicet ortos nobili, simul & ex ignobili matre quandoque progigni nobiles nonnūquam autem ignobiles, quandoquidem, vt ante dictum est, aliquando patri similes enascantur sæpe verò matri, sicut & patris aut matris maiorum alicui multotiens procreantur, imò nōnunquam oriuntur omnibus tam paternis, quàm maternis consanguines promiscuè simul, & omni ex parte dissimiles. Adeò cogi videamur fateri nobilitatem aut ignobilitatem agnosci lubricam, quādo nobiles ex ignobilibus & ex nobilibus ignobiles æqua lance propemodū (vt efferri consueuit) emanare seu pullulare queāt. Quapropter hic non obiter, seu per incuriam, imò negocium altius vtpote non vulgare sed momenti maximi venit repetendum. Itaque serio rem ipsam adgressuri hunc in modum ordiamur. Quæcunque seminibus aut sanguini menstruo virtutes insunt vel facultates, ex substantiæ sunt aut accidentia. Substantiæ fuerint animal, homo, quæ sunt vniuersalia. Socrates pariter exempli gratia substantia dignoscitur particularis. At similitudo patris & matris vel vtriusque maiorum absolutè dijudicatur acccidens, inseparabile quandoquidem adesse pariter ac non adesse, queant dein vbi subiecto semel hæserint, & in conceptu producta fuerint, in eodem perpetuò manent nec inde diuelli amplius possūnt: Esto

sint

sint in separabilia huiusmodi. Veruntamen ea nunquam dixeris necessaria, quòd in generatione secussis eiusmodi singulis ipsa nihilosecius generatio persistat illæsa vel incolumis. At nobilitas aut ignobilitas quidnam fuerit? Profectò non substantiæ, sed accidentia fuerint, sed qualia? Num quantitates aut relationes? Absit. Num actiones aut passiones? Minime. Multò minus censeantur, Vbi, Quando, Situs, vel Habitus. Ergo superest à sufficienti partium enumeratione petito semel argumento: restat inquam, vt nobilitatem, & ignobilitatem qualitates agnosci non diffiteamur.

Nobilitatis proximum genus adsignatur.
C A P. XXI.

POrro qualitatis prædicamenti supremæ quatuor à Philosopho species adsignantur, nempe dispositio vel habitus, naturalis potentia vel impotentia, passio vel passibilis qualitas, denique forma seu circa aliquid constans figura. Vt à postremis initium capiamus vtpote de quibus nulla penitus dubitatio suboriatur, nemo prorsus ambigere vel suspicari queat nobilitatem esse figuram, siue formam accidentalem corpus aliquod ambientem. Neque passio vel passibilis iure dici queat, siquidem id accidentis genus minimè permaneat nec in humano corpore radicem habeat vllam, sed occasione tantùm oblata forinsecus ab aliquo nostros excitante vel mouente sensus intrinsecè videlicet vnius imaginationis opera passionem suscitet. Exempli gratia quis committit aliquod secretò facinus indignum existimatione sua. Hic si fortè deprehendatur in flagranti (quod aiunt) crimine, confestim sensus in primo sensiterio turbantur; siquidem anima sibi malè conscia criminis, homi-

num

num auersatur abhorretque conspectum, quando cupiat à nemine sciri, quod agit. Vnde turbata nimirum intrinsecus arce seu republica (nobis hic metaphora semel vti concedatur) necessariò forinsecus ob internam spirituum atque sanguinis agitationem ad corporis circunferentiam excurrentem instar veredarij, spiritus vna cum tenuiori substantia sanguinis erumpunt, & in facie potissimùm ex improuiso quidam rubor efflorescit, legitimum internæ passionis inditium. Id in adolescentibus atque virginibus iuuéculis celebre dijudicatur ingenuitatis atque probitatis indiciũ, vel hoc supposito, quòd aliquid minimè commiserint reprẽsione dignum; sed mera suspicione conflictentur, ne per incuriam fortè deliquerint vel conscientia nullatenus intro reclamante Adeo singulare visitur probitatis indicium. Bonarum etenim mentium est ibi timere culpam, vbi non est culpa, quemadmodũm Pius quidam, & sanctus vir adnotauit, quippe cuius nomen è memoria iandudum excidit, etsi tanti viri sententia radices egit altas in intimis animi penetralibus. Ad institutum redeo. Nobilitas permanet, passio vel passibilis qualitas momento labitur, euanescit, ac instar amnis effluit, ergo nequeat agnosci passio nobilitas. Non defuere, qui crediderint, eam esse naturalem potentiam, contra vero naturalem impotentiam ignobilitatem existimauerint, hoc allecti nimirum indicio, quòd vel à rusticis progenitos animaduerterint nonnullos, egregia præditos indole nobilitatem quandã præseferentes naturalem: sicut, & nobilium aliquot natos intueri liceat vtcunque nobiliter, & educatos, & institutos continuò quãdam colere, quin potius tætere rusticitatem velut intimis eorum penetralibus hærentem forasque seipsam vltro prodente. Atqui flos vnus minimè facit ver (quod in Adagio circunfertur apud meos Insubres) nec ea, quæ raro contingunt, in consequentiã trahenda veniunt: siquidem fætus rusticorum quotiens bonam sortiuntur temperiem, bonamque partium conformationem, natura quidem esse queam ad nobilitatẽ propen-

propensi facilè comparandam, si videlicet summa ope, vel mediocri saltem emiti velint, vt eam adipiscantur; sed tamen interea minimè rationi consentaneum videatur, eos actu possidere scintillam seu nobilitatis igniculum suauem, illum fomiti sic à theologis vocitato contrarium, scilicet hominem ad bona præ cæteris (saltem apparentia) præsertim excelsa sublimiaque semper erigentem. Ergo ratiocinemur à sufficienti partium enumeratione. Nobilitas non est passio siue passibilis qualitas, nec est potentia naturalis, multoque minus accidentalis forma; vel circa aliquid constans figura, & quum plura qualitatis genera subalterna nusquam offendantur præter vnam dispositionem, & habitum, eam necessariò (velis nolis) consequitur habitum esse, qui passim qualitas de difficili mobilis describitur, sicut, & dispositio de facili mobilis prædicatur, quæ meritò in habitus concluditur specie, propterea quòd inter se non alio modo discrepent, quàm vnius discrimine magis, & minus. quando naturam prorsus eandem obtineant.

Differentias nobilitatis proprias Author expiscatur. Caput XXII.

PОrro sicuti scientiarum, & artium habitus à progenitoribus in posteros peregrinari, seu transmeare nequeunt, ita mehercle nobilitatis aut obscuritatis habitum transfundi, communicarique non posse ratio dictat. Qui enim pater eruditus fætui sciẽtiam imprimet? Item aiunt naturales vltroque pariter adserunt, de subiecto in subiectũ migrare nõ posse quodpiam accidẽs: qui igitur habitus hic nobilitatis à parentibus in fætum expaciari poterit? Itidem si claritatis hic habitus communicari posset fætibus, hoc saltem necessariò fieri non deberet. Verbi gratia parentes excelso præditi ingenio stupidos aliquando natos procreant, etsi consimiles vt plurimùm sibi ipsis quod ad hanc differentiam attinet,

es-

effingunt, quandoquidem acri ferè semper ingenio conſpiciantur, quicunque traxerunt originem à parentibus inſigni præditis acumine rationis. Quapropter ſi claritatis habitus haud ſemper, neque neceſſariò, ſed vt plurimùm, natos inſequitur, & eoſdē minimè ſemper comitatur ſicuti naturalis ratio ſuadet dum ipſa parentum ſimilitudo nec ſemper in fœtibus, neque neceſſariò reperitur, quando nonnunquam fœtus oriantur cùm ipſis parētibus, tùm etiam eorū vtriuſque maiorum omnino diſſimiles: cum inquā nobilitatis habitus vtplurimùm, quidem, at non ſemper neque neceſſariò fœtibus imprimatur, quemadmodum nec parentum aut maiorū ſimilitudines, ſicuti nec cæteri paſſim habitus (quod inductione paruo negocio comprobari poteſt) qui nobilium, vel illuſtrium vtcunque nati tutò pro nobilibus haberi poterunt? Attende diligēter. Erige mentem in ſublime. Dubitationes excitare difficiles obſcuri non eſt ingenij, fateor. At eiſdē perpetuū indicare ſilētiū extra omnē cōmuniū ſaltē ingeniorū aleā (quemadmodū efferri cōſueuit) optimo iure putetur. Pro diſquiſitione tātæ rei theſi hanc præmitto, nēpe plurimū intercidere diſcriminis inter ſciētiā aut artē & ad eaſdē artes, aut ſciētias propēſionem & inclinationē. Qui ſcit aut artē egregiè callet, is in animo conceptus earum velut idola quædam poſſidet, quæ ſicut euaneſcere vel obliterari poſſunt, quando pluries excidant è memoria, ſic nimirū in conceptibus effingi vel delineari nequeunt. Veruntamen exercitata mēs præſertim in ſublimibus cùm actionibus in Republica, tùm etiam in contemplationibus indagine ſubtili rerū excelſarū, exercitatos neceſſariò sēſus pariter interiores, obtineat, oportet ſiquidē alio modo mens humana nequeat exerceri, quàm vſu ſenſuum interiorum Quò fit, vt qui ſenſus interiores ritè ſecundum naturam proutue conuenit præparatos atque diſpoſitos nacti ſunt, iidem acuto vel acri pariter ingenio præditi cōperiātur. Cōtra vorò quicunque ſenſus eoſdem interiores obtinent, hæbetes, aut quàm minimùm exercitatos, ij pauca viribus

in-

ingenij præstare possũt effatu digna. Galenũ huius intelligentia rei miserum eo miseriæ deduxit, vt de perennitate mentis humanæ plurimum dubitauerit. Adeo miserè potius inclinat, iterque deflectit in peiorẽ opinionẽ. O miseram vtcunque subtilem humanę mentis indaginẽ, si posthabito semel diuino forinsecus auxilio nostris plus iusto tribuamus viribus. Adeo non iniuria bonus in hæc verba prorupit Augustinus: surgunt indocti, & rapiunt Cęlum, nos verò cum nostris doctrinis, rapimur in profundum. Hanc argumentationem omnium difficilimum in animæ rationalis explicanda perennitate nos in eo libro cui de humano intellectu titulus inscribitur, infirmauimus.

Integra nobilitatis definitio.
Caput XXIII.

IAm tempus monet, vt ad id, vnde nuper oratio nostra fluxerat, redeamus. Quanquam scientiæ dicuntur ac reuera sunt habitus, vt artes, & alij deinceps in Ethicis enumerati, sic nimirum ad eosdem habitus insignis inclinatio, naturalis potentia, vel habitus fuerit, quando quosdam intueamur ad artem pictoriam (exẽpli grátia) particulatim propẽsos, qui cæteras artes cõdiscere nihilosecius minimè cõcupiscunt, quæ quidẽ ꝓpẽsio nõ habitus, imò naturalis potẽtia venit appellãda. Atqui nobiles indiscriminatim omnes (eos tãtũ excipio ꝙ seipsos vitijs emanciparunt de industriaq, naturã claritatis corruperũt) ad excelsa peragẽda vel percipiẽda sẽper, indiscriminatim auidè ferũtur, quod naturali potentiæ particulari neutiquã adscribi iure debeat, quia nobiles virtute progenitorũ ꝑcipuè vel hoc supposito, quòd hebetes sint ingenio simul ac male dispositos habeant sẽsus interiores, modò tamẽ interea mẽte cõstãnt: adhæc malè temperati sint, aut malè cõformati, cõcessis huiusmodi quanlibet omnibus, attamen eos obscænas actiones ac vilia semper

aucr-

auersari cõspicimus pariter & sublimia cõcupiscere,quã uis ob ingenij tenuitaté ignorent,qua via methodoq; similia debeât attẽtare vel adgredi, quod quidẽ si tãtùm in vno vel altero depræhenderetur, naturali potentiæ videlicet indiuiduali dubio procul adscribendum foret. At quum in omnibus à claris progenitis penè reperiatur, id in habitum proprijs laboribus conquisitum vel in eos à parentibus in generatione transfusum omnino referri debere naturalis ratio conuincit. Cæterum hic habitus inclinationis ad bona præsertim sublimia peragẽda vel contemplanda neutiquam in aliqua corporis particula fixus reperiatur, sed in primo sensiterio, locũ habet siue cerebrum illud sit (quod Galeno placuit) seu cor, quod Aristoteli magis adrisit. Nam in organo præcipuo totius corporis vbi sensus delitescunt interiores velutà secretis consiliarij mentis humanę perennes, immorari nequeant habitus perfecti mortalium eo tempore videlicet, quo rationis vtendæ capaces minimè visuntur. At quid immorari dicam? Si concipi, nequeunt animo, quomodo poterunt ibidem delitescere vel immorari? Non possunt igitur ibidem procreari, nec procreati semel ab alijs adultioribus ijdem habitus perfati proprium idolum tenellis etiamnum cõceptibus indere vel (vt ita dicam) inserere possunt, quòd nimirum fluxilis humidaque nimis partium omnium fætus temperies, pręcipuè cerebri nusquam effigierum absolutarum atq; perfectarum impressionem admittat, aut sustineat: Verumtamẽ vestigia vel imagines non elaboratæ sed rudes, nempe quales iure censentur non ipsæ virtutes, sed ad easdem computandas inclinationes, hæ rudes inquam imagines, & habitus imperfecti non solùm ab adultioribus comparati laboribus exantlatis, in primi sensiterij tenuioribus particulis pręcipuè spiritibus recipi vel adseruari possunt, verumetiã eorum idola tenellis quãlibet fætibus induntur à progenitoribus, & infixi vel (vt sic dixerim) inserti semel hærent adseruanturque, donec ad ætatem pueritiæ vel adolescentiæ, peruenerint, quippe

pe quo tempore seipsas produnt sensimque vires exerunt proprias, atque ita splendor in eis emicans nobilitatis detegitur. Adeo neutiquam hic de subiecto transfertur in subiectum accidens, quod argumentum illud supponebat, sed occidentis idolum prioris infigitur fætui nuperrimè concepto. Præterea facilitas impressionis occasione substantiæ scilicet, quæ tenella visitur adhuc in conceptibus nuperrimè formatis, efficit, vt imago nobilitatis non aliquando (quemadmodum in cæteris accidit effigiebus imprimendis) quinimò semper necessarioque pariter, & infigatur, & adhæreat conceptibus. Nanque facultates aliæ puta progenitorum, aut maiorum similitudo, sicut etiam maris, & fœminæ vel vniuersalium, vt hominis & animalis: hæ differentiæ non semper succedunt ex nostra vel effingentis naturæ sententia, propterea quod à dispositione passi perperam adfecti multotiens impediatur, natura, quò minus adæquatur absoluatque quod potissimùm intendit. Verum enimuerò claritatis hic habitus vtpote rudis & imperfectus, si collatio fiat cum cæteris, præter id quòd suapte natura facilius infigi potest, illud insuper accedit, quòd in spiritibus mollissimaque substantia totius corporis, putà cerebri semper imprimi pariter ac delitescere consueuerit. Quamobrem fragmenta colligentes vniuersæ disputationis ne forsitan pessum eant ac intereant, nobilitatem hoc pacto definiamus. Nobilitas est habitus primo sensiterio fixus, ad bona præsertim excelsa semper hominem inclinans adeunda pariter ac meditanda: habitus est inquam huiusmodi proprijs laboribus adquisitus, vel à progenitoribus in generatione conceptui communicatus.

✝

Spi-

Spiritus diuini, nobilitatis habitus fomitisque diuersus procedendi modus ob oculos clarè proponitur. Caput. XXIV.

RESTAT vt huiusce nobilitatis habitus procedendi modum insinuemus hinc initio desumpto. Fomitem a theologis ita nuncupatum in libro de amore,& fęlicitate prauam esse corporis temperiem malamque compositionem inductione demonstratiua probauimus. Hunc aduersari sempor spiritui palam euadit, quemadmodum sacra pagina pluries attestatur. Porro modus procedendi fomitis ab eo longè diuersus visitur, qui nobilitatis est aut ignobilitatis. Nanque fomes à carne veluti parte saucia sēper initium facit. Verbi gratia, biliosus natura cordisque calidi pariter ac sicci, facilè propensus agnoscitur ad iracundiam Spiritus verò quāquā erigitur ad bona suapte sponte meditanda vel agenda, nihilominus ab intemperie iugiter indefinenterque vexatus, vt pote continua pertesus disidia, tandem succumbit & immorigerę simul ac petulcæ carni manus (vt sic dixerim) prębet auxiliares,& eidem adsentitur. Proh dolor, allectus illecebris concupiscentię salutaria Dei monita negligit & eorum oblita transit trasformaturq; turpiter in pecudis naturam. Adeo detruditur in peiorē conditionem turpiusque labascit & infelicius ac inanimata quæuis, nedum anima sensili vel altrici prædita: siquidem ea passim omnia non nisi violenter adacta secus operentur, ac eorum natura faciendum esse dictet. Vnde nunquam errorem committunt imò secundum naturam operantur perpetuò. Solus homo naturæ proprię vim inferens authori totius naturę seipsum opponit. Nam eius natura de iure totius compositi regina, facultas est rationalis, quippe quę spiritus vocitatur. Hęc lacessita iugiter à carnis illecebris vtpote cuius con-

ti-

tinua quidam pugna visitur, sed rara tamen interim victoria depræhenditur: hæc in quam à carne continuò seducitur, & quod omnino portenti naturam sapit monstrique speciem redolet, ancilla dominatur, & ancillæ domina præstat obsequium; seruus imperat, hærus inseruit; vassallus pro tribunali residet in solioque regali sceptrum tenet, interea Rex ingenua procumbit et eum adorat. O miseram deplorandamque rerum vicissitudinem. At quid vicissitudinem appello? Videat in plerisque ferè semper imperium imò tyrannidem exercere carnem in spiritum. Atqui sol inclinat (inquit Poæta Satyricus) cũdum est. hoc est fusè satis de nobilitate disseruimus, imponere colophonem oportet huic dissertationi. Proinde redeamus iam ad diuertilum, vnde nuperrimè discesseramus. Procedendi modus fomitis est, vt carnis vnius adminiculo spiritum subigat, et à bonis operibus obeundis impediat. Contra nobilitatis habitus etsi non exorditur à spiritu quoniam adfectus est corporeus, attamen ab interioribus proximè sensibus præcipuè sublimioribus, videlicet ab imaginatrice potestate mox exorditur, & inde sensim atque pedetentim (vt ita loquar) ad inferiores potentias pergere satagit, scilicet, vt eas ad seruitium mentis reginę compellat, scilicet vt ancilla Reginę (quod æquum est) obsequatur, scilicet vt interitui pars hominis obnoxia cedat sublimiori corruptionis nesciæ portioni, scilicet vt iuxta præscriptum vniuersalis naturæ, quod perfectius est, imperfectiori dominetur atque leges operandi pręscribat. Quam ob rem vt fomes ab inferioribus potentijs incipit, vt earum opera perennem hominis mentem è sede propria deijciat, & ei sceptrum auferat, ita nobilitatis habitus à præcipuis internarum facultatum viribus incipit, eas emollit honestis velut hortatibus, easdem blando velut sermone vel hoc surro potius quodã tacitò demulcet, seduloq; simul vrget suauiter, vt diuinis potius obediant monitis imaginatio, cogitatio, memoria, reminiscentia, deinde (quod quidã addunt) æstimatiua facultas; hortatur inquã interiores po-

tentias sensiles, ne facultatibus inferioribus tanquã earũ famulis adsentiantur, quinimò cõpescãt eorũ insolentẽ ausum; denique perpetuò satagit, vt mentis obsequantur nutibus nedum eam seducere tentent. Cæterum diuinus spiritus non exorditur à carne, quotiens operatur in homine, nec à sensibus auspicatur interioribus, quemadmodum nobilitatis habitus, quòd is nimirum vis corporea depræhendatur, ac ita secus operari nequeat, sed ipsa virtus diuina proximè perennem aggreditur mentem, scilicet vt eiusdem interuentu deinceps inferiorum continuata serie facultatum habenas moderetur, & eosdem in officio contineat, ne videlicet contra reginæ mentis edictum audeant quidquam, neue tumultuentur. Nãq; parentes nuper conformatis conceptibus neutiquã infigere queant eorum humanæ menti claritatis aut obscuritatis habitum, sicuti nec aliud omnino quidquam, quãdo mens vna minimè proficiscatur siue prodeat à semine parentum, quinimò deforis adueniat ac planè diuina sit. Adeò nobilitatis habitus quanlibet corporea vis omnino vicarius diuini spiritus cernitur, eiusque vices gerit, quippe qui multotiens in infidelius admiranda præstitit virtutum specimina, quod Romanorum exempla præ cæteris ostendunt. Adeò claritatis hic habitus vtcunque vis corruptibilis adinstar diuini spiritus roborat mentem, vt interiorum potentiarum videlicet corruptibiliũ sustineat impetus, exteriorum verò terriculamenta non formidet, aut certè multò minus expauescat.

Finis secundi Libri.

ANDREÆ CAMVTII

PHYSICI OLIM CELEBERRIMI,

DE NOBILITATE

LIBER TERTIVS.

Quænam ignobilem efficiant Nobilem.
Caput I.

PRoximo libro nobilitatis essétiam (peripatheticè loqui cogimur) atque naturam exactè pro virili nostra disquisiuimus in præsentiarũ autem explicare tentabimus, quęnam ex obscuris claros efficiant, & ex ignobilibus nobiles. Porro cum nobilitas in anima potissimùm collocetur, etsi radices agit in corpore, dubio procul habitus animæ nobilitare vel obscurare naturalis ratio suadet. Habitus autem

Digitized by Google

animæ vel ſenſiles agnoſcãtur aut intellectricis proprij ſunt facultatis. At ſenſiles habitus bruta quidem fortaſſis nobilitare queant, homines profectò dotibus vnius humanæ mentis illuſtrari conuenit & expedit, quando quodlibet interuentu vel adminiculo potioris eiuſdem partis, quæ forma, ſeu ſpecies eſt, oporteat illuſtrari, vel obſcurari. Quam ob rem hic trutina (quod aiunt) nobis diligenti venit perpendendum, quinam humanæ mentis habitus ex ignobili nobilem efficere poſſint. Habitus ille, quem Philoſophus intellectum, nuncupat nempe cui⁹ hac ſe vel opera primis abſque prçceptore princi pijs adquieſcimus: is inquam habitus neminem illuſtrare vel obſcurare queat, quandoquidē ex æquo naturaliter cunctis inſit hominibus, nec ad eius opera promenda cõcurrat voluntas. Quo ſit, vt ad nobilitatem comparandam proximè nihil efficiat, quanquam veluti naturale principium quoddam in cæteris humanæ mentis habitus ita deſeruit, vt inſuper neceſſariò requiratur. Alij mētis habitus idcirco laudem aut honorem promerentur, quoniã à voluntate profluunt. Prætereà ſi non difficultatem certè laborem ſecum trahunt, & humano generi ſuppetias adferant. Agè iam experiamur, an ex alijs intellectricis facultatis habitibus parati queat nobilitas. Sapientia mediusfidius, quæ rerum altiſſimarum diſquiſitionis habitus perhibetur, omnium conſenſu nobilitatem parturit. Item ſcientia quæuis idem præſtat, quando ſi non altiſſimis vtpote diuinis (quemadmodum ſapientia) certè ſublimibus perpetuò rebus inhiet, & in abditis earũ cauſis exactè perquirendis anhelet. Itidem morales virtutes vtpote præparantes animum ad ſublimia meditanda nobilitant hominem à viliſſimis quanlibet parentibus progenitum. Verum enimuerò non omnis prudētia nobilitat, ſed ea ſolummodò, quæ circa difficilia pariter ac nobilia vel (vt peripatheticè dixerim) honorabilia ſubiecta verſatur. Idem de ſingulis artibus ad vnum omnibus eſto iudicium. Nam ſi difficilia meditentur, & honorabilia ſubiecta pariter attrectent, nobilem parturiunt artifi-

tifi-

tificem. Sin autem vilibus implicentur operibus, & circa sordida versentur, eo casu dubio procul intellectum vtpote sordidis operibus vnaq; crassis perpetuò cogitationibus adsuetum si non obscurant, certè clarescere non sinunt. Age breui iam epilogo cõplectamur, quęcunq; fusius Paulò ante protulimus, & ijsdem aliquã (si fieri possit) claritatem siue lucem adijciamus. Hominum habitus non sensiles absolutè vel simpliciter quinimò rationalis vnius accersitæ facultatis, eosdem nobilitãt. Nam & quæ præclara stirpium aut animantium opera censentur, naturalem quandam eorũ nobilitatem vltro nobis insinuare vel indicare videntur. Verùm inter humana mentis habitus ij solùm homines nobilitant, qui cùm à voluntate proficiscuntur, tùm etiam difficilia meditantur vnaq; circa subiecta vel obiecta versantur nobilia: siquidem rei difficultas, non autem certitudo (quidquid omnes ad vnũ senserint Aristotelis interpretes) Deinde subiecti vel obiecti præstantia peritiæ cuiuis nobilitatem aut ignobilitatem impartiantur. Hinc humanæ mentis habitus ille, quo videlicet absque præceptore naturaliter primis principijs quæ dignitates à latinis axiomata verò vel pro loquia dicuntur à Græcis: habitus inquam ille, qui vocitatur intellectus, quoniam à voluntate non depẽdet, nobilitatem alicui minimè potest elargiri. Sapientia pariter ac scientiarum habitus homines verè similibus imbutos atque præditos dotibus nobilitant, insignes præ cæteris reddunt, & eosdem ex numero vulgi siue plebis vtpote claros excludunt vel (vt appositè magis eloquar) excipiunt. Habitus prudentiæ simul & artium si circa subiecta vel obiecta versentur nobilia præsertim difficilia, nobiles pariter atque claros efficiunt homines. Sin autẽ circa vilia simul & crassa seipsos exerceant, obscuros & ignobiles reddunt homines.

Quæ militia nobilitet. Caput II.

SCientiam nobilitare præter allegatas proximo capite rationes, iura quoque ciuilia mordicus tuentur; quod nimirũ à Philosopho quarto polyticorũ deprõpserũt vbi manifestò sciẽtiam ex obscuro clarũ siue nobilẽ efficere quenpiam attestatur, cui quidem opinioni vel insignes authores alij subscribunt. In præsenti videtur operæprecium inquirere, quænam militia nobilitet, siquidem nobilitare militiam notius appareat, quàm vt argumentatione cuiusquam indigeat, quando probentur obscura vel incognita penitus, nõn autẽ ea quæ latẽ patent,& oĩbus indiscriminatim obuia sunt, Quãplures authores omnem promiscuẽ militiam nobilitare putãt, modò quispiam in ea longe temporis intercapedine putà per decem annos, seipsũm exercuerit. Pro huiusce rei euidentia ratiocinari liceat hunc in modum. Peritiæ quò difficiliores eo pulchriores atque nobiliores iuxta vulgatissimum adagium,difficilia pulchra: sed militia quantumuis priuata difficillima visitur, quando plura propemodum intollerabilia perpetiantur milites, ergo sequitur militiam promiscuẽ quanlibet esse nobilem. Item arma gestare pluries, vigilare, mortem oppetere pro salute Principis aut patriæ tuenda, nobilissimæ dignoscuntur actiones, & obiectum cuius gratia subeunt hiusmodi discrimina, nobilissimũ est, nempe salus Reipublicæ vel Principis, ergo non solùm occasione difficultatis rei verumetiam ratione finis, & obiecti quælibet militia nobilis merito dijudicanda venit,idque iuxta superioris capitis hyppotheses, quippe quibus ostendabatur à difficultate rerum simul ac ab earundem prẹstantia nobilitatem emergere vel (vt accommodatius eloquar) efflorescere. Verùm hisce nuper adductis in medium obiectis occurritur hoc pacto. Difficultatis

nomen.

nomendatura duplicem sortitur intelligentiam, nempe rem tolleratu difficilem, aut ratione subtilitatis vix (vt ita dicam) perceptibilem. Si modo primo difficultatem intelligas, eà sanè nullius præstantiæ seu nobilitatis argumentum fuerit, quandoquidem ad hunc modum multas artes intueri liceat vilissimas vnaque sordidissimas, quæ magnam difficultatem, id est, difficilem tollerantiam necessariò secum trahant. Quinimò difficultas eiusmodi nobilitatem ita non arguit artis illius, vt etiam magnum appareat obscuritatis, vel ignobilitalis argumentum. Atqui difficultas abstrusæ rei, quæ sublimem humanæ mentis, acremue necessariò requirit atque poscit indaginem, si videlicet appræhendi vel examussim percipi debeat, isthęc mediusfidius modò subiecti fortassis vel obiecti turpitudo non obstet, non nobilis esse non potest, quando rerum vtcunque vilium perceptio quotiens difficili vel acri mentis indagini coniuncta visitur, haud mediocrem quin potius effatu dignam sortiri nobilitatem consueuerit. Adeò Philosophus quæstiones mechanicas luculenter excussit, & in rebus alioqui suapte natura vilibus, difficultatis intelligendi ratione præstantiam atque nobilitatem adinuenit.

Eorum solummodò qui præsunt, militiam nobilitare decernit. Caput III.

QVod ad obiecti præstãtiam vel actionum nobilitatem attinet, & finem earum cuius gratia fiunt, hic non oscitanter neque per incuriam, sed diligẽter venit perpẽdẽdũ, an omnis militia spectet eũ finẽ & in illũ velut in Scopum collimet. Nanque milites priuati plerunque nihil minus cogitant, quàm de salute Principis aut Reipublicæ. Quinimò nil aliud meditantur aut satagunt, quàm vt aliquid hinc & inde corradant. In sum-

ma scopus eorum vnus, in quem tendunt, est obesse vel agere, perperam. Equidem in castris commoratus sum, & ibidem in obsidione Metensi per aliquot menses vitã traduxi; Quin etiã antequàm illùc veniremus eum eodem exercitu Caroli Quinti, latitudinem Germaniæ totius emensi fuimus, atq; sumus experti naturã moresq; militares. Porro ne quis forsitan obstrepat priscis tẽporibus longè diuersam fuisse militum viuẽdi rationem, habemus amplum in Euangelio Seruatoris nostri testimonium, quando milites ita fuerit alloquutus. Milites neminẽ concutiatis. Item contenti estote stipendijs vestris. Neque enim eos ita monuisset, ni pulsare proximum, & aliena decerpere, ne dicã furari cõsueuissẽt: siquidẽ Hispani milites præ cęteris hanc loquendi phrasim, nempe furari vel prædari detestẽtur, etsi rẽ ipsã impensè cupiant, & executioni mãdãt. Adeò multotiens in locum huiusce vocis furari vel aliena surripere substituũt hoc vocabulũ accipere. Redeamus ad pẽsũ. Priuati milites nõ habent obiectum nobile, dein in finem honorabilem proprias minimè diriguntactione; sed alio semper tendunt quàm in Reipublicæ salutẽ aut Principis, ad hæc crassa dignoscuntur imò mechanica visuntur; quęcunque illi tractãt & circa quę versantur: prętetea non agunt pulchri quidpiam siue difficilis quod intellectũ erigat in sublime vel exerceat, quin potius instar armẽti vilis modò huc modò illuc agũtur, tãtũ abest, vt difficile quidpiã adgrediãtur de industria: modò difficultatis nomenclatura nõ grauẽ tollerãtiã quippe quæ multis artibus sordidis nedũ simpliciter vilibus communis deprahenditur modò inquã difficultatis voce subtilem acremue mentis indaginem intelligas, scilicet de qua Philosophus in operis exordio de anima vel ex professo dataque opera disseruit, iquiẽs, peritiam ex hisce duobus honorabilem diiudicari siue nobilem (quod prorsus idem est,) nempe vel ex subiecti præstantia, circa quod ea peritia versatur, vel ex ipsa rei qua de agitur non certitudine, quomodocunqne certitudinis vocẽ interpreteris, quemadmodum alij passim omnes

nes ad vnum interpretes Aristotelis censuerũt, sed ex ipsa rei potius difficultate, quę mẽtẽ erigere simul, & (quasi prius ipsa situ cõtraxerit, seu rubiginẽ veluti callũ obduxerit) expolire suoq; nitori pristino restituere sẽper consueuit. Itaque nõ militia simplex nobilitat vt multi putãt, sed eorũ solũmodo, qui cęteris pręsunt. Nõ inficior adinueniri priuatos imperatores, nempe quos vulgo capitaneos vocitãt, vsq; adeo furtis (vt ita loquar) emancipatos omniq; lucrum animo voluttẽt atque cõcipiant. At id nõ officij siue muneris ꝓprij, sed hominis eo munere ꝑperã fungentis vitium deprehenditur: si quidem ad eum qui priuatis militibus præest ac imperat, grauia pariter ac sublimia meditari, nẽpe totius Reipublicæ, vel ꝓuinciæ, vel Principis honorẽ atq; salutẽ propriè pertineat.

Neque feudum, neque patriam posse quenquam nobilitare. Caput IV.

PRimo huiusce operis libro quum opiniones aliorum qui de nobilitate cõscripserũt, refelleremus, obiter ac veluti per transennã edocuimus Principẽ haud posse nobilitare quenquã, neq; statutum, multoq; minus cõsuetudinẽ, seu diuitias. In pñsẽti mouemus quæstionẽ, an feudũ quẽpiã nobilitare queat. In fauorẽ affirmatiuæ partis ita ratiocinamur. Quod suapte natura nobile cernitur, idipsum hominem efficere nobilem nullũ omnino consequitur absurdũ: Atqui feudũ eiusmodi ꝓhibetur, ergo nobilitat. Argumẽti secũdũ adsumptũ ita ꝓbatur. Quidquid exhibet alicui nomẽ & à quo denominatur illud, id haud dubiè si nõ forma seu species, certè causa saltẽ efficiẽs eiusdẽ rei fuerit, cui nomẽ impertitur. At à feudo nobiles diuersas nãcisCũtur sortiunturq; denominationes sicut à comitatu Comes & à Marchionatu marchio dicitur, haud secus ac à ducato Dux, & à regno Rex cognominatur. Ergo feudũ vtpote rẽ suapte natura præstãtẽ ac nobilẽ nobilitare possessorẽ naturalis ratio dictat, nedũ reclamet. Verum enimuerò suppositis aliorum thesibus

qui

qui de nobilitate scripserunt, vt donemus hasce rationes concludere, ita profectò non imus inficias eiusmodi nostris inuentis meo quidem iudicio pulcherrimis, iuxta ac verissimis haudquaquam respondere. Nanque nos minimè concedimus nobilitatem esse fortunæ bonum, quod alij passim autumant vltroque seclusa quauis dissertatione tanquam pro confesso subijciunt, sed eam a voluntate non solùm proficisci verum etiam habitum esse laboribus proprijs conquisitum vel à progenitoribus in posteros (vt ita dixerim) transfusum adserimus. Quocirca nobilitas vt pote dos hominis intrinseca nequeat à rebus extrinsecis præsertim anima seu cognitione destitutis emanare. Quam ob rem si propriè pressiusque loqui velimus, non à comitatu Comes vel à Ducatu Dux sed Comitatus à Comite, Marchionatus à Marchione (de cæteris idem intelligi velim) denominare potius debet & ita conuenit. Etsi prouinciæ nomen semel à virorum dignitatibus adquisitum, ijsdem defunctis deinde perpetuò retinent ita, vt successoribus dominis videantur nomen elargiri. Doctores Iurisperiti cum inter eos variæ comperiantur sententiæ, quidam tamen (quemadmodum Andreas Tyraquelus) aiunt feudum emptum absque iurisdictione nō posse quenquam nobilitare, ni fuerit à Principe collatū aut confirmatum, nempe quia sic dando feudam cēsetur pariter exhibere nobilitatem vna cū feudo. In summa videntur huc huiusmodi tendere, quod feudum (vt scholasticè loquar) per accidens ac secundariò nobilitet, id est, authoritatis interuentu, vel opera Principis, ac ita non feudum, sed Princeps cùm propriè tùm etiam per se nobilitat hominem. At isthæc basis quippe cui Doctores illi passim innituntur, è medio iandiu sublata est, ergo nil mirum si tota machina labascit, & corruit, nedum tantisper in aduersam partem inclinet. Vnde prædicti doctores aiunt, nobilem effectum occasione feudi mox amittere nobilitatem à feudo conquisitam, si vendiderit aut reliquerit illud, atque ita produnt

eius-

eiusmodi nobilitatem agnosci veluti pilam, huc atque illuc à diuersis proiectam. Eadem fortasis occasione moti subdunt dominum minimè teneri rusticum inuestire (quemadmodum vulgò loquuntur) si fosse vendiderit el feudum. Itaque nobilitas patriæ, quæ iurisconsultorum testimonio nonnihil conducere videtur ad nobilitatem augendam, nullius momenti fuerit. Aiunt enim virum minori nobilitate præditum, sed tamen ortum ex nobilissima ciuitate, præferendum esse viro maioris nobilitatis, qui tamen ortus sit ex inferiori ciuitate. Verùm alij multi sanioris compotes mentis cōtra censent haud nobilitare locum hominem, quin potius homines exhibere loco nobilitatem. Proinde si forsitan alicubi reperiatur vrbs, quæ magnitudine posit æquari Niniue, quippe quā dicunt tantæ magnitudinis fuisse, vt vix eam triuni spacio dierum quis transire posset: si daretur inquam tam vasta ciuitas, quæ tamen sordidos haberet homines atq; nullis animi dotibus præditos, eiusmodi ciuitas haud dubiè quantacunque fuerit, ignobilis ilico venit æstimanda. Hinc Choos humilis (si quis magnitudinem attendat) patria nihilosecius nobilitatē longo interuallo quanplures alias circuitu maiores multò superauit propter Hyppocratis familiam, quæ longa successione temporis admirabiles Philosophos peperit, insignes medicos. Adeo magnanimus idem Hyppocrates Arthaxersi videlicet Regi potentissimo cum ab eo vocaretur, respondit haud decere Græcum hominem ad barbarum vtcunque Regem accedere derelicta patria tam insigni.

Qui

Qui clericalis ordo nobilitet ostendetur vnaque difficilimum proponitur obiectum.
Caput V.

ASTrologos de industria mitto dicentes astra nobilitare pariter ac afficere Principes, quia fortè velut indubitatum astra subijciunt hominum pręcordijs nobilem indere vel (vt ita dixerim) inserere qualitatem, cuius adminiculo subinde nobiles euadant. Verùm in præsenti doceamus qui clericalis ordo nobilitet. In primis vltro nobis dari cupimus absque morosa dissertatione, quod alioquin proximo libro solidis probatum est rationibus, nempe nobilitatem esse qualitatem intrinsecè perficientem, fomiti (sic à Theologis nuncupato) penitus aduersantem. Nanque sicuti fomes vtpote noxia qualitas ad agendum perperam continuò nos inclinat, vel (vt metaphora semel vtamur accommodatissima) detrudit ac impellit: ita nimirum ipsa nobilitas veluti suauis quidam igniculus ad instar boni genij cuiusdam intrinsece non solùm allicit, verum etiam ad sublimia capescenda sic inuitat, vt interea nos ad id agendum suauiter incidet atque quodammodo manu ducat. Porrò clericalis ordo quanquam deforis aduenit, veruntamen quoniam intrinsecè nos adficit, & ad benè operandum suauiter impellit, idque tantò magis, quantò diuinæ qualitates exuperant corporeas atque vincunt. Verum enimuerò scrupulus exoritur hic magni momẽti. Diximus hoc eodem opere characteres diuinos interuẽtu Prælatorum animis infixos(vt ita dixerim) nequaquam aduersari vitijs, quemadmodum neque eum humanis virtutibus dimicare. Quapropter adseruimus nobilitatem haud semper quidem à vitijs immunem offendi, sed tamen ad virtutes inclinari perpetuò secũdũ propriã eius naturam & vitia sẽper abhorrere, quemadmodum,

dum, & ad excelsa sẽper erigi, scilicet occasione nobilitatis intrinsece latentis igniculi. Caractẽrem porro diuinum adseuerebamus propterea nec vitijs aduersari neque virtutibus ob id, quòd in partem neutram impelleret hominem, sicuti nobilitas ad excelsa promouet, & ignobilitas ad vilia quantumuis bona vel honesta detrudit, diuinus verò character hominem ea qualitate solùm adficit & imbuit, vt huiusce vi qualitatis diuinæ quodpiam admirabile possit efficere, quod homo simpliciter quamlibet solers vel industrius, siue quomodocunque præditus humanis virtutibus nullo vnquam tempore posset pręstare quemadmodũ est cõsecrare Corpus, & sãguinẽ domini nostri Seruatoris, & alijs vt id agere queãt authoritatẽ manuũ impositionis ministerio cõdonare.

Eidem occuritur obiecto.
Caput VI.

QVam ob rem altius hic exordiendum est, vt nodi tam difficilis dissolutionem expiscari valeamus. Nobilitas vtpote laboribus proprijs vel hæreditate cõparatus habitus, humano modo corporis hæret instrumentis (verbi gratia) spiritibus aut semini progenitoris quippe quorum insita vis, quanquam admirabile visitur, & hominis penè captum excedit, ni tantisper acriori præditus ingenio reperiatur: seminis inquam aut spirituum insita vis longa successione generationis vel ad sexcenta lustra peregrinatur in posteros, modò videlicet qui subsequuntur, ita se nõ opponant impulsioni tot præclarorum habituum, vt successiuæ motionis filiũ (vt ita dixerim) frangant eorundem habituũ. At quorsum hęc? Inquies. Habitus hic veluti suauis quidã igniculus, corporeis hærẽns instrumentis vt pote fomiti vitiorum ex diametro (quod aiunt) contrarius, mentem propria quidem natura perennem, sed tamen interea proprijs eiusdem naturę viribus, erga molem corporeã

miri modis adfectum idque ratione multiplicitatis partium ex quibus conflatur, quippe quam multiplicitatem præ cæteris incorruptibilibus obtinet, quòd quidem vnus (quod sciam) Plato diuinus animaduertit: habitus inquam eiusmodi, qui nobilitas appellatur, adminiculo spirituum præsertim animalium (vt Galeni verbis vtar) ita mẽti Reginæ paret ac obsequitur; vt eandem insuper continuò suauiter alliciat, ad sublimiaque peruestigãdą vel meditanda sensim inuitet atque modo quodam hortetur. Hic habitus intrinsecè sic latet vt interea nihilósecius vel si nobilitatem dissimulare vel ementiri data opera voluer is extrinsecus necessario seipsam prodat, & (vt præ dulci metaphora semel vtar) efflorescat. Habet enim ipsa nobilitas apparentem extrinsece peculiarem suum quendam nitorem, nescio quos motus habet proprios, nempe quos nec verbis exprimere, neque calamo pariter describere valeas. Contra diuinus character haud quaquam consueto virtutibus in teriturismodo, figitur instrumentis corporeis, quinimò confestim illabitur menti. Proinde sic adfecta mens ordine retrogrado contra rerum corruptibilium ordinem descendẽdo sensim obluctatur animalibus præcipuè spiritibus vtpote menti simillimis, atque ita pededentim (sic fari liceat) fomitem seminarijs Principijs hærẽtem tantisper imminuit, haud secus, ac Ecclesiæ sacramenta præcipuè Babtismus & Eucharistia (ni fortasis de industria posuerimus obicem atque Spiritui sancto restiterimus) in nobis operari consueuerunt. Itaque diuinus character obluctatur quidem vitijs, at nõ immediatè radicem impetit, vnde vitia scaturiunt ac surculorum instar pullulant. Nanque viuam delinquendi scaturiginem quippe quam thologi fomitem vocitant, primò seminibus adhęrere seu spiritibus eorũdem seminum corporeis, & in posteros continuata seriè generationis propagari seu diffundi, nemo prorsus ibit inficias. Nanque mens humana corpori prædito suis ad id accommodatis organis ab omni labe delictorum immunis immittitur, vbi perpe-

petuò quandiu videlicet hic degit, cum fomite (sic à Theologis nuncupato) prælium committit, etsi cum eis qui bonum habitum adquisiuerunt, nequaquam atrox adeo bellum gerit, quando remissiorem paulò fomitem obtineant. Veruntamen in eisdem (exempli gratia) nobilibus idem fomes vecunque diminutus, vtcunque paucas habeat vires, nunquam tamen dat inducias, neque lacescere mentem desistit. Adeo carnis continuam experimur pugnam vnaque raram consequimur victoriam. Ergo superioribus libris cohærere vitijs characterem diuinum adseuerebamus, quia vitiorum scaturigini siue fomiti proximè vel immediatè non reluctatur quemadmodum nobilitatis habitus. Quam ob rem character diuinus, quanquam in vnam vitiorum perniciem primariò minimè tendit, sed alio proprium iter instituit, nihilominus quia mentem humanam insigni qualitate cohonestat atque nobilissima (quod patet) id circo verè nobilitat hominem vel hoc dato, quòd qui characterem suscipit, malum habitum adhuc ad vitia nedum vilia propensum sortiatur, scilicet cum qua propensione vitiosa diuinus character cohærere potest: si quidem ei propriè non opponatur, nobilitas autem non potest, cum eius propria passio vel adfectio dignoscatur ad bona præsertim excelsa semper inclinare, nec ad bona propensum esse, cum hac affectione contraria cohærere queat videlicet, ad mala quempiam inclinatum siue propensum videri.

Obiectum è medio tollitur.
Caput VII.

Scitè prudenterque admodum iurisperiti, quidam adnotant ex vsu & quasi possessione non perscribi nobilitatem, cuius initij memoria non extet. Sanè videatur hoc enuntiatum, fortassis prima fronte cum ijs vel è vestigio pugnare, quæ doctores ijdem alibi nos edocuerunt,

runt, nempe nobilitatem comparari scientijs, quod in Polyticis à Philosopho deprompserunt. Proinde si vir ignobilis intra paucos annos interuentu scientiarũ operaque nobilitatẽ consequitur, dein idem quanlibet ignobilis, imo, (quod est deterius) etiã pollutus vitijs à Principe (quemadmodum ipsi rentur, & nos hoc ipsum improbauimus nobilitatem adquirere potest, quorsum attinet hic adsetere non præscribi nobilitatem ex vsu vel quasi possessione nisi tanti temporis, cuius initij memoria non extet? Atqui diximus alias, & hoc idem epilogo breui repetimus, nempe vires ignobiles iampridem nobilitatos integrè vel prout conuenit etiam toto vitę curriculo nunquam aut certè vix posse rusticitatem (vt ita loquar) à progenitoribus, quo tempore concipiebantur, in eos transfusam exuere velut intimis (vt aiunt) medullis impactum. Adeò semel oblata leui qualibet occasione vel exiguo negocio relabuntur in pristinos mores, quando res quælibet facilè remeet ad suam absque labore propriamque naturam. Adhæc prauus aut vilis habitus etsi non est natura, veruntamen eiusmodi propensio naturæ vicaria planè cernitur & eiusdem (vt ita dixerim) pedissequa. Proinde quenpiam ignobilem denuo nobilitatum esse, nequaquam aduersatur adsertioni nuper allegatæ, siquidem nunc primùm nobilitatus quia continuò nititur summisque laboribus perpetuò contendit, vt vilẽ siue malum ignobilitatis habitum pessundet (vbi necare vel obliterare non permittitur) aut conculcet, siue quouis alio modo cohibeat minimè sit adhuc in possessione (quod aiunt) quieta seu legittima nobilitatus. Quinimò nati nuper nobilitati vel eiusdem nepotes à filijs progeniti vel hoc supposito, quòd nobiliter educentur, & educati nobiliter viuant, attamen perpetuò rudem aliquam ignobilitatis effigiem vel idolum adhuc retinent, tãtum potest vnus longa temporis intercapedine semel inueteratus habitus, quippe qui non nisi lustris vel ætatibus pluribus in habitum contrarium metamorphosi dura quadam transmutari potest. Proinde doctores illi Iuri-

spe-

speriti nequaquam eunt inficias (ut ego quidem opinor) de proximo nobilitatum dijudicari uerè nobilem, sed eundem in possessione (sicuti loquuntur) quieta siue tuta nobilitatis esse negāt: siquidem nemo credatur uerè, seu tutò possidere quidpiam, nempe, cui multa qnandiu possidet, obstant & quò minus quietè possideat, eum impediunt. Itaque non ipsa nobilitas, sed eiusdem nobilitatis tuta seu quieta possessio, non nisi tanti temporis interstitio præscribitur, cuius initij memoria non extet, quod quidem ab ipsamet experientia rerum magistra desumptum fuisse rationi consentaneum apparet, adeò nobilitas eo maior (quod antea iandiu probatum est,) quò diuturnior uisitur, & antiquor.

Ex nobilitate filiorum parentes ignobiles, minimè fieri nobiles contra decisionem Iurisperitorum. Caput VIII.

SI uera sunt, quæ de nobilitatis essentia proximo libro retulimus, ficuti profectò uera iure dijudicari non ambigimus, necessariò corruit placitum illud Iurisconsultorum, nempe parentes ignobiles ex nobilitate natorum, clarescere, seu nobilitatum iri. Nanque nobilitas intrinseca qualitas est, semini uel spiritibus hærens fixa præsertim animalibus (Galeni more loquar) ut ante dictum est, quippe quam generans uel in ipso generationis actu cōceptib⁹ indit ac (ut ita dicā) inserit. Quinetiam hanc eandem educatus infans qualitatem, ubi iam adoleuerit, & in uirum euaserit, si generare contingat eundem, suis deinceps eandem qualitatem infigit conceptibus, & ita successiuè uel in infinitum usque scilicet eo modo, quo nobis in generationibus infinitum admittere conceditur. Illud tamen interea perpendendum, id habere ueritatem in eis tantummodò, qui

H si non

ſi non præclara geſta parturiunt. quemadmodum eorũdem Abaui vel Attaui vel Trittaui videlicet, à quibus (verbi gratia) nobilitas eorum emanauit longaque ſucceſſione temporis effluxit: in eis inquam veritatem habere videatur aſſertio nuper in medium adducta, qui ſaltem exilia nobilitatis obeunt munia vel obſcuras, & ignobiles vt minimum pro virili ſua deuitant actiones, quandoquidem ſic agendo quanuis non augeant, nihilominus nobilitatem ab alijs partam adſeruant incolumen. Itaque parentes interuentu generationis modo nuper allegato vim ſeminibus proprijs inſitam in proprios natos vtique poſſint effundere. Veruntamen haud perinde natis conceditur habitum, ſiue qualitatem inſitam communicare parentibus, & ijſdem immittere, quandoquidem idipſum non niſi generationis opera vel adminiculo fieri contingat. Quã ob rem vt donemus parentes ex præclaris natorum facinoribus cohoneſtari, iuxta illud: gloria patris filius ſapiens, ita mehercle, non inficiamur eoſdem parentes ob id minimè nobiles euadere, quanquam hiſce natorum geſtis alliciuntur, inuitanturque parentes, vt ſarcina rudi ſemel ignobilitatis depoſita deincepſ ad ardua capeſcenda ſeipſos accingãt, atque ita ſenſim ignobilitas in deſuetudinem abeat, nouaque ſubinde qualitas oppoſita repullulet ac veluti recens quidam ſurculus germinet.

Nobilitatem ad hæredes tranſuerſales minimè progredi contra iuriſconſultos Cap. IX.

IVriſconſulti paſſim adſeuerant nobilitatem in hæredes quoque tranſuerſales diffundi, ſeu propagari. Verùm id inter eos diſcriminis intercedit, quòd nonnulli eorum ad fratres eam extendi ſolùm autument, alij deinceps ad quartum vſque gradum pertingere mordicus tueantur, cum hac appendice: modò nobili-

liter viuant. Ego verò neque possum nec volo contra propriam animi conscientiam subscribere cæterorum opinionibus. Nanque si de quo magis videtur inesse, & non inest (iuxta regulam Topicam) igitur & de quo minus, at magis videtur expedire, quòd ex virtute natorum parentes nobilitentur, cum alioquin ob id nobiles reddi nequeant, ergo multò minus transuersales præsertim vltra fratres id consequi poterunt. Hic differēdi cāpus latè patet. Expaciari lubet, quando pascua tam læta, vel vltro se offerant conspicienda. Nemo est, qui non admittat ex alicuius dignitate præcipuè sublimi, verbi gratia, si quis priuatus euadat in Regem vel in Summum Pontificem, quod nostra tempestate non semel contigit: nemo est inquam hoc casu, qui nō fateatur vniuersā eius familiam illustrari, quandoquidem instar lunæ, quæ suapte natura dignoscitur opaca, radios aliunde venientes, & excipiant, & propria soliditate pariter eosdem in alios reflectant, atque ita plures illuminent, quod mehercle locum habere non posset, ni forent illustres ipsi siue nobiles. Hinc summorum Pontificum nepotes, fratres, multoque magis parentes, insuper & alij remotiores affines vel hoc supposito, quòd pri⁹ ignobilissimi fuerint, ilico non solùm simpliciter nobiles verum etiam ab omnibus indiscriminatim illustres aut etiam illustrissimi vocitantur. Nunquid (dic sodes) eludere vel reijcere valeas omnium opinionem? Hic perpendenda venit tanta summorum Pontificum aut Regum dignitas ac splendor. Quanquam etenim astra (si pauca quædam excipias) vtcunque luminosa nequeūt alijs lumen indere tantum vt luminosa sint, id est, vt alijs lumen impertiri queant, ita nimirum priuati nobiles nusquam tantum splendorem obtineant, vt alios insuper quos minimè genuerunt, nempe transuersales illustrare sic vt in nobiles euadant, & ex vmbraculis (vt aiunt) in solē euocare possint. De summis Principibus pręcipuè, Regibus, atq; Pōtificibus alia fortassis est ratio quia præter iurisdictionis authoritatem, characteris

quoque, vel sacræ inunctionis siue chismatis dignitas accedit: siquidem ij Solis instar eos pariter quos haud generarunt, modò sanguine coniuncti sint, ita possint illustrare, vt ijsdem in alios lumen illud (quemadmodum luna) reflectere liceat. Porro sicuti luna quanquam alienis lucet suffragijs, attamen suapte natura, videlicet intrinsecè neutiquam censetur luminosa, quandoquidē habitum intrinsecè cuiusdam instar principij naturalis minimè possideat, ita nimirum ignobiles à transuersalibus illuminati nusquam intrinsecè clari nobilesque fuerint. Adeò propensionem vel inclinationem ad bona præsertim excelsa (quæ nobilitatis propria visitur adfectio) nusquam adepti sunt, adhæc eosdem ea clementia blanda (quemadmodum Tullius ait) conciliatricula destitutos planè videas. Cæterum id commodi transuersales ex occasione dignitatis affinium excelsæ nuper adeptæ consequuntur, quòd salutati nobiles ab omnibus atque diuitijs cohonestati (ni more pecorum ali vel adseruari malint) ac ita gaudeant in fimo delitescere suum instar: id inquam commodi transuersales nanciscuntur, quòd non solùm ad vitam simplici modo nobiliter agendam siue traducēdam, verùm insuper ad facinora sublimia cùm adgredienda tùm etiam exercenda strenuè sic alliciantur & inuitentur, vt etiam veluti calcaribus adacti modo quodam ad eadem exequenda rapiantur.

Vxores cùm nobilitatis tùm etiam ignobilitatis virorum fieri participes, sed non è contra. CAP. X.

IVrisconsulti palàm definiunt vxores insequi coniugum fortunam ita, vt ipsæ quanlibet ignobiles si nobili viro nupserint, protinus euadant nobiles. Sin autem ipsæ nobiles genere fuerint, & ignobili viro copulantur, tùm easdem protinus in ignobiles euadere

præ-

prædicant. Contra vir ignobilis nobili mulieri matrimonio coniunctus haud propterea nobilitatur, ficuti copulatus vtcunque nobili feminæ genuinam suam haud amittit nobilitatem. Ifthæc meo quidē iudicio, quæ Doctores Iurisconsulti referūt, & vera sunt, & relatu facilia, verū tamen adsignare rationes, quæ sic intellectui faciant satis, vt interea contētus permanere vel quiescere valeat, hoc opus, hic labor est. Neq; enim iure magni faciendi veniunt, qui glomeratim siue confertim adductis in medium infinitis (vt ita dicam) legislatorum authoritatibus ac legibus tanquam in aceruum adcumulatis, hominum ingenia pessundant, conculcant, obruunt, atque quodammodo suffocāt: sed eos admiror, qui productis rationibus quæ legislatores vt ita deciderent, pellexerunt. Vt enim vnum ex hisce præclaris Doctoribus vere philosophis amore magis prosequor, obseruo, simul ac pluris ęstimo, quàm sexcentos alios, ita nimirum eos odi capitaliter, qui laborem pertesi studiorumue desidiæ plus iusto dediti perpetuò velut in Asyllum ad eam legem confugiunt. Non omnium quæ dicta sunt à maioribus nostris, ratio reddi potest. Nanq; si legislator hisce verbis id intelligeret, quod prima statim fronte representant ac sonare videntur, haud dubiè stupidus foret neque dignus, cui fides adhiberetur, imò lex eiusmodi iure veniret abroganda. Proinde si legislatoris egregij sententiam perciperent proutque cōuenit, animo volutarent, eos mediusfidius effutire (ne dicam excreare) puderet nenias vel aniles eiusmodi (quod aiunt) fabulas, quandoquidem insulsè responsa prudentum interpretando palàm ineptiant. Atqui longius cucurri paulisper, ac putaram. Ad institutum vnde nostra iandudum effluxerat oratio redeamus. Virum esse caput mulieris cùm sacra testantur eloquia, cùm naturalis ratio dictat. Huiusce theoremetis vel decreti ratio forsitan esse queat, quòd in matrimonij contractu fœmina, subiecti seu materiæ, vir autem speciei seu formæ vices gerat. Adeò quemadmodum in omnibus quæ natura

constant sub humanumque cadunt obtutum, forma siue species subiecto nobilitatem condonat, materia verò merum vtpote speciei vehiculum, eidem formæ, vel nullas aut profectò nō effatu dignas elargitur actiones, ac ita nullam ei dignitatem impartitur: sicut inquam in sensibus rebus forma subiecto nomenclaturam vnaque dignitatem tribuit, non autem speciei subiectum, ita nimirū in humanis vel diuinis actionibus quidquid formæ vices gerit, ei quod materiam refert atque repræsentat, dignitatem conferre simul, ac nomenclaturam tribuere naturalis ratio suadet. Proinde nil mirum quod vir caput mulieris à Paulo sancto prædicetur, præcipuè cum idipsum natura parés nos edoceat. Verùm inquies. Quòd vir mulieris caput agnoscatur, & speciei vices gerat, hoc nullum habitum intrinsecè mulieri siue qualitatem impartitur ad pręclaras actiones eam inclinantem, iuxta definitionem proximo libro nobilitatis adsignatã, ergo mulier ignobilis viro copulata quanlibet nobili nequeat ab eodem adminiculo matrimonij nobilitatem adipisci. Porro, quanuis ratiocinium istud concludat, nihilominus aliud aduotandum est, nempe matrimonium non promiscuè quodlibet sed christianum, verè sacramentum esse. Adeò diuina sic iubente pariter, ac efficiente prouidentia maritus vtpote Christi Domini virtute mulieris caput effectus, eidem pariter qualitatē, & habitum suis habitibus conformem infigit eamque sibi similem efficit vtpote potentior iureque diuino caput ac Dominus.

Nun-

Nunquid Regina viro quantumuis ignobili copulata virum eundem nobilitet.

CAP. XI.

ATqui fieri ne potest, vt ignobilis Reginæ copulatus eo matrimonio nobilitetur? Si de iure diuino vir caput est mulieris, & eam regere debet, id sanè tam in reginarum matrimonio quàm in priuatis mulieribus siue nobiles eæ fuerint, aut ignobiles, locum habebit. Neque enim eloquia sacra nobilē ab ignobili distinguunt, quotiens de coniugatis verba faciendo, virū mulieris caput esse decernunt, & sanciunt. Quapropter prima fronte mirum videtur Iurisconsultos vtpote Christianos adsignasse discrimē, & exclusisse Reginas à matrimonio cæterarum mulierum, cū interea sacrę literę nullum omnino discrimen scriptū nobis reliquerint. Præterea si Regina, quæ nupsit ignobili viro confestim eūdē nobilitat, cur Cōmitissa vel Marchionissa (de cæteris nobilium speciebus idem intelligi velim) ignobili pariter viro nupta mox eūdem haud nobilem reddet? Hic per tātisper figendus erit. Vir ex matrimonij viribus vtpote sacramenti, quod quidam sacramentum ilico virum constituit vxoris ducem & caput: vir inquam ex eiusdem sacramenti viribus dignior effectus interuētu copulæ carnalis mulieri qualitatē, & habitū imprimit, quo nobilis ilico redditur, modò nobilis ipse fuerit, id est, ipsam efficit eiusdem sacramenti virtute suarum qualitatum, quas ille bonas possidet, capacem, mulier verò tāquā imbecilliores eiusdem vi sacramenti suscipiens vires ignobili viro propriam nequit impartiri nobilitatem. Quinimò copulæ carnalis interuentu quanquam ante nobilis fuit, sorditiem ab ignobili viro situmque contrahit, & ignobilis efficitur, quando vir vtpote Dux atque maioris cōpos dignitatis & efficatiæ plus inquinando vel illustran-

do, quàm ipsa mulier obsistendo vel exhibendo præstare queat. De Regina secus est. Nam ea quamuis ex matrimonij viribus interuentu copulæ carnalis, ignobilem virum nobilitare nequeat, nihilominus occasione characteris adquisiti, quo tempore videlicet inungebantur oleo sancto Reginaq; consecrabatur: Eiusdem inquam uiribus freta siue prædita consecrationis, copulæ carnalis adminiculo uel obscurum utcunque uirum nobilitare potest. Hinc isthæc corolaria deducere uel inferre liceat. Primò Regem infideles aut hæreticos utcunque potentes, haud posse coniugem ignobilem efficere nobilem, propterea quòd eisdem sacramenti uis desit, quæ similibus coniugatos uiribus insignire uel imbuere consueuit. Secundò Regina pariter infidelis aut hæretica tanquam eo charactere destituta consecrationis, uirum ignobilem illustrare uel nobilem efficere nequeat, quandoquidem è medio sublata causa, deinceps effectum ablatum iri (uelis nolis) omnino necessarium uideatur. Tertium esto corolarium inde deductum fuerit, nempe Ducissas quanlibet potentes ne dum alios nobilitatis gradus, inferiores neutiquam posse uiros ignobiles nobilitare, propterea quod orbatæ seu destitutæ suffragijs atque uiribus consecrationis comperiantur. Nec hæreticis hoc casu quidquam profuerit, si colere Christum se profiteantur, quia nullus extra matrem Ecclesiam Catholicam cultus Christo domino placere potest: siquidem ea sponsa Christi meritò dicatur ac reuera sit, deinde firma ueritatis columna, siue basis non iniuria uociretur.

An ob paupertatem amittatur nobilitas. CAP. XII.

MEdia quibus nobilitas paratur hactenus pro virili nostra recensuimus. Deinde quæstiones nonnullas hinc emergentes è medio sustulimus. Nunc tempus monet, ut actiones uel habitus nempe quibus euanescere uel ad nihilum redigi nobilitas consueuit, referamus. Itaque primò quæritur, an egestate nobilitas intereat. In fauorem adfirmatiuæ partis propositæ quæstionis dici potest, paupertate plures impediri nobiles actiones, quæ propriè nobilibus adscribuntur, Exempli gratia, magnificentia, uel magnanimitas. Qui enim obsecro magnificus esse queas, si destituaris opibus? Qui rursus magnanimitatem exercueris, si tibi media defuerint, quibus ut uires eiusdem exeras, iandudum fortassis animo conceperis, haud prodere queas? Quam ob rem sublatis è medio rei cuiuspiam adfectionibus proprijs id quoque necessariò corruptum iri naturalis ratio dictat. At eiusmodi nempe magnificentiam atque magnanimitatem proprias dignosci nobilitatis adfectiones, quis vnquam in dubium vocauit? Nunquid virtutes morales præsertim inter eas excelsæ magis, nēpe quas nuperrimè produximus in medium, ex ignobili quemlibet protinus nobilem non efficiunt? Quid? Nonne virtutes morales præcipuè sublimiores vim nobilitandi maiorem, quàm scientiæ quanlibet speculatiuæ (quemadmodū peripathetici loquūtur) nedū artes vtcūque liberales nō obtinēt, & in seipsis propria natura possident? Ex his ergo liquet pauperie nobilitatē extingui. In hanc eādē opinionem descendere visus est, Bartholus aliquot in locis, in quibus ægestate deleri nobilitatem adstruit, quanuis alibi videatur oppositum adseruisse. Tiraquelus glosat Bartholum, inquiens pauperie nobilita-

tatem auferri non secundum rei veritatem, sed ex consuetudine quarundam partium Italiæ, quod ibidem intellexisse Bartholum eundem existimat, & eum alibi de iure communi locutum fuisse contendit, vbi nusquam paupere nobilitatem aboleri prædicat. Alio modo Bartholum interpretatur inquiens. Vbi Bartholus ait ex paupertate perdi nobilitatum, haud loquitur de paupertate simpliciter, sed coniūctim de vilibus artibus, quippe quas forsitan pauperes nobiles ob indigētiam atque rerum necessariarum penuriam exercere coguntur. Nam sicut opes non impertiuntur nobilitatem, quamuis eam cohonestent, ita nec paupertas eandem eliminat. Equidē argumētis nuperrimè propositis ita facere satis me posse crediderim. Fusè docuimus in opere cui titulus inscribitur de amore, & felicitate, nomenclaturam siue denominationem rerum non ab actionibus, sed ab habitibus petendam esse: siquidem actiones varijs ex causis impediri possint, habitus autem vtpote qualitates (authore Philosopho) de difficili mobiles amoueri non perinde contingat. Hisce suppositis aio quempiam dignosci simul, ac reuera dijudicari magnificum (& sic de singulis) vel si nullo tempore vnquam actu magnificentiam actu semel exercuerit. Nam igniculus ille nobilitatis adinstar oppressæ vel obrutæ scintillæ cuiusdam interius latentis vltro seipsum prodit. Adeò cognoscas egenum vere nobilem egregia nihilosecius quanplura præstiturum, sed ab egestate prohiberi, quò minus virtutes morales nempe sublimes exerceat. Accedit quod pauperrimus dignosci queat liberalis (exempli gratia) vel magnificus, quotiens pro sua tenuitate libenter exponit ratione dictante, quidquid erogare potest, atque ita nimirum argumētationibus nuper allegatis factum satis arbitramur.

Per ingressum religionis euanescere deperdique nobilitatem. Caput XIII.

QVod ad religionem attinet, quisquis vltro religionẽ varijs legibus coarctatam libenter ingreditur, is data opera videatur eius vitę generis facere delectum, in quo vel si maximè velit, interea tamen exercere nequeat sublimes virtutes non solùm morales verumetiam (vt peripathetici loquuntur) speculatiuas, hoc est, intellectrices. Quod ad morales pertinet, Sancti Francisci (verbi gratia) vel Dominici Monachos haud posse liberalitatem excolere, magnificentiam, magnanimitatem, & alia id genus late patet. Benedictini quippe cuius religionis me quodammodo membrum esse profiteor, quandoquidem in eo cætu duos habeam natos, qui Deo seruiunt; monachi inquam Sancti Benedicti quemadmodum, & Carthusiani sic obstricti visuntur horis canonicis, & officijs, quæ videlicet occinunt in templo permultas horas, idque præter meditationes in cubiculis priuatas, quæ dubio procul munia sic eos occupantur, vt vix necessariæ quieti pro refocillãdis membris vitæque conseruãdæ locus relinquatur, quod euentus planè declarat, quãdo paucos admodum in hisce cætibus monachorum senes reperias. Missos interea facio Sancti Francisci monachos (vt aiunt) reformatos, nẽpe quos in Italia vulgò capucinos vocitant, quorum adeo durum viuendi genus apparet, vt eisdem munijs obeundis homines animo quanlibet indefesso superesse vix queant. In summa plurium religiosorum viuendi genera reperias, in quibus vix vno vel altero scilicet robustis firmisque prædito viribus vna vel altera supersit horula, quò videlicet perexiguo tẽpore studijs atque scientijs perdiscendis nauare possit operam. Adeò tanta visitur angustia temporis, vt penè satis esse videatur, si vitam hoc pacto transigere possint in columen. Ergo quicunque de industria dele-

ctum

ctum facit huiusce viuendi generis, idem pariter ex professo censeatur illud vitæ genus eligere, scilicet in quo neque virtutes morales, hoc est, præcipuas exercere queat, nec scientias addiscere speculatiuas, vel si postquã fuerit in hisce cœnobijs conclusus id mirificè votisque summis anhelet, & expetat. Porro quid aliud, obsecro, fuerit hoc ipsum, quàm nobilitatem ipsam auersari vel abominari, ne dicam velut pestilens virus execrari? Nanque quòd nobilis egestate pulsatus vires exercere nobiles nequeat, eidem vitio minimè vertitur, sed incusatur ægestas. At qui religionem ingreditur angustam sponte videatur virtutum cuiuscunque generis, & intelligentiã, & exercitiũ effugere, simul & consultò deuitare. Quocirca prima fronte saltem vel optimo iure diiudicandus veniat omnium hominum ignobilissimus, qui degunt, atque vitam in terris traducunt.

Per ingressum religionis adaugeri nobilitatem, solidis probati argumentationibus. *Caput XIV.*

HAec Ethnicis Christianæque pietatis omnino nescijs obiecta seu tela fortassis appareant, quæ nullatenus eludi vel euitari possint, ei verò qui nouum aliquoties induerit hominem exueritque veterem) vt sacræ literæ loquuntur) Adamum, ita non magni æstimantur, vt minimo labore dissolui simul ac velut nebulæ quædam disijci vel disperdi queant. Præclara virtus est liberalitas in Ethicis à philosopho scriptis prodita. Multò præclarior magnificentia docetur, vt quæ non nisi difficilibus in sumptibus versetur. Admodum rara putatur magnanimitas. Non inficiamur isthæc esse vera pariter & egregia laude digna. Quis non admittat vtraque probet hoc ipsum? At multò laudabilius

lius vnaq; celebrius fuerit uitam, quam opes profundere, vel animi consequendæ nobilitatis ergo mortem oppetere. Quid obsecro cunctis in actionibus humanis honorabilibus? At non humana, sed verè diuina sunt huiusmodi. Vt enim donemus extrinseca quæ possidentur, ac communem vsum elargiri cæteris, ad hominem pertinere simpliciter, ita profectò non imus inficias, agere libenter, quod non vis (videtur enim apertè contradictio) proprium velle seu propriam abnegare voluntatem vel (vt paulinis vtar verbis) seipsum vltro crucifigere; non imus, inquã, inficias, actiones, id genus ad hominem haud quaquam spectare simpliciter, sed ad hominem cum hoc adiuncto vel appendice mirabili; diuina quandoquidem id exequi nemo ni deforis aduenìente diuino spiritu fulciatur aut meditari tam excelsa vel animo concipere queat. Quam ob rem quicunque propter vnum Dei cultum sponte mundum deserit, imò potius consultò relinquit immundum, atque religionem ingreditur. is reuera præ cæteris magnanimus, is verè liberalis, is propriè magnificus optimo iure venit æstimandus, quia non solas opes nempe quas tutò nunquam possidet, quinimò propriam abnegat voluntatem, & seipsum non ad certũ vsque tẽpus, sed (ꝙ oẽm cogitationẽ exuperat) alijs in perpetuũ, id est, quandiu degit in hoc misero corporis ergastulo deuinctum dedit, vltroque mancipium efficitur. In summa qui solius dei cultus ergo religionem ingreditur, eique seipsum deuouet, vel examussim cunctas, ad vnum virtutes exercet morales, præterea diuinas, quippe quæ longo morales interuallo superant vires, exerit ei diuinitus illapsas. Quò fit, vt nõ modò pristinam quam ante possidebat, is nobilitatem non amittat, verumetiam omnium hominum qui sæcularem vitam traducunt, nobilissimus, existat, quod quidẽ etsi vulgus nõ agnoscit, ꝙ tamẽ diuinę participes ĩtelligẽtiæ reperiũtur vtcũq; pauci, uel hoc ipsũ luce meridiana clarius, & animaduertũt, & intuentur. Quapropter ij quum nobilissimi semel hoc

pacto

pacto iam euaserint, maiori pariter honore digni iure veniunt existimandi, Veruntamen paucis admodum innotescunt, propterea quòd plerique visum mentis habetem sortiantur. Ad eundem modum solis corpus quanquam propria natura maximè conspicuum cernitur, non nisi tamen oculis aquilæ prout conuenit, vel adamussim innotescit, quandoquidem oculi cæterorum animantium fulgorem luminis tanti sustinere nequeant.

Opinio legislatorum ac eorundem interpretum in hac materia reijcitur.
Caput XV.

VErum enimuerò prudentum respõsa legislatorũ, quæ propemodum ab interpretibus innumera citantur, oppositum definiunt, & conclusioni nuper in medium adductę proximo capite palàm aduersantur. Nam etsi textus ac iura, quæ testantur nobilitatem euanescere, vel ad nihilum redigi per ingressum religionis, minimè velint iuxta quorundam interpretationem amitti nobilitatem generis absolutè: siquidem id aduersari videatur alijs apertè legibus ac doctorum decisionibus oppositam sentẽtiam adstruentibus, nihilominus ex ijsdem legibus colligi debere tandem autumant, per ingressum religionis euanescere, vel deperdi solummodò dignitates nobiles, nempe quales pręcipuè creduntur (exempli gratia) ducatus, regnum, & comitatus, non autem ipsam nobilitatem simpliciter. Huiusce decreti rationem subnectunt & aiunt: Quam primum enim quis Monachus efficitur, & clamidem exuit sæcularem ilico definit esse Rex (verbi gratia) Dux, & Comes. Atqui decidentibus quæstionẽ hunc in modum manifestò caligare videantur oculi mẽtis. Nam Regem, Ducem, aut Comitem esse, dubio procul species credantur esse nobilitatis, Proinde si deleri vel annihilari possunt hæ nobilitatis præcipuæ species,

cæ-

cæteræ multò facilius è medio nonnunquam auferri cõtinget. Quo fit, vt eorum uana decisio censeatur, quando dicant hoc pacto scilicet quispiam propter ingressum religionis ilico desinat esse Rex, Dux, & Comes, attamen haud subinde propterea desinit esse nobilis absolutè vel simpliciter. Quid ais? Nunquid non militat utrobique penitus eadem ratio? Si potioribus eiusdem nobilitatis orbari speciebus potest nonne minori dispēdio multoq; facilius primo nobilitatis gradu seu specie tanquam imbecilliori siue paucioribus prædita uiribus aliquando destitui poterit? At inquies forsitan Regia dignitas perit, & Rex confestim esse desinit, quia regnum interit aut eo saltem orbatur. Vnde Dux & Comes eadem ratione ducatu uel comitatu priuatus continuo desinit esse Dux aut Comes. Porro rationem eandem in simplici nobili militare sic ostendimus. Simpliciter uel absolutè nobilis ut primùm efficitur monachus, continuò potestatem una cum diuitijs omnem atque fauores amittit sęculares, nempe quorum adminiculo siue quorum suffragijs actiones obire potest, quæ uerè creduntur ad hominem pertinere nobilem, ergo uelis nolis inde liquidò deducitur, eo casu simplicem amitti, uel in præceps quodammodò ruere nobilitatis speciem. At respondebis utique scio, quandoquidem alius omnino nullus concedatur receptui (ne dicam fugæ) locus: respondebis inquam per ingressum religionis amitti quidem occasionē atque uires exercendarum nobilitatis actionum, sed tamen habitum, ad huc superesse spiritibus, & eorum fantibus infixum ad actiones exerendas nobiles inclinantē, ac ita simplicem per consequens etiamnum radicitus hærere nobilitatem, quæ prius in eo fuerat, incolumen, quanuis inpręsentiarum delitescat potius, quàm non præsto sit, quoniam de industria propriam abnegauit uoluntatem (uel ut more loquar euangelico) quoniam is, qui Monachus efficitur, uniusque Dei cultus ergo religionem ingreditur, propriam odit animam, quippe quod mysterium vulgus non capit neque caro percipere po-

poteſt. Verùm in Rege, Duce, vel Comite prorſus eadem ratio locum habet, & in cæteris quoque ſpeciebus nobilitatis hoc ipſum intelligi debet; ſiquidem Rex vtcunq; regno pulſus, eiuſdem regię nobilitatis habitum, ſiue qualitatem nihiloſecius in ſeipſo poſſideat, & Dux, aut Comes ducatu uel comitatu priuatus, etiamnum ad moderãdas Reſpublicas nihilominus reperiatur aptus, & idoneus ac antea, quando Ducatum aut comitatum poſſidebat.

Communis ac promiſcuè recepta legislatorum, & eorundem interpretum opinio de nobilitatis amiſſione monachorum, & expungitur, & obliteratur. Caput XVI.

DOctores, Iuriſperiti, meo ſaltem iudicio perterriti rationibus. & argumentationibus iiſdem fortè ſimilibus, nempe quas proximo capite retulimus, animũ (ut ego quidem opinor, neque credo falli) deſponderunt, ac ſubinde quaſi priori parum fidentes deciſioni non ſententiam, (quæ nulla prius fuerat) ſed opinionem mutarunt. Quò fit, ut poſt multas altercationes tãdem ex multis iuribus & legibus concluſerint, per monachatum haud perdi quidem, uel aboleri iura ſanguinis atque nobilitatis, ſed tamen eiuſdem interuentu monachatus ipſam expungi uel penitus obliterari nobilitatem (adiungunt hanc appendicem) quantum pertinet ad unum Deum, quippe cui uel indiſcriminatim omnes iure putentur æquales, adhæc quantũ (ita enim illi rentur) ad ipſos monachos ad inuicem: ſiquidem unus in eorum cætu minimè diiudicetur alio ſuperior, nec alter altero nobilior, quando ſint in omnibus promiſcuè pares de iure canonico, quanquam de ſæcularibus (ut patet) ſacerdotibus, & clericis res longè aliter habet, hęc illi. Nos

verò primùm discutiemus, an omnes coram Deo sint æquales ac nulla respectu Dei putetur nobilitas. Preterea nunquid sanguinis viribus atque nobilitatis videlicet superstitibus ipsa tamen interea possit aboleri vel euanescere nobilitas. Quod ad primum attinet, latè patet ex locis quanplurıbus primo libro citatis, cùm ex testamento veteri puta. Nu. 1. Eccl. 25. & Deut. 1. Dein 1. Regum cap. 2. tùm ex nouo testamento sacram paginam admittere nobilitatem. Item ostendimus eodem libro Patres orthodoxos eandem plurimi fecisse nobilitatem. Itidem habemus in Euangelio præter loca superius allegata: Qui fecerit vnum ex mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno celorum. Qui autem fecerit ac docuerit, hic magnus vocabitur in regno cęlorum. Quid aliud esse reris magnum in regno celorum aut paruum, quàm nobilem vel ignobilem. Rursus illud Euangelij: Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Dic amabo nonne copiosior vberiorque merces exhibetur nobilioribus atque dignioribus? Dein absumptis omnibus diluuio, superstite tantummodò Noe cum tribus natis, Sem & Iaphet maiorum nobilitatem, & retinuerunt, & inposteros propagarunt. Cham autem ob derisum patrem ebrium à nobilitate cecidit patre videlicet ita dicente: Maledictus Cham, seruus erit seruorum suis fratribus. Quid? Nunquid in Hyerarchia cælesti spiritus animaduertere non liceat alios alijs offendi digniores atque nobiliores? Nunquid etiam astra vel sydera non solùm ordine, sed virtute pariter ac potentia discrimen inter se non sortiuntur sic, vt alia modo quodam imperium exerceant, splendoremque reliquis impertiantur ac dignitatem? Nonne cunctis in rebus ordinem esse constat? Quas obsecro res in tota natura reperies, in quibus imago nobilitatis aliqua vel præstantiæ non constituatur? Quis præterea nescit quo pertineat illa parabola Domini nostri seruatoris apud Diuum Matheum, Cap. 13. de fructu cùm centesimo tùm

sexagesimo tùm etiã trigesimo diuis pro modo virtutũ ac meritorum constituto? Nũquid vel inter animantia rationis expertia quædam nobilitatis,& ignobilitatis effigies non visitur? Adhæc in arboribus atque cæteris corporibus anima destitutis nunquid non idolum aut simulacrum rude saltẽ,& informe propemodũ nobilitatis,& ignobilitatis non apparet? Itaque velis nolis ex pagina sacra colligitur apud Deũ quoque nobilitatis & ignobilitatis discrimen offendi. Quò fit, vt Monachi pariter quò magis humiles, atque sancti fuerint, eo nobiliores apud Deum existimentur. Mitto quòd inter Monachos alij præsint,alij verò subsint. Proinde qui cæteris præsunt, & ab alijs eliguntur, vt præsint, cæteris iure merito digniores vnaque nobiliores æstimantur. Præterea quod Monachi iuxta religionis præscriptum de iure canonico pares habeantur, id non arguit inter eos nullum esse nobilitatis, & ignobilitatis discrimen. At iura canonica non aboleri,verùm supprimi vel subticeri nolunt nobilitatis, & ignobilitatis nomenclaturam siue denominationem, vt humiltas inter eos adseruetur superstes, & occasio tentandi vel seducendi proripiatur hosti generis humani. Quam ob rem nobilitas inter electos apud Deum quoque seruatur, & eadem est, cum ea penitus, quæ magni fit, & æstimatur apud homines, etsi quicunque Deo parent, ad excelsiora sublimioraque multò magis aspirant, & animo volutant. Hinc Thesim Iurisconsultorum alteram exiguo negocio demoliri possumus, nempe qua definiunt sanguinis iura siue nobilitatis adseruari, sed tamen ipsam occumbere seu fatiscere nobilitatem. Hoc etenim perinde est, ac si quis efferret subiecti proprietates vel adfectiones illæsas conseruari, sed tamen interea subiectum ipsum interire, quod mehercle quàm naturalibus, aduersetur speculationibus in Philosophia vel mediocriter exercitati dijudicent. Itaque nobilitatis iura suas vires, & existentium (vt scholasticè loquar) à nobilitate desumunt quippe qua, semel è medio sublata

vel

vel perempta, mox eiusdem iura velut adfectiones proprias ablatum siue pessum iri naturalis ratio vel mediocriter exercitata non modò simpliciter persuadet, verum etiam inuitos fateri cogit.

An exercitio vilium artium amittatur nobilitas. Caput XVII.

DE vilibus pręcipuè sordidis artibus ambigere neminem prorsus inuenio quin earum exercitio nobilis vilescat atque situm (vt ita dixerim) rubiginemque contrahat ac ita per consequens sensim in ignobilem degeneret. Verùm si quisquam non ipsemet sed per alios exerceat, longè alia ratio est. Nanque iura ciuilia fortassis minimè decernunt interire nobilitatem exercitio vilium artium ad hunc sensum, nempe quotiens eas quispiam non per se, sed per alios exercet, putà si forsitan vtatur opera seruorum vel institorum: siquidem Romanos vel nobilissimos exercitii vilium artium intercuētu uel operæ seruorum locupletes fuisse redditos abundè liqueat ex hystorijs quemadmodum de Crasso scribitur. Adeo Pertinacem Romanum quantumuis Imperatorē exercuisse mercaturas, sed tamen per alios homines, non aliter ac priuati facere solent, in eiusdem uita Iulius Capitol. scriptum reliquit. Huic sententiæ uidetur insuper adstipulari Panor. cōsil. 6. uerba faciens de clerico uendente uinum cæterosque fructus, qui suis in prædijs nascebantur. Si uerò nobis eam obieceris regulam: Qui per alium facit per seipsum facere creditur, respondebo confestim id propriè non esse verum idque ex Bartholi sententia. Quin etiam supposito, sed tamen haud concesso, quòd id verum esset nihilominus hoc casu non procederet ea regula. Nanque leges, & statuta perpetuò considerant actum exercentis hominis, qui diligenter examussimque venit perpendendus, an

ob eam actionem vilis conferi debeat. Quanquam eum omnino culpa non vacare, qui vetitas artes huiusmodi per alios exercet, ex multis textibus, & glosis in iure ciuili manifestò colligitur. Andreas Alciatus in lege mercis de verborum signifi: adnotat obseruandam esse loci consuetudinem, id est, nunquid eos loci consuetudo qui per alios artes huiusmodi viles exercent, inter ignobiles adnumerent: Verumenimuerò decisiones quæstionum id genus supponunt velut confessum, (quod primo huiusce operis libro docuimus) nempe consuetudinem atque communem hominum opinionem ex ignobilibus efficere nobiles, quod nimirum adserere nedum innuere iura ciuilia videntur. At hoc pacto nobilitas (quod eodem primo libro diximus) minimè fuerit intrinseca qualitas ad instar surculi vel igniculi nobiles germinans actiones, quinimò fortunæ bonum potius, vt omnes ad vnum rentur, vel à casu quidpiam proueniens fuerit. Atqui nos hāc hyppothesin expunximus, igitur ea, quæ deinceps inde suā trahūt originem destructum iri liquidò videtur. Itaque si dixerimus patriæ consuetudinem derogare nobilitati per exercitium (quanuis per alios non autem per se) vilium artium vel eidem nobilitati non nihil detrahere: si dixerimus inquam idipsum sicut, & eandem loci consuetudinem atque communem hominum opinionem efficere nobiles, eo casu sanè continget eundem in vno loco nobilem esse, qui videlicet in alio fuerit ignobilis, idque vel hoc supposito, quòd interea minimè genus vitę mutauerit, nec aliquid prįclari vel obscuri magis gesserit, ac solebat prius, sed in eisdem obeundis continuò munijs, & actionibus perseuerauerit. Sed hoc pacto (Dij boni) quàm vana, quàm inconstās, quamque lubrica, vel ementita fuerit isthæc nobilitas? Equidem hoc in negotio definiendum esse crediderim, exercitio vilium artiū, quod per alios obiri siue transigi consueuit, non subtrahi quidpiam honoris nobilitati, modò videlicet is, qui per alios viles easdem artes exercet, seipsum haud immisceat

addi-

addiſcendo viles illas artes, ne decipiatur, ſed fidem alijs adhibens tantummodò ſupputationes expenſarum, & lucri conſideret, ac pertractet, quia ſi modum exercendi frequenter animo volutaret, etiam ſi ſeipſum immunem ab exercitio conſeruaret, nihiloſecius eiuſmodi vilia cogitando pedetentim in ignobilem euaderet hominem, quandoquidem habitus à Philoſopho non immobilis omnino, ſed mobilis difficulter qualitas definiatur.

Nunquid mercatura deroget nobilitati. CAP. XVIII.

EX Platone ſuis in legibus, & ex varijs Iuriſconſultorum placitis pugnantia ſaltem apparenter hinc, & inde colliguntur in hoc quęſito ſcilicet an mercatura nobilitati deroget. Adeò Philoſophus quoq; parū (ſaltē apparēter vt dictū eſt) ſibi cōſtare videatur ī ſuis polyticis. Nā oēs enumerati paſſim authores claſſici mercaturā aliquādo cōmēdant aliquoties verò mercaturā eādē nō modo vilē, & ſordidā ſed iniquitatis matrē eorū nōnulli pdicāt. Quidā autē id vitij quidquid eſt, nō mercaturæ ſed etiā exercitium vitio tribuunt, & inde mendacia, deceptiones, impoſturas, & alias id genus iniquitates emanare contendunt, & recte (meo ſaltem iudicio) ſentiunt. Poſt multas altercationes tandem concludunt eam non improbari, quandoquidem ita res male minimè ſit, nec ſuapte natura cuiquam obſit, vt inſuper reipublicæ proſit commodique plurimum adferat. Veruntamen eam derogare nobilitati pariter, ac vilem eſſe perhibent ac minimè diffitentur, qui nimirum hac ratione fulciri poteſt. Mercatura bona res eſt, quoniam vtilis ac ita per conſequens honeſta: ſiquidem honeſtum, & bonum reciprocent mutuoque conuertātur, quando bonū omne ſit honeſtū, & honeſtum quodlibet continuò bonum ſit. Atqui non omne bonum eſt nobile, ſicuti nec honeſtum. Nanque reperias quanplura non

I 3 ſolùm

solùm vilia verumetiam sordida, quæ nihilosecius bona simul ac honesta fateri cogeris, quam alioqui depræhendantur obscura pariter ac ignobilia. Neque enim ad comparandam nobilitatis claritatisque nomēclaturam sufficiat, agnosci bonum aut honestum, sed appendix isthæc insuper præclara necessariò requiritur, vt id bonum vel honestum difficile sit, & excellens, si videlicet suapte natura debeat esse conspicuum, clarum; simul ac illustre, notum vel nobile simpliciter cognominari. Porro Iurisconsulti doctores nonnulli passim vt mercaturam aliquando non derogare nobilitati tueantur, quasdam commenti sunt conditiones, nempe regionis morem, & situm vrbis, in qua mercatura peragitur. Exempli gratia Lundini, Venetijs, Antuuerpiæ, vel Genuæ mos est, vt omnes ferè mercaturam exerceant. Veruntamen ijsdem adhuc in locis per mercaturam (inquiunt ijdem doctores) aliquid nobilitati detrahitur, quòd nimirum vna regionis cōsuetudo minimè sufficiat ad nobilitatis naufragium (vt ita loquar) euitandum, quippe quod mercaturæ nobis exercitium obtrudit, sed huic conditioni, nempe regionis mori, continuò loci necessitas venit adnectenda. Reperiuntur enim aliqui situs vrbium, in quibus alij nulli redditus haberi possunt, præter quàm ex mercatura, quod Venetiæ, Genuæque situs apertè declarant atque nobis ob oculos constituunt. Postremò doctores ijdem nouam addunt conditionem, nempe quod etiam iisdem in locis mercatura per alios exerceatur aut saltem copiosa sit non autem tenuis, quippe quæ perpetuo vilis est. Huiusce rei forsitan ratio reddi potest, quam nescio qua de causa subticeant, quod merces copiosæ non ita mentem occupent, & abstrahant à rerum contemplatione seu meditatione nobilium. Vt primùm enim quis conspexerit atque tantisper attrectauerit aliquas merces, nempe quas in magna copia sit empturus, vbi demum contraxerit, confestim prout conuenit, eas illigari simul, & occludi iubet, quousque videlicet occasio vendendi

dendi se se offerat. Neque tamen interea distrahitur, nec à rerum sublimium, ad quas natura suapte nobilitatis habitus inclinat, cogitatione diuellitur. Deinde quotiens emptor eorum mercium accedit, nihil aut certè quàm minimùm de hisce rebus meditatur imò paucis ei precium exponit atque ita cogitatione non implicatur. De rebus autem tenuibus paulatim vendendis non solùm quotidie verumetiam horis penè singulis longè alia ratio visitur; siquidem eas attrectare continuò cogantur, & singulis diebus in officina propria vesperi concludere, dein easdem in aurora sequenti die reserare simul ac proprijs manibus expolire semper. In summa cogitando manibusque perpetuò vilia proprijs attrectando (velis nolis) necessariò si non sordescit, profectò saltem vilescit animus, & paulatim exuendo nobiles adfectus pedetentim, similiter (vt ita loquar) habitum induit vilem, atque ita sensim in ignobilem euadit obscænaque metamorphosi transmutatur.

Methodus dijudicandarum artium, an viles existimandæ sint, & obesse nobilitati possint. Caput XIX.

IN genere diximus nobilitati derogare viles artes, interea tamen quænam propriè viles censeantur nundum edocuimus. Alij præcipuè Iurisconsulti gentis morem nationisue consuetudinem obseruandam esse prædicant, quippe quam opinionem Baldus acutissimo præditus inter Iurisconsultos ingenio, si non inuexit primus, certè confirmauit & authoritate sua fulciuit. Isthæc opinio planè videtur inniti commemoratæ iandudum hyppothesi, cuius meminimus, cum de causis nobilitatem producentibus ex professo disquireremus, scilicet quæ

vulgi communem opinionem efficere quempiam nobilem aut ignobilem concludebatur. Nanque si nobilis censetur, ac reuera talis existit, quicunque (quemadmodum ipsi rentur) opinione vulgi talis est, eadem ratione profectò vilis ars aut nobilis reuera fuerit, quàm opinio vulgaris, & communis plebeorum (sic fari liceat) beatus talem existimat quandoquidem vtrobique si rectè proutue conuenit penticulaueris, eadem ratio prorsus militet. Verumenimuerò suam hanc ciuilem legislatores aut eorum interpretes nobilitatem (meo saltem iudicio quanlibet imbecillo) nimis inciuiliter tractant vnaque paruipendunt: siquidem eam censuræ plebis lubricæ subijciant, ac veluti æquoris fluctibus mergendam momentis penè singulis exponant. Equidem prædictis libro 2. operis huiusce thesibus hærens neque latum vnguem ab eisdem postulatis vel axiomatibus discedens, aio peritias & artes honorabiles (ita nuncupatas à Philosopho) dubio procul homines efficere nobiles simpliciter alias verò magis aut minus eosdem obscurare, vel ignobiles reddere. Si petieris quænam peritiæ meritò censeantur honorabiles, respondebo mox earum nobilitatem, aut ignobilitatem cùm à rei difficultate (non autem à certitudine quidquid alij mussitent) tùm à subiecto siue materia qua de agitur esse petendam. Cæterum hic obiter ac veluti per trãsennam admonuisse velim. Andream Tyraquelum infinitæ lectionis (vt ita dixerim) hominem ex pluribus Iurisconsultorum opinionibus collegisse, militiam per se (quod aiunt) hoc est, natura suapte vel simpliciter neque nobilitatem esse, neque dignitatem etsi nequaquam obest (inquit ille) nobilitati, Quò fit, vt ea nobilitati minimè deroget imo cõgruat. Ego vero militiam non absolutè, vel promiscuè quanlibet, sed eorum qui præsunt, aio nobile munus esse, quinetiam nobilissimum, nedum in genere nobilem, aut simpliciter. Id probatur hic multifariam. Primò ratione potentiæ. Nam etsi non omnis nobilis est potens, attamen omnis potens continuò nobilis censetur

tur, modò Tyrannus minimè sit ac legitima iuribusque consentanea dignoscatur ea potentia. Secundò quia militaris peritia videlicet Imperatorum præcipuè summorum nobile subiectum sortitur, nempe iurisdictionem in multos homines,& imperium. Tertiò circa difficilia perpetuò versatur. Quarto sacrarum authoritate literarum idem fulcitur, quippe quæ Deum aliquotiens honoris gratia Deum exercituum appellant. Quinetiam Homerus Iouē (si bene recolo) nonnunquam exercituū ductorem siue moderatorem, aliquando nubium congregatorem nuncupat. Itaque militia præfectorum præcipuè summorum non modo nobilitati conuenit, verum etiam ipsa dignitas est eaque non vulgaris, sed effatu digna vel inter præcipuas, quæ reddunt homines ex obscuris illustres, & eosdem nobilitant, adnumeranda.

Nunquid ars pictoria Mechanicis artibus ad numeranda veniat. Cap. XX.

POrro sordidas artes esse viles sicuti contemplatrices esse nobiles, nemo sanè mentis vnquam in dubium vocauit. Nec id mirum quandoquidem extrema vt pote toto cælō (quod aiunt) dissidētia paruo negocio cuiuis innotescant, & obuia sint. At media non perinde singulorum captibus exponuntur. Nam extremi nonnunquam vtriusq; particeps, ita medicum offenditur, vt aliquando nescias ariolari nedum coniectari possis, inquā partem inclinet magis. Hinc Aristoteles in Physicis auscultationibus consultò scientias inter mathematicas atque naturales mediū locum occupantes diligenter expendens, quænā earū naturales, quæ verò mathematicæ censeri seu denominari conueniat, exactè summaque diligentia diffiniuit. Idem hoc loco nobis planè contingit. Nam artes apertè viles præsertim sordidæ vel ab omnibus vtcunque stupidis, & absque meditatione digno-

gno-

gnoſcũtur, ſicut, & ſublimes cunctis promiſcuè nobiles apparent. Atqui mediæ non omnes innoteſcunt omnibus. Proinde quæritur hic an ars pictoria ſit honorabilis aut mechanica uel ſaltem an deroget nobilitati pariter, & abſque detrimento nobilibus conuenire poſſit. Seneca pictoriam artem mechanicis adnumerat. Iulius Firmicus eum inter impendio ſordidas (quod magis urget, & ei plus detrahit) collocauit. Andreas uerò Tiraquelus adduci non poteſt, vt arbitretur eos, qui pictoriã artem huiuſmodi non lucri, ſiue negociationis ergo uel quæſtus gratia, ſed animi cauſa tantùm exercent, nobilitati ſiuæ præiudicium uel minimum facere. Nam teſte Plutarcho in Cinone Polignotus piſtor celeberrimus ob unam delectationem ſolummodò pictoriam artem, & exercebat, & excolebat. Galenus ad calcem eius libelli cui titulus eſt. Exhortatio ad bonas artes, bifariam artes diſtribuit. Quaſdã etenim ratione cõſtare docet eſſeque liberales eaſdem adſeuerat. Contra nonnullas labores exigere corporeo, & iiſdem implicari, quas contemptibiles aſſerit. Has ille ſedentarias atque manuarias uocitat. Præſtare autem ſubintulit ex illo priori genere quempiam nempe liberalem hominem addiſcere, quando poſterius illud genus deſtituere conſueuerit ſenectute grauatos artifices. Deinde prioris generis adſtruit eſſe medicinam, rhetoricam, muſicam, geometriam, arithmethicam, dialecticam, aſtronomiam, grammaticam, atque iuriſprudentiam (ilico ſubdit). Adde his ſi voles fingendi, pingendique artificium. Quanquam enim (inquit) hæ manuaria conſtant, opera, nihilominus earum exercitatio virili nequaquam eget opere id eſt, artium exercitatio minimè vilium aliquæ manuariam ita poſcunt operam vt omnem interea laborem excludant atque procul eliminent.

De-

Decidit quæstionem, & obiter artem chyrurgicam haud officere nobilitati solidis ostendit rationibus. Caput XXI.

IN summa Galeno licuisset citato proximo loco rem hanc explicare breuius & adcuratius, quin etiam multò melius hunc in modum. Quanquam enim hæ manuaria constant opera, nempe fingendi, vel pingendi artificium, nihilominus, quia similes artes difficultatibus quæ mentem exercent, plurimis vnaque pulcherrimis implicatur, & omnem arcent laborem corporeum, indaginem verò mentis adaugent, propterea nusquam eas artes ad seueramus ignobiles etsi subiectum, siue materia circa quam versantur, honorabilis minimè dignoscitur. Quam ob rem appendix illa Tiraqueli nempe quòd quis animi causa tantummodò, non autem gratia lucri pictoriam artem exerceat, istud inquam adiunctum nullius est momenti, quando qui iurisprudentiam, rhetoricam, medicinam, & alias id genus artes addiscunt ingenuas, & easdem exercent si non omnes plerique saltem aucupandi gratia lucri seipsos in huiusmodi disciplinis exercent tantum abest, vt hoc ipsum vnius intelligétiæ, vel alienæ solius vtilitatis causa factitent. Ergo quódquis gratia lucri quanpiam exerceat artem, id propterea non arguit eam artem esse mechanicam. Nam quodcunque suapte natura est tale (quemadmodum inquiunt peripathetici) cuicunque conferatur siue comparetur illud perpetuò tale fuerit. Quapropter ars tingendi vel pingendi quum suapte natura propter allegatas pauló ante rationes haudquaquam ignobiles dignoscantur, id circo semper erunt huiusmodi, siue propter lucrum siue propter alias quascunque causas exerceantur. Hic obiter ad notasse velim artem Chyrurgicam contra vulgarem opinionem minimè nobilitatem obliterare vel expungere.

gere.

gere, quod quidem binis hic rationibus probatur. Primò quia subiectũ est nobile nẽpe corpus hominis, q̃ sanatur. Secundò quoniam aliquotiens effatu digne chyrurgis nedum vulgares occurrunt difficultates, quæ subtilem exigunt requiruntue mentis indaginem. Atqui vilium hominum opera, qui seipsos in hanc artem intrudunt, cùm ob languentium indigentiam, tum præcipuè propter artis exercendæ facilitatẽ, quæ licet in aliquibus casibus acrem poscat mentis indaginem, nihilominus, plerunque facilis visitur, & vtplurimùm apertè sensibus exponitur vnaque facilè quod agendum est, diiudicatur: vilium inquam hominum vsus artis chyrurgicæ facit, vt ars eadẽ quãquam suapte natura nobilis vulgi iudicio, tamen ignobilitatem quandam præseferat. Adeò vulgus per incuriam iuxta ac insulse chyrurgos omnes promiscuè barbitonseres vocitat. Accedit quod minimè laboriosam ars chyrurgica poscat operã, atque ita viri quanlibet senio confecti chyrurgicam exercere queãt artem.

An exercitio sordidarum aut simpliciter vilium artium nobilis præiudicet nobilitati suorum natorum. Caput XXII.

SVperest in præsentiarum, vt extricemus diligenter, an exercitio vilium artium præcipuè sordidarum nobilis derogare vel præiudicare queat nobilitati suorum natorũ. Huiusce quæsiti partẽ adfirmatiuam Aymo Craueta mihi videlicet intimus olim amicus, dum vterque nostrũ Ticini publicè profiteretur, acriter defendit, & amitti de iure ciuili probat nobilitatẽ liberis, exercitio patris artium vilium præcipuè sordidarum idq; hac ratione, quòd pater liberis impartiri nequeat nobilitatem amissam, quando non amplius tam possideat, & iuxta vulgatissimũ apud omnes proloquium nemo det, quod non habeat. Hinc videmus (inquit ille) quod repudiata semel

femel hæreditas trāſmitti nequeat in libros ob eādē rationem. At inquies forſitan. Nūquid aui ſaltē vel aliorū maiorū inniti filius nobilitari non poterit? Huic petitioni reſpondet idem Craueta, quòd nō poteſt, quia de iure ciuili pſona patris tāquā immediata ſiue proxima debet inſpici. Tiraquelus autem ait hoc non habere locū in ijs parētibus, qui proprijs laboribus nobilitatē ſibi ipſi minimè lucrifecerunt, aut quęſiuerunt, ſed eam aliunde collatam ſiue partam ſuſceperunt, quo caſu nimirum ſi pater à ſuis maioribus (exempli gratia) nobilitatē acceptā amiſerit, nullum emergit inde liberis præiudicium. Sed etſi Princeps nobilitatem cuipiam ac ſuis liberis conceſſerit, Andreas idem Tyraquelus exiſtimat ipſum patrem haud poſſe nobilitati natorum quidquam detrahere vel officere, quippe quā ab eo nō habēt, ſed à pūidētia ſimul ac liberalitate Principis, qui videlicet eis proſpexit, eādē hauſerunt, nobilitatē: idq; nō aliter ac de feudo vel emphyteuſi cōceſſis alicui, ſcilicet in quibus vel ex Iuriſconſultorū ſentētiæ pater renuntiare nequit in præiudicium natorum, vtpote quibus idipſum Princeps vltro fuit elargitus. Quocirca venit intelligendum id procedere vel habere locum, quando ſiue quotiens id ex mera liberalitate concedentiſque beneficio quæſitum eſt, ſicut, & Baldus adnotauit. Nam id quoque filij retinent derelicta ſiue repudiata patria hæreditatē, quemadmodum plures iuriſconſulti cenſuerunt. In Gallia referunt authores, eorum natos qui nobilitatem ob artes viles pręcipuè ſordidas exercitio parentum amiſerunt, à Principe reſtitutionem impetrare ſolere, ne videlicet id eiſdem fraudi, ſit, quod per incuriam fortè pater deliquit. Ego verò iuxta definitionem, vel eſſentiam (vt ſcholaſticè loquar) nobilitatis proximo libro deſcriptam, ait Principem alicui nobilitatem impertiri non poſſe, ſed eam teſtimonio vel authoritate ſua (quod præ cæteris maximè Principem decet) eandem in eo prius inuentam communire quantumuis intrinſecè latentem, idque potiſſimùm eius rei gratia ne quiſquā ei ſit infen-
tus

sus aut iniurius, neue quispiam eum pessundet ac velut ignobilem existimet, atque ita nobilitatem alioqui suapte natura conspicuam conculcet, quando nobilitas quodammodo conculcetur, & obscuretur, quotiens aliquid ei de suo iure demitur vel decedit, siue per incuriam, aut per vim (quod multò durius est) detrahitur. Cæterum Ayomoni Crauatæ respondentes, dicimus patrem haud posse filiorum nobilitati demere quidpiam, modò filios eosdem procreauerit ante, quàm viles exerceret artes, quia tunc nobilis fuerat, & eisdem natis non quod non habuit, sed quem intrinsecè possidebat, & habebat reuera, nobilitatis habitum impertitus fuerit.

A Iurisconsultis frustra quæsitum fuisse, nunquid furor aduenient nobilitatem auferat. Caput XXIII.

CAeteræ prius in medium adductę conclusiones enucleandę vel enuntiationes meritò vocari debuerunt in ius Reginę mẽtis aut potuerunt, quando secum haud mediocrem traxerint obscurientem, quæ subtilem rationis indaginem atque diligentem ita discussionem poscebat. At ambigere num alicubi nobili superueniens præter opinionem omnium aliquis furor, qui rationem obnubilet, è suoque statu mentem dimoueat; an inquam hoc ipsum nobilitatem è medio tollat, rationi vel ex diametro (quod aiunt) penitus aduersari videatur. Nam simili modo vereri liceat, ne febris acuta, vel quæ varijs de causis aliquotiens mæstitia suboritur, eandem examussim deleat expungatue nobilitatem aut saltem aliqua ex parte non obliteret. Porro quid hac dubitatione leuius aut ineptius? Nunquid ciere vel excitare turbas huiusmodi plane iocari garrire, fabulari, (ne dicam) ineptire, vel insanire non fuerit? Nunquid furor à quacunque causa proficiscatur, egritudo passim à cunctis

medicinæ peritis non agnoſcitur. An morbus quicunq; tandem ille fuerit, aliquando nobilitatem extinguet? Nunquid ex profeſſo quiſpiam vel data opera ni deſperatus fuerit aut ſtolidus, vltro ſeipſum in morbos libenter, velut in foueam præcipitem dabit atque conijciet. Nonne quilibet ſanæ mentis iuxta præſcriptum naturæ, quippe cuius tranſilire pomæria cancelloſque nemini fas ac tutum eſt: nonne inquam omnes indiſcriminatim homines natura bonum aut ſaltem quod eis bonum apparet, mirificè non auent, & expetunt? Nunquid non concurrente(quod aiunt)elicito voluntatis actu, nobilitatis habitus,qui difficulter adeo deleri poteſt, quoniam eſt habitus:num inquam non concurrente voluntate nobilitas extinguetur? At in dementia vel furore voluntatem ſuas minimè vires exercere quis eſt qui neſciat? *Si* lex quæ caſum nullatenus dubitabilem (vt ita loquar) decidat,ſanciat,atque definiat,omnino vana cenſetur ac inutilis non ne dubitatio pariter, & quæſtio quę legem condendam antecedere neceſſario cenſueuit, omnino ſuperuacanea non diiudicabitur? Ergo quorſum attinebat inquirere(dic ſodes)an furor alicui ſuperueniens ipſum exulceret perimatque nobilitatem, & enecet?

Finis Libri tertij.

A N-

ANDREÆ CAMVTII

PHYSICI OLIM CELEBERRIMI.

DE NOBILITATE LIBER QVARTVS.

Decere Principem vel magiſtratum ſupremum decreto publico nobiles ab ignobilibus dirimere. Caput I.

ETſi quanplures Iuriſconſultorum eos, qui ſibi falsò nobilitatem mẽdicant, falſi crimineis quinetiam læſæ maieſtatis incuſant, nihilominus methodum nobis (quod ſciam) minime reliquerunt, nempe qua nobiles ab ignobilibus dirimere liceat. Hinc impunè quidã ampulloſo ſiue tumido quodam faſtu ſeipſos plebi nobiles venditant, quum alioqui nihil minus reuera ſint, quàm nobiles. Proinde nobis operępre-

precium videtur adsignare methodum, qua nobiles ab ignobilibus aptè discerni queant, idque vt in Republica seruetur ordo pariter ac euitetur confusio. Diximus alias hoc eodē opere Principem aut Magistratū haud quaquā habere potestatem creandi nobiles, quando nobilitatis habitum intrinsecum esse supra luculenter (vt ego quidem arbitror) definiuerimus, quippe quem nullus extrinsecè ni fortassis intercedit generatio, condonare vel impartiri potest. Ad eundē modū intulimus, Doctores qui vulgò creari dicuntur à publicis Academijs, reuera non fieri tales, sed approbari solummodò, perinde ac si quis instrumento publico palàm faceret ac attestaretur aliquem esse probū pariter ac dignum, cui fides iure possit adhiberi. Methodum hanc imitantur quoque viles artifices quibusdam in locis, vbi suos cōstituūt præfectos aliorum artificū eandem artē exercentiū, quippe quos ij passim Abbates in insubria vocitant, scilicet ad quos exorientes in eorum artificum cathalago lites dirimere pertineat. Vnde mercatores diuersorū generū in vrbe Mediolanēsi suos habent Abbates (vt ipsi loquūtur) hoc est, iudices litium inter eos exorientium proprios ab eisdem authoritate publica constitutos. Item Notarij proprios habent Abbates, idest, iudices, qui non modò lites definiunt, verùmetiam eos examinās, ante quàm Notarij titulum adquirant, nec exequi vel obire, talia munia possunt, ni prius ab eisdem iudicibus approbentur. Vnde semel approbati deinceps in publico notariorum cathalago describuntur ad perpetuam huiusce rei memoriam, quod & mercatorum iudices proprij faciunt. Quam ob rem in dijudicandis nobilibus opera Principis aut summi magistratus qui gerat vices Principis, potissimùm desideratur. Vt enim solius Romani Pontificis vtpote totius vel vniuersalis Ecclesiæ verticis, aut eorum qui referunt Pontificem, interest varias Ecclesiæ dignitates, & ordines distinguere seu disponere, sic in Republica vel Ecclesia sæculari Principis vnius vel eorum, qui Principis loco ci-

titatum hebenas moderantur, munus proprium censeatur discernere nobiles ab ignobilibus, & vtrorunq; gradus constituere peculiares. Nam huiusce discriminis neglectus tot in Republica christiana turbas excitauit, vt non solùm nobiles inter se vel honesti ciues, verumetiam baiuli certatim, mutuoque de præcedentia passim digladientur, quippe quarum culpa turbarum in Principes aut eorum qui publicè Principem referunt, reijcienda venit. Adeò si Principes ijdem aut Magistratus huic miseriç seu discrimini semel (vt çquum est) obuiam iuerint, atque sedulò prospexerint, hoc eis beneficium libenter acceptum referemus.

Exteriori quodam signo decere nobiles obsignari seu decorari, quò sic à plebeis discernantur. Caput II.

Atqui præter publicum Principis, aut summi magistratus decretum nempe quòd manifesto nobiles ab ignobilibus dirimat, insuper mirificè probanda venit antiquorũ consuetudo, scilicet vt nobiles aliquo signo forinsecus admoto palã internoscãtur, & ab ignobilibus distincti cõpareãt. Hinc olim apud gẽtes plurimas habitu nobiliũ, & ignobiliũ ornatusq; discrimẽ aliquod visũ est. Quin etiã cæteris in rebus id planè fuit obseruatum, vt ab alijs alij discernerẽtur. Apud Romanos aurea bulla nobilium insigne fuit, lorũ vero plebeorum. Sed & apud eosdẽ (quemadmodũ hystoriæ passim referunt) patricij lunulas in pedibus deferebãt, quippe quod eo tempore nobilitatis erãt indiciũ. Itẽ aureos annullos gestare nõ nisi patricijs licebat, atq; permittebatur. Vnde Titus Liuius in ea memorali Cãnarũ clade meminit inter cadauera fuisse collecta aureorũ annulorũ aliquot modia, siue mensuras, idque vt hoc iudicio nobiliũ cateruã ingẽtẽ occubuisse posteritatem edoceret. Adhæc apud eosdem

Romanos phalera nobilitatis erat, insigne, quippe cuius rei Persius satyra 3. mentionem fecit inquiens: Ad populum phaleras. Itidem inducebantur purpura patricij Romani non etiam cæteri. Verum apud Indos byssum non nisi nobilis induebat. Inter Suenos nobiles, & ingenui crinem obliquabant, & nodo substringebant. At eorum serui fluxa coma pariter, & crinibus incedebant. Aegyptij contra comam alebant prolixam vtpote signum ex eorum consuetudine nobilitatis euidẽs. Quinetiam Laconon nobiles comam gestabant similem, & eorum serui tundebantur. Olim Gallis ingenuis tinctas ferre vestes aut sagam hirsutam, præterea virgatam induere mos erat. In summa decet in Republica gradus hominum distingui simul ac innotescere. Quapropter ea quoque tempestatis nostræ consuetudo laudatur, vt Hebræi pileos gestent flauos, aut simile quidpiam aliud, vt à cæteris discernantur. Præterea mos ille probatur, vt infames publici deferant aliquod infamiæ signum, putà quotiens altera detruncatur auris, aut in aliqua parte corporis, quæ conspici queat, ferrum ignitum imprimunt adeò, vt expungi vel obliterari nequeat amplius.

Nunquid vulgaris nobilitas ab alijs descripta ciuilis appellari debeat (vt ipsi rentur) ac reuera sit eiusmodi. Caput III.

QVi de nobilitate scripserunt, vt quam ipsi nobilitatem studiosè commenti sunt, à naturali nobilitate secernerent, suã illam phaleratã, volatilẽ, æreã, ac planè chimericam cohonestarent, ciuitatis eam nomenclatura decorarunt atque ciuilem nobilitatem appellarũt. Porro si quis huiusce vocis ethimologiæ rationẽ fortassis inquirat, haud facilè video, quid ab ijs possit aliud responderi, quam quod in vrbibus, & à ciuiũ primarijs passim

eiusmodi nobilitas instituta videatur. At hunc in modū adulteria, scortationes, & alia idgenus quanplura iure ciuilia, siue ciuiles actiones nuncupari queant, propterea quòd à ciuibus ferè quibuslibet præcipuè totius Reipublicæ primatijs committantur. Quocirca priusquàm adgrediamur quæsitum vsq; adeo difficile, disquiremus inprimis idque sedulò, quænam actio vel habitus propriè ciuilis dici debeat. Omnis obscuræ rei disquisitio theses aliquas omnino subijciat atq; supponat, oportet, quibus & hæreat, & innittatur; scilicet vt inde sensim atq; paulatim continuata differendi serie cōclusiones incognitas eliciat ac velut ex vmbraculis (ut aiunt) in solem euocet. Prima thesis esto, ciuilem actionem quæcunque tandem illa fuerit, esse realem simul ac bonam, minimè verò commentitiam. Secunda fuerit hyppothesis, omnem promiscuè dignitatem aut actionem in aliquo rerum summo genere seu prædicamento (quemadmodū peripathetici loquūtur collocari debere. Nobilitas porro vulgaris iuxta primæ thesis edictum (sic fari liceat) reuera nihil agnoscitur, si quis rem ipsam medullitus introspiciat & exactè prout conuenit, excutiat, quod ita probatur. Etsi Iurisconsulti passim omnes eum propriè magis nobilem vocitant, quem Princeps nobilitat, & eam dignitatem cæteris nobilitatibus anteire præferrique volunt, nihilominus haudquaquam eunt inficias opinionem vulgi communem atque diuitias si non omnes exquisitè vel adamussim (quandoquidem hoc casu plurimùm inter se dissentiant,) certè saltem antiquas ex ignobilibus efficere nobiles. Atqui vulgarem opinionem atque diuitias nullam alicui qualitatem indere vel demere notius est, quàm vt à quopiam vtcunque solerti vel erudito dissimulari queat. Hinc huiusce nobilitatis adsignare definitionem nunquam ausi sunt, tanquam rei non existentis in rerum natura, sed id absolutè tantummodò vel simpliciter effutiuerunt) iusta percitus iracundia cogor ita loqui velim nolim) nempe nobilem eum iure censeri, quem opinio communis hominum

num esse nobilem prædicat, & cuius diuitiæ saltem antiquæ nobilitatem approbant atque modo quodam attestantur. Ergo nobilitas isthæc velut ementita siue commentitia, cum reuera nihil sit, qui ciuilis actio seu dignitas dici queat? Quam verò diffiniuerunt à Principe collatam esse qualitatem, nempe qua qui nobilitatur, præter honestos ciues alios ostēditur acceptus Principi; quippe quam præ cæteris propriè magis nuncupari nobilitatem arbitrātur, id est, maiorem esse gradum nobilitatis existimant: hanc inquam collatam Principe nobilitatem, cum nulla penitus ex ea conficta collatione qualitas emergat, quæ transfundatur in animum aut corpus, quemadmodum ante luculenter (vt ego quidē opinor) ostendimus, nonne ficta protinus ac emētita nobilitas isthæc apparebit, quam ipsi tantopere suspiciunt, & (vt ita dicam exosculantur?)

Sanctis patribus vtpote nobilitatem aspernantibus hoc loco fit satis. Cap. IV.

PRimo huiusce operis libro citauimus sanctum Ioannem Chrysostomum, qui nobilitatem apertè videtur aspernari, quando dicat: Dic queso, quid genus est? (ilico subintulit) nil aliud certè quàm verbi sonitus ab omne destitutus, quod probè scietis in extremo die. Hęc ille. Quidam existimant hic ab eo reuera minimè taxari nobilitatem, sed eum id enuntiasse contra illos, nempe quibus ob malam vitam nobilitas est dedecori. Verū isthæc proferre fuga potius est, quàm responsio, quādoquidem non abusum nobilitatis sed manifestò nobilitatem ipsam, & incessat, & exterminet, alioquin haud efferret eā simpliciter nil aliud esse quàm verbi sonitum, ab omni re destitutum. At in eo libro quem de nobilitate Philosophus conscripsit (Stobeo relatore (qui liber non reperitur, multò clarius hoc ipsum ostendetur: siquidem in eo legeretur speciem nobilitatis verbo tenus tā-

tùm intelligi non autem reipsa. Quinetiam ibidem ambigit, quos nobiles appellare debeat. Diuus Hieronymus ad Helbidiam adserit ex iniquitate procedere nobilitatem inquiens: Nobilitas mundi nil aliud est, quàm inueteratæ diuitiæ. Omnes autem diuitiæ de iniquitate descendunt, (addit) vnde vulgata illa sententia mihi verissima videtur: Omnis diues, aut iniquus aut iniqui hæres, ergo nobilitas generis ex iniquitate descendit. Quorsum attinet tergiuersari? Amabo quid clarius enuntiari potuit? Num hic quoque dicemus Hieronymum incessere seu taxare nobilitatis abusum non autem ipsam nobilitatem? Atqui nos facilè respondemus, nobilitatem ab authoritatibus descriptam hactenus, nil aliud certè videri quàm simplicem verbi sonitum, existentiæ realis expertem omnino.

Nam si potiorem nobilitatis gradum à legislatoribus descriptum expendamus, quippe quem Bartholus definiuit esse qualitatem à Principe collatam, & quæ sequuntur: si diligenter inquam penciculemus, & ad viuum (vt efferri consueuit) rem ipsam excutiamus, cum ex ea Principis collatione nulla (quod ante dictum est) qualitas in eum qui nobilitatur, omnino transfundatur, nec alicui nobilitas ea fit vsui priuato vel publico, merus profectò verborum sonitus ab omni re destitutus ea nobilitas reuera comperietur. Sin autem efferamus eandem in diuitijs saltem antiquis collocari seu consistere, tùm fateri cogemur eandem nobilitatem ab iniquitate descendere vel in iniquitate sedem obtinere, quandoquidem vt plurimùm ex iniquitate ducant originem diuitiæ. Nam intellexisse diuum Hieronymum omnem diuitem iniquum haberi simpliciter aut hæredem iniqui neutiquam crediderim, quin potius voluisse diuitem omnem non semper, sed plerunque talem offendi, quandoquidem vt plurimùm diuitiæ perperam adgregentur atque coadceruentur. Nanque ni sic intelligas, absurda quanplura cõsequẽtur, quando multi Reges atque Põtifices cõspicui sanctitate

diui-

diuites fuerint, adhæc Paulus hortetur parentes thesaurizare suis filijs, quod mehercle nil aliud est, quàm diuitias congerere vel adcumulare: Rursus legitur in sacris literis: Diuitiæ si adfluant, nolite cor apponere quæ quidem omnia, coire cum iustitia diuitias posse demonstrant, luceque meridiana clarius ostendunt. Cæterum à nobis definita nobilitas vtpote virtus intrinseca proprijs aut maiorum vnde traximus originem, laboribus exantlatis legitimè cōquisita neutiquam simplex fuerit verborum sonitus ab existentia reali penitus immunis. Item ea nequeat ab iniquitate suam originem ducere, quin potius ab æquitate scilicet à virtute pullulat, & ad benè agendum posteros animare videtur. Adeò Chrysostomus atque Hieronymus mundi nobilitatem ab authoribus immundè literis exaratam improbarunt non autem veram nobilitatem, quippe quam alij passim Ecclesiastici (quod antea fuit ostensum) & Euangelistæ vel apprimè commendarunt, in quam sententiam Paulus quoque sanctus vltro videtur descēdere, quemadmodum eiusdem loca superius citata palàm attestantur.

Quidnam actionis voce Philosophus intellexerit, quando prudentes agere scriptus prodidit. Capus VI.

AD diuerticulum redeamus. Institutū erat inquirere, num ciuilis foret nobilitas aut naturalis ac primo vulgarem illam nobilitatem à cæteris exaratam literis, minimè ciuilem videri docuimus, quemadmodum nec aliud quidquam, quando reuera nihil sit præter merum vocis strepitum, ac ita sub nulla possit prædicamenti serie collocari. Quam ob rem vt aliquando nobilitatem à nobis definitam dijudicari ciuilem proba-

mus, neque ciuilis habitus nisi per opera nobis innotescere queat, operæprecium videtur, vt quid actionis voce Philosophus intellexerit, quando prudentes agere pronuntiat, ostendamus. Nanque ciuilis habitus omnino proprias actiones habeat atque sortiatur oportet. Porro cum habitus meritò dijudicetur intellectus, quandoquidem propriè loquendo solis insit hominibus, neque sub alio quopiam habitu comprændi queat, quàm sub habitu prudentiæ: quippe cuius agere potissimùm interest, & ad eandem actio tãquam opus proprium pertinet, idcirco quidnam agere sit, impręsẽti disquiramus. Actionis vocabulum si quis id latius vsurpet, latissimè patet. Productionis variæ sunt species, quemadmodum in libris de sapientia seu methaphysices fusissime declarauimus, nempe cuius vna species dignoscitur actio. Veruntamen frequenter abutimur actionis voce loco productionis. Ad hunc sensum enuntiationes huiusmodi retro commeant mutuoque reciprocantur. Nam quisquis agit aliquid, continuò producit, & quicunque producit, idem pariter agit. Quinimò multotiens inanimata dicimus agere non autem producere. Nam ignis si forsitan oppugnet suo calore glaciem, neque tamen interea vincat, imò succumbat, & à gelu vincatur, eo casu profectò rectè dixeris ignem agere non autem producere. Tunc enim producere dici verè quotiens vincit subiectoque calorem inuehit, in quod agit. Verumenimuerò Philosophus in Ethicis vbi de mentis habitibus mentionem facit, vni prudentiæ semper actionem adscribit, quemadmodum arti factionem. Sanè vocabulorum penuria nouas effingere, seu comminisci voces cogimur, ne rerum intelligentiæ (quod Aristoteles factitat) quidquam decedat, nec ei de iure suo quidpiam detrahatur. Ad pensum redeamus. Agere (pressius loquendo) mens humana creditur quotiens extra seipsam aliquid producit, quod sensu pateat. Hinc habitus scientiæ sapientiæ, vel intellectus etsi producunt aliquid, sicuti reuera

pro-

producunt, attamen agere non dicuntur sed intelligere vel sapere tantummodò. Nanque sapit metaphysicus, atque theologus. Percipiti intellectus axiomata siue postulata phylosopus. At habitus huiusmodi quia nihil extra producunt, quod sub aliorum cadat sensum, ob id actiones minimè nuncupantur. Verùm quotiens theologus idem aut Phylosophus priuatim aut publicè profitentur theologiam aut naturalia problemata docet, seu dehisce rebus disputant, sanè tum agere dicuntur, quoniam operationem edunt hoc casu, quæ cæteris conspicua uisitur, & ab eorum sensu percipitur. Habitus verò prudentiæ nunquam obit aliqua munia, quæ non euidentia sint aliorum sensibus. Quò fit vt eiusdem habitus opera prorsus omnia denominentur actiones, idque nimirum vt inter opera prudentiæ pariter ac aliorum habituum discrimen aliquod appareat.

Qui distinguatur ars à prudentia. Caput VI.

HActenus qui prudentia distinguatur à cæteris humanæ mentis habitibus exclusa tamen arte vel abundè liquet, in præsentiarum autem quid inter prudentiam, & artem discriminis intercidat, sedulò venit perpendendum. Inprimis censetur forsitan idem habitus, propterea quòd eadem opera statim adpareāt. Sicut enim prudēs agere dicitur, quoniā talia forinsecus ꝓmit opera, quæ cūctis euidēter innotescāt, ita nimirū artifex operationes edit perpetuò, quæ sensibus omnium obuiæ sunt. Atqui licet hic vtrobiq; passim extrinseca pateant opera quod in cæteris habitibus nō perinde conspicitur, nihilominus inter eas operationes quālibet extrinsecus apparentes non exiguum aut parui momenti sed effatu dignum vel manifestò discrimen visitur: siquidem pru-

prudens perpetuò talia nobis obijciat atque depromat opera, quibus peremptis, hoc est, cessantibus nihil subinde supersit, quum alioquin artifices non perpetuò quidē, sed ferè semper, vbi suam operationem absoluerint, aliquid præterea relinquere consueuerint, quod non visu tantummodò conspici, verum etiam manibus attrectari queat. Exempli gratia numeris (quod aiunt) omnibus absolutis artificijs vtcunque cesset architectus ab opere, cui iandiu colophonem imposuerit, nihilosecius ędes cōstractę supersunt, & ita de singulis propemodum artibus omnibus. Quasdam etenim artes intueri liceat, quarum absolutis artificijs è medioque sublatis eorum operationibus nihil deinde supersit, sunt in arte saltatoria pariter at musica diuersorum specierum, præsertim earum, quæ varijs vtuntur instrumentis. Proinde nonnulli dixerunt artes huiusmodi, scilicet à quarum operibus nihil subinde restat, à prudentia vel hoc ipso distingui, quòd hæ faciant, quia membris vtuntur aut insuper instrumentis extrinsecis propriè, non autem agant sicut prudentia. Philosophus etenim quemadmodum prudentiā à sciētia, sapiētia, pariter ac ab ītellect⁹ habitu separauit, propterea quòd vnus prudens agat, alij verò tres nō itē, ita nimirum, artificem, id est, & artis habitū à prudente diremit, quoniam artifex propriè facit non autem agit. Vnde passim expositores id quod facere nuncupat Aristoteles, interpretantur, instrumentis aut membris vti corporeis. Exempli gratia qui citharam siue testudinem pulsant musici dubio procul artem eam exercent, & eis vtuntur instrumentis. At qui saltant aut funes conscendunt, adhæc vocalem exercentes musicam etsi non vtantur instrumentis extrinsecis, attamen corporis proprij membrum aliquod exercent. Nanque musica vocalis, quæ minus facere videtur ac artes aliæ, facit tamen, quoniam laringem guttur, ac fauces mirificè tractat. Verumenimuerò non attigerant scopum interpretes (meo saltem iudicio) ab actione distinxerunt. Nam hoc pacto concionatores, & oratores facere credantur non autem

autem agere; siquidem ipsi quoque sæpenumerò præter intellectum, instrumenta corporis ac membra, nempe guttur, laringem, linguam, & fauces mirum in modum defatigent. Quinetiam Iurisconsulti quia scribunt cõsultationes, quum absq; manuum opera, vel ad fatigationem vsque nequant hoc ipsum exequi, non agere quin potius facere diudicabuntur; atque ita mentis habitus ille non prudentia, sed ars omnino fuerit, & ipsi pariter artifices, non autem prudentes iure venient, existimandi. Quam ob rem actio protinus cum ipsa factione confundetur. Nam omnis actio fuerit (mihi liceat ita loqui) factio. Quò fit, vt ars, & prudentia minimè distincti videantur habitus, quod è vestigio decretis opponitur Aristotelicis, & ipsam oppugnat veritatem.

Actionis, & factionis verum adsignatur discrimen. Caput VII.

ITaque nos in præsenti quod facere dicitur, distinguẽter ab agere, dicimus operationes extrinsecè terminantes, quæ sub sensum cadunt, bifariam distingui. Nanque mens humana prius quàm operetur, aliquando speciem aliquam animo concipit atque volutat accidentalem, & vt eã extrinsecus efformet, ad opus extrinsecũ accingit seipsam. At quoniam id absque corporeis instrumentis adsequi non potest, propterea velut Regina membris imperat vtpote quibus ad id exequendum indigeat, & eisdem vtatur. Adhæc si corporis membra fortassis minimè sufficiant, ilico suffragia quęritat vnaque poscit extrinseca. Adeò velut fida pedissequa dominam modò non desipiat (quod aliquando cõtingit) ęmulatur, vtpote propter finem semper operaretur quidquid operari tentat, & adgreditur. Vt enim natura passim elaborat, vt species adinstar cognoscentis, & intelligẽtis perinde ac si prius eas animo concepisset atque iandiu volutasset, interuentu motus extrinsecè primò

de-

delineat ac modo quodam adumbrat, deinde sensim effingit, conformat, postremoque suis tandem numeris absoluit omnibus: ita nimirũ humana mens quasi prægnãs idola nuper fortassis intra corporis conceptacula sinusque spirituum opera vel adfabré semel concepta velut pulchram sobolem extrinsecus emittere pariter ac in lucem edere concupiscit. Proinde membra corporis ad id munus peragendũ accersit. At si tantæ moli conficiẽdę vel efformandæ nusquam superesse corporis eadem organa perspiciat, alienas tum inquirit suppetias, id est, vt eo rité prout ue cõuenit, munere fungi queat, præter corporis artus insuper extrinseca conquirit sibique comparat instrumenta. Quanquam id inter naturam, & artem discriminis intercidit, quòd ea naturales atque reales verius ac proprie magis parturiat quàm faciat species; ars verò rerum idola vel simulacra non autem res veras delineet ac adũbret, & ita per cõsequens veré faciat easdem non autem (loquendo pressius) agat. Porro qui consulit aut senatui quidpiam persuadet seu rem curat familiarem, is quãquam extrinsecũ aliquod opus molitur, quod ab omnibus cerni potest, nihilominus nullã producit accidentalem formam, ac ita per consequens non facit proprie sed agit potius. Contra qui facit lecticas aut scamnum vel horologiũ, is haud dubié facit, quia speciẽ effingit accidẽtalẽ. Adeo nõ iniuria quidã antiquorũ (Platone relatore) vocarũt hominẽ ludũ Deorũ, nõ aliter fortassis ac simia ludus est hominum. Nãq; simia tẽtat hominis actiones ęmulari sed tamẽ insulsè videtur eũ imitari, Quò fit, vt ita risũ excitet aspiciẽtibus. Vnde nimirũ antiqui cẽsuerũt hominẽ existimari Deorũ ludũ, propterea quòd enitãtur illi quidẽ operãdo Deos imitari, sed tamẽ futilia protinus adpareant eorũ opera, si cum operibus diuinis conferantur. Ad eundem modum forté nobis liceat eundem hominem naturæ ludum appellare, quod vtcunq; pro virili sua naturã imitetur quidẽ, quãdoquidem instar eiusdem naturæ, species efformare studeat, & viribus omnibus euitatur. Verũtamẽ quales (dic obsecro) fue-

fuerint artificiales formæ species, nempe quas ille quâlibet adfabrè confingit, collatione facta cū operibus naturæ parentis? Quantum interest inter viuum atque depictum hominem?

Repagula quædam amouentur. *Caput VIII.*

Restat, vt nonnullas quæ nobis inpręsenti negocium facessunt, quisquilias cijciamus & à nostris inuētis procul arceamus, quò nimirum amotis vndique repagulis ad vlteriora pergere progredique nobis hilari fronte liceat. Nonnullæ reperiuntur artes, quæ nullam accidētalē effingere speciem cōcēdunt, quum alioquin verè faciant non autem agant, quoniam artes propriè sunt ac ita uidentur omnibus. Ergo discrimen inter agere vel facere nuper adsignatum corruit nolliusque momenti visitur, ac ita nimirum hoc discrimine nequeant artes ab habitu prudentiæ discerni. Nanque saltandi peritia vel conscendendi funes (verbi gratia) nullam accidentalem effingunt speciem, vt liquidò videtur. Item Cytharedi, tibicines, & alij deinceps id genus quanplures verè faciunt, ac ita veri dignoscuntur artifices, neque tamen vspiam accidentalem comminiscuntur speciem, imò nec animo concipiunt huiusmodi formas. Itidem vocalis musica, quæ nullis videlicet extrinsecis vtitur instrumentis, merito diiudicetur agere non autē facere, quando nullas eiusmodi species extrinsecè parturiat nec adumbrare vel delineare conetur, quin potius instar oratoris aut concionatoris (qui dubio procul agāt, & non faciunt) ore, laringe, faucibus, gutture, dein contentione pectoris vtūtur non autē opera virili (quemadmodū ait Galenus) nēpe manib⁹, pedib⁹, culnis aut artub⁹. Neq; ꝓfeceris quidquā, si peritias huiusmodi forsitā sub habitu prudētię cōcludi negaueris, quādo nequeant

ad

ad alium humanæ mentis habitum redigi. Nanque vocalis musica sicut, & aliæ peritiæ nuper enumeratæ nec faciunt quidquam, neque speciem aliquam accidentalē intendunt, quandoquidem operationes eiusmodi iure ciuiles existimentur, & in una consistant actione, quemadmodum hic probauimus. Itaque musica quecunq; tandem illa fuerit (nullam excipio penitus) cùm ad munia ciuilia tùm ad priuatum, sed tamen insignem cultum aliquem spectare videatur, qui videlicet adferat iocunditatem, & exhilaret atq; ita prosit humano generi, non aliter ac scientiæ passim omnes atque iurisprudentia. Verum enimuerò si paulò diligentius eiusmodi rimemur exactèque magis meditemur, formas accidentales in hisce peritijs effingi dubio procul comperiemus. Quod multis perclam imponit, istud est nimirum, quoniam arbitrantur omnes indiscriminatim accidentales formas solum esse tangibiles (vt ita dixerim) aut visibiles. Verbi gratia sculptores, coriarii, pictores, in summa quodlibet genus artificum, species conformat, quæ visu compræhendi simul, & manibus attrectari possunt. Atqui species quoque reperiūtur audibiles, quæ nimirū effingi possunt in ære scilicet lubrico, molli, vel tenuissimo commodius multò quàm in solidis corporibus. Proinde sicuti literæ seu characteres cuiuscunque generis in ære vel ferro (quin etiam in lapide, sculpuntur prius, & interuentu deinceps attramenti literæ vel characteres ijdem papyro figuntur, quæ Typographorum est ars; ita nimirum easdem literas in ære multò facilius efformare liceat, vt pote corporum omnium ferè tenuissimo pariter ac mollissimo, quod quidem Echo plures nobis ostendit, & amplum eius rei testimonium perhibet. Philosophus in libris de anima vbi de sensu auditus vel de sonis ex professo disquirit, exemplum aquæ deducit in medium, in quæ si lapis fortè vel aliud quidpiam inijciatur, continuò paruus efformatur circulus, & aquę partibus vndique pariter, & successiuè partes alias impellentibus atque detrudentibus paulatim subinde magis

atque

atque magis dilatatur circulus. Hoc idem in aere quotiens in eo species (vt sic dixerim) efformatus fieri contingit. Quocirca musici cuiuscunque generis verè species in aere sculpunt accidentales. Præterea qui saltatoriā artē exercent, diuersas adfabrè corporis figuras ob oculos constituunt quæ quidem figuræ species haud dubiè censentur accidentales, quando Philosophus formam, vel circa aliquid existentem figuram qualitatis speciem quartam esse diiudicauerit. Quinetiam laniones, & piscatores æque proprias vt pote scindendo vel artificiosè lacerando faciunt (quæ vocitantur figura) species accidentales. Cæterum loquutio, quippe cuius opera passim in omnibus vtimur, etsi tales in aere formas, effingit idque necessario, nihilominus quoniam eius qui loquitur, scopus haud est similes efformare species, quinimò loquutionis eiusdem interuentu cupit solummodò quod mente concepit, alijs indicare, propterea loquutio non in artem hoc casu sed in habitum prudentiæ uenit reijcienda, quippe cuius interest agere per se (quemadmodū scholastici loquuntur) hoc est, ex professo, quanuis facere per accidens, id est, secundariò frequenter aliquid cogatur. Hinc artifices quoque multotiens agūt, putà quotiens inter se consultationes ineunt, & ideo prudentes vocitantur artifices, & facere (non item agere) prudēter dicuntur, neque tamen ob id eorum peritia nuncupatur prudētia; sed ars meritò cognominatur quandoquidem peritiæ ciuius (quemadmodum, & cæteris ad vnam rebus omnibus) finis, & quod à natura vel ab arte primariò consideratur, ac intenditur, sicut essentiam ita denominationem impartiri pariter ac elargiri consueuerit.

No-

Nobilitatem ab authore descriptum planè ciuile esse docetur ac subinde scrupulus inijcitur. Caput IX.

QVęcunque de factione(nobis hic ita fari permittatur)& actione seu de mentis habitibus hucusq; tractauimus, eo tendere videantur, vt quænā actio propriè ciuilis intelligi denominarique examussim intelligeremus, ac ita nobilitatem à nobis libro secundo huiusce operis descriptam verè ciuilem esse concluderemus. Ante omnia subijcimus operationes omnes si denominationem sortiri debeant à natura vel ab habitibus effluere tanquam è fonte proprio, Quapropter nobilitas quoniam non est operatio, sed habitus ad operationem inclinans, quemadmodum supra demonstrauimus, idcirco pensiculandum est, cuinam operationi potissimū inhiet, quandoquidem habitus operum interuentu nobis innotescere cōsueuerint, quemadmodum & alia plerunque passim omnia. Nanque non nisi rarò depræhendas effectibus causas videri notiores. Hinc rarissimè conclusiones scientificæ comparent, si mathematicas considerationes excluseris. Itaque qualia fuerint opera nobilitatis, tale nomen quoque sortietur eiusdem nobilitatis habitus. Atqui nobilitatis opera plerunque uisuntur actiones, & actio quælibet ciuile dignoscitur opus, ergo nobilitatis habitum ciuilem cognominari debere vel euidenter exercitata naturalis ratio conludit. Adsumptum primum ita probatur. Omnis nobilium conatus huc præcipuè tendit vt honorem atque gloriam sibi comparet, nedum laudem quemadmodum artes nōnullæ uiles, mediocrem: honor verò non nisi per actiones vtplurimùm (imò semper) conquiritur, ergo nobilis actiones, per se primarioq; cōsiderat atque meditatur. Nam actiones omnes necessariò voluntariæ suppo-

ponuntur. Qui enim obsecro laudem aut honorem promerueris, ni voluntariè quidpiam moliaris aut adgrediaris, quod laude vel honore dignum non dijudicetur? Adeò Philosophus in Ethycis vbi moralium cōditiones virtutum expressit inter cæteras hanc enumerauit, vt voluntariæ sint, atque ita laudem, & si fuerint insignes, honorem quoque promereantur, quemadmodum & eisdem contraria vitia vituperium accersunt, etsi grandia fuerint, insuper infamiam, id est, effatu dignum dedecus, & insigne vituperium. At inquies, nonne scientiæ pariter ac artes nonnullæ liberales dignoscuntur honorabiles, & huiusmodi scientijs, & artibus præditos honore dignos efficiunt. Nunquid scientiarum aut artium habitus in actiones diriguntur? Absit, quandoquidem ex superioribus liquidò videatur, agere solius prudentiæ munus agnosci proprium, haud secus ad scientiam scire sapientiam sapere, pariter & ad artem facere pertinet. Itaque non solum actiones verumetiam alia passim opera quæcunque videlicet ab habitibus emanant atque proficiscuntur honorabilibus, etsi voluntaria minimè dignoscuntur quemadmodum actiones, attamen homines honore dignos ac ita per consequens eosdem nobiles efficiūt, propterea quod è fontibus proximè scaturierint honorabilibus.

Surculus qui bonæ segeti noxam inferebat, extirpatur. Caput X.

VErum eamus obuiam huic obiecto tanquam hosti veritatis, & eiusdem vibrantia tela (si fieri possit) in eundem hostem retorqueamus atque reflectamus, ant ea saltem attritu vehementi retundamus. In opere quouis perpetuò finis venit attendendus atque considerandus, media verò non per se neque primariò, sed vnius gratia finis æstimanda veniunt, & quò magis conducunt maioresque nobis adferunt suppetias

ad eundem finem comparandum, eo media pluris æstimanda veniunt. Quorsum hæc? Vt donemus sapientiam vtpote scientias, & artes indiscriminatim omnes quanlibet honorabiles vnaque liberales longo dignitate superantem interuallo: vt inquam donemus sapientiam omnium rerum quæ videlicet animo concipi queunt, celeberrimam agnosci simul ac præstantissimam, ita mehercle neutiquam imus inficias eandem occumbere seu fatiscere turpiter nedum honorē impertiri, ni sedulò tādem in vnam actionem velut in scopum collimet illucue suos omnes promiscuè gressus dirigat. Adeò mens humana vel intellectus incassum ardua simul, & excelsa iugiter meditatur, acri rimatur indagine, dein auidè percipit eadem (vel vt ita dixerim) absorbet vnaque deglutit, ni subinde mox presto fuerit ei voluntas instar fidelis cuiusdam Achatis, quæ mentem eandem sublimibus illis iandudum perceptis impendiò connectat, & eam in diuinam exhumana substantia admirabili pariter ac stupenda metamorphosi transformet. Hoc etenim glutino (nec secus) humanus intellectus ita Deo copulatur, sic vnus efficitur, ita naturalem exuit multiplicitatē, & vnitatis amictum induit lucidissimum, vt nō lucere simpliciter atq; mediocriter, sed coruscare iam syderum instar incipiat. Adeò seruator noster adfabrè simul, ac appositè protulit: Fulgebunt iusti sicut sol & luna. Adeò nō iniuria Theologi passim efferūt næuo peccatorū sordidisq; vitijs inquinatū atq; cōspurcatū hominē resurgere conuertiq; difficilius, vt qui spōte spreto Dei beneficio seipsum dediderit in pistrinū ac deuouerit: nō immerito inquā sancti viri prędicāt emācipatū hominē vitijs cœnoq; cogitationum obicænarum adinstar suis (vt ita dixerim) sepultū resurgere multo maius reuera dignosci miraculū, ac aliquem vita iandiu functū ex inferis reuocare simpliciter. Adeò felicitatē omnibus præcipuè numeris absolutā in actione potius cōsistere suasq; vires exerere quā in intelligētia seu cōtēplatione (quemadmodū Sanctus Thomas arbitratur) nō solùm Theologi passim, qui videlicet hoc

in negocio rem acu (quod eit in adagio) tetigerunt, verumetiam Philosophus id ipsum in Ethicis elaboratè simul,& abundè nos edocuit. At id in præsenti redeamus vnde nostra primùm oratio fluxerat. Etsi nobilitatis habitus ad sciētiam, artes liberales, & ad sapientiam præcipuè propensos efficit homines, & earum rerum vtpote sublimium,& honorabilium auidos reddit, nihilominus interim huic vni rei potissimùm inhiat inuigilat, & omnem impendit operam, vt honorabilium huiusmodi rerum intelligentia vel attrectatione mentem velut alto somno (quod aiunt) sepultam humanisque cogitationibus obrutam expergiscatur, experrectam incitet,& ad actiones euehat eandem,ac ita tutò semel in portum appellat. Quam ob rem prudentia quanquā dignitate præstātiaque naturæ speculationibus cedit, magisque multò sapientiæ peritiarū omniū Reginæ: verontamen quoniā ipsa fini proprius accedit, ac vni Deo seipsam felicius & insinuat,& audacter intrudit, propterea meritò præ cæteris honorabilibus vtcunque peritijs exoptari vel expeti consueuit. Huiusce rei manifestum dignoscitur argumentum, quòd seclusa posthabitaque qualibet peritia, quātumuis honorabili, modò superstes incolumisq; persistat amor, hoc vno veluti glutino quiuis æternam felicitatē ab omnibus natura summis votis expetitā adipisci potest. Cōtra Theologus Philosophusq; quālibet insignis vel hoc supposito, quòd omnes promiscuè vel adamussim calleat artes honorabiles atque scientias, attamen si fortassis algeat, & orbatus amore deprahendatur, confestim æternæ felicitatis in capax redditur, quin etiam ad humanam id genus homines felicitatem comparandam in Ethicis ab Aristotele descriptā idonei parum, & apti videantur. Ergo nobilitatis habitum optimo iure ciuilē dijudicari pariter ac in habitu prudentiæ concludi satis meo iudicio superque probatum arbitror.

Non omnem actionem posse denominari ciuilem, & quae ciuilis nuncupetur. CAP. XI.

ETsi nobilitatis operationes vtplurimùm reuera sunt actiones eæq; ciuiles aut saltem in actionem velut in finem diriguntur, nihilominus haudquaquam existimes omnem actionem hominis absolutè vel simpliciter ciuilem cognominari, quanuis vtplurimùm operatio ciuilis verè denominetur actio. Nã ambulare loqui (verbi gratia) reuera sunt actiones, sed tamen eas promiscuè ciuiles appellare non liceat quandoquidem omnibus indiscriminatim insint hominibus, ac ita per consequens verè naturales dignoscantur actiones. Verumtamen eæ quanquam radicitus (vt ita loquar) verè naturales censentur, attamen euadere ciuiles poterunt, si leuem quendam addideris cultum hominibus promiscuè ciuilibus consuetum, quando ciuilis actio denominetur, quæ non omnibus indiscriminatim hominibus (alioqui naturalis foret) at oppidanis tantummodò siue ciuibus, qui simul viuunt, peculiaris visitur. Proinde loqui simpliciter, sedere, vel ambulare, naturales actiones fuerint, sed ambulare sic, ita loqui pariter, & hoc modo vel illo moueri vel sedere, tùm additis appendicibus huiusmodi quæ videlicet ad cultum ciuilem pertinent, ex naturalibus ilico ciuiles euadunt. Nanque ciuilis actio minimè naturali contraria visitur. Quò fit, vt vna perbellè coire possint, & eadem actio naturalis esse queat ac ciuilis. Atqui proximo capite quanlibet actionem continuò ciuilem denominari protulimus, quod ita nimirum intelligi velim, nẽpe quanlibet actionem non absolutè vel simpliciter, sed eam omnem cui cultus aliquis adnectitur ab hominibus inuentus, vt cõmodè simul, & iucundè conuiuere possint. Subijciam

exem-

exemplum clarioris doctrinæ gratia manifestissimum. Flectere genua, deosculari corpus aliquod siue membrū humanum, tegere caput vel detegere quemadmodū, & alia id genus innumera verè sunt actiones, quando sensu pateant, & nullam intrinsecè moliantur accidentalem formam, ab hominibus huiusmodi peragentibus animo conceptam: operationes inquam eiusmodi non solùm actiones absolutè sunt vel simpliciter, quinetiam actiones iure nuncupātur cum hoc adiuncto: naturales, quòd omnibus indiscriminatim tam ciuilibus quàm agrestibus atque solitariam, vel in eremo vitam agentibus insint. Veruntamen si cultum eisdem actionibus alioqui naturalibus aliquem ab hominibus ciuilibus inuentum addideris, tum naturales eædem actiones, continuò ciuiles euadunt. Exempli gratia quotiens adimus Cæsarē aut Regem, sanè viuēdi modus ciuilium hominum cultior atque tantisper elaboratus exigit, vt præmissis aliquot capitis & corporis vniuersi flexionibus vel (vt vulgò loquuntur) reuerentijs, alterum genu sic flectas, vt interea contangas humum ac subinde Principis eiusdem alterum genu siue mauis vestem deosculeris. Item si Romanum adeas Pontificem vtpote summum & vniuersalis Ecclesiæ verticem, idem ciuilis cultus postulat, & suo velut hæreditario iure quodam extorquet, vt eisdē præmissis quæ nuperrime commemorauimus, non vno solùm sed vtroque genūflexo prouolutus in terram, eidem summo Pontifici pedes deosculeris. Quam ob rem epilogo breui multa cōcludētes. primò dicimus ciuile quodlibet opus actionem esse vel in actionem dirigi tanquā in proprium finem. Secundò constanter asseueramus haud omnem actionem absolutè vel simpliciter ciuilem denominari, sed eam solummodò cui cultus adnectitur ciuilis atque coniungitur.

Quid inter ciuile ius ac naturale intersit. Caput XII.

SVpereſt, vt Iuris naturalis atque ciuilis diſcrimen adſignemus. Imperator Iuſtinianus à posteriori (quemadmodum peripathetici loquuntur) hoc eſt, ab effectu ius naturale deſcribit inquiens. Naturale ius eſt, quòd omnibus indiſcriminatim ineſt hominibus. At iſthæc vera minimè fuerit definitio, quandoquidem ob oculos rei naturam vel (vt ſcholaſticè dixerim) eſſentiam haud conſtituat, quin argumento potius à rei, qua de agitur, proprietatibus petito probat id eſſe ius naturale ſimpliciter, tantũ abeſt, vt quidnã illud verè ſit, aperiat & explicet. Proinde nos æquum cenſemus, vt huiuſce rei veram definitionem indagemus, & explicemus. Etſi natura definitur eſſe principium intrinſecum, attamẽ hanc Philoſophus appendicem addidit: per ſe, primò, & non ſecundum accidens, ſcilicet vt hoc adiuncto naturam ab humanæ mentis habitibus dirimeret atque ſecerneret, quippe quod minimè (quod ſciam) adnotarunt eiuſdem Ariſtotelis Interpretes. Adeò tanta viſitur naturæ functionum, & habituum affignitas (vt ita loquar) atque ſimilitudo, vt ni Philoſophus ſis, planè neſcias operationes vtriuſque diſcernere. Quapropter altera natura cõſuetudo vel habitus non immeritò prædicatur. Nã habituũ opera quæcũq, tãdẽ ea fuerint, à natura dubio procul emanat, & ab eadẽ velut è fonte ſcaturiũt. Verùm id inter vtriuſque functiones muneraque diſcriminis intercidit, quòd operationes quæ naturales denominantur, à natura proximè ducant originem, habituum autem opera non item: ea ſiquidem immediatè pullulent ab ipſis habitibus, quippe quorum interuentu deinceps à natura quoque proficiſcuntur, quamuis per ſe primoque profluãt à proprijs eorum habitibus, per accidens autem ac ſecun-

cun-

cundariò naturæ parenti referantur accepta. Quam ob rem hisce thesibus præmissis tanquam nostri totius ædificij basibus atque fundamentis, id esse naturale ius asserimus, quod proximè vel immediatè proficiscitur ab ipso naturali iudicio vel ab ipsammet natura, nullo penitus accersito labore seu facultatis ratiocinatricis discursu. cuiusmodi planè fuerit istud: nulli noxam inferendã esse, præterea mare præsertim oceanum ad priuatã nullius pertinere possessionem sed omnibus promiscuè gentibus commune censeri. Hæc atque alia id henus innumera propemodum iuris naturalis iudicia sunto, quæ nullam prorsus indaginem nullumque rationis cultum exposcunt, sed vltro nobis obuia sese offerunt. Alia sunt Iuris quæ rationis indaginem postulant, si ritè proutue conuenit, internosci discernique debeant, quæ nimirum in communi ciuium conuentu cœtu disquisita scilicet à peritioribus, non aliter ac in synodis æcumenicis fieri consueuit, perspicuè nota tandem euadunt. Hinc in institutionibus imperialibus frequenter habẽtur huiusmodi: post multas altercanitiones tandem ita conclusum est. Porro nonnulla reperias ad ius in genere pertinentia, quæ non omnibus indiscriminatim hominibus obuia sint, neque tamen interea disputatione vel altercatione prorsus indigeant, vt nota cunctis euadant. Hæc vt quæ partim ius naturale partim verò ciuile participent, aliam sortita sunt nomenclaturam. & hoc ius gentium legislatores vel ius naturale secundarium appellarunt.

Ignobilibus praeferri nobiles in adsequendis magistratibus atque dignitatibus.
Caput XIII.

HIsce definitis abundè quæ cum ad exprimendum nobilitatis naturam, tùm etiã eiusdẽ effectus atq; proprietates pertinebant, vt semel felicem huic negocio tam sublimi pro virili nostra colophonem imponamus operæprecium esse crediderim, vt priuilegia siue prærogatiuas nobilium, non obiter quidem aut per transennã sed exquisitè discutiamus, & enucleemus. De iure nobiles in adsequendis magistratibus atque dignitatibus publicis perpetuò præferantur ignobilibus idque debet intelligi (nec secus) data puritate virtutum. Vnde nimirũ inter Apostolos Bartolomeus, & Paulus quanquam ij soli fuere nobiles inter eos, attamen Petro postponuntur, quippe quem fabri filium extitisse prædicant, cum alioquin præsumantur nati parentum imitatores, & id vt plurimũ euenire consueuerit. Nãq; licet Paulus & Petrus in sacris literis expressè pares dicantur, attamen orthodoxi patres ea loca sic interpretãtur, vt in scientia vel in erudiẽdis mortalibus sũmũ Paulus occuparet locũ. At in potentia (vel vt communiter loquuntur.) in iurisdictione Petrus obtinebat principatum. Adeò minimè pugnant adinuicem authoritates eiusmodi, nempe Paulum Apostolum æqualem Petro fuisse dein Petrum extitisse Principẽ Apostolorũ omniũ. Porro Petrus genere quãlibet ignobilis, & exercitio piscator, hac vna fortassis virtute potissimùm cęteros excelluit atq; superauit Apostolos, quòd Christum Dominum intensius dilexerit, quod quidem ex multis palam indicijs colligi potuit. quanquam amoris ante passionẽ Domini (verbi gratia) quo tempore Malcho percitus ira (quam alioquin amor veluti sobolem pepererat) auriculã abscidit: quanuis ie-

in-

inquam amor Petri, naturalis tunc fuerit simpliciter, ac ita per consequens ęterno minimè dignus premio. Ad institutum redeo. Nobiles in dignitatibus consequendis data paritate virtutum, ignobilibus iure præferuntur, quoniam ad bona pariter ac sublimia propensi vel inclinati magis existimantur ac ignobiles. Quo fit, vt eosdem honorificètius magistratum exercitaturos optimo iure confidamus. Eadem ratione testimonio nobilis creditur mag is quàm ignobilis. At hic sicut,& in magistratibus adsequendis, perpetuò subaudienda venit isthæc appendix: data paritate (verbi gratia) propter superius allegatam rationem idque non solum in ſęcularibus magistratibus verum etiam in dignitatibus Ecclesiasticis, & in benificijs. Hinc Innoc: in cap. dudum l. 1. super verbo, dignitate,& ibi quoque Hosti.& Io. Andreas in eodẽ verbo, dein Panormitanus vna cũ aliquot alijs. Quinetiã apud Iurisconsultos nobilitas ætatem supplet,& nobilis tutor si palam seipso videlicet authoritatem præstante, per interpositam personam pupilli rem emat, non pręsumitur fraus, imò valet emptio. Secus autem si tutor alius ignobilis idipsum faceret, quia præsumitur fraus ac ita nimirum emptio corruit, quemadmodum responsa prudentum legislatorum sanciuerunt, vt patet per textum in l. Pupillus §. Sed & si per interpositam personam versi: sanè si quidam emit ff. de authoritate tutorum.

Prærogatiua mulieribus concessa nobilibus præcipuè Reginis atque principissis annibilatur. Caput XIV.

EO nostra tempestate venerunt superbię mulieres, vt non solùm priuatæ nobiles mulieres nedum Principissæ verumetiam vxores plebeorum vbi semel diuites euaserint, proprios dedignentur vberibus proprijs

prijs lactare filios legislatores vt patet in l.nec filiũ Cod. de Pat.pot.planè sanciunt matrem teneri filium lactare. Veruntamen Bald. Pa. Ca.insuper, & alij multi dicunt hanc legem in mulieribus nobilibus minimè locum habere, quæ nõ tenentur lactare filios. Hanc insulsam vnaque naturæ parenti penitus aduersantem opinionem, palygraphus ille Tyraquelus refellit authoritate Galeni lib 5.de san.tu.dicentis lac maternum infantem alere multò melius, & aptius ratione similitudinis, quod nimirum ita venit intelligendum, modo mater integra fruatur valetudine. Lac etenim maternum & consuetũ & maximè proprium. Id præterea comprobat authoritate sacrarum literarum. In libro Iudicum Cap. 1. Annatthelcanæ vxor vberibus proprijs filium Samuelẽ aluit. Item cap.8. Sarra cùm nobilitate tùm sanctitate conspicua multò ante ea tempora ex ablactatione filij viro suo cupit commendari: Quis(inquit)annuntiabit. Abrahæ, quoniam lactem infantem Sarra? Deinde locum hunc Genesis 2. traducit Ambrosius in libro de Abraham patriarcha capite. 7. dicens eum locum esse moralem. Prouocantur (inquit) fæminæ suę dignitatis meminisse & lactare filios suos. Hæc enim matris gratia hic honos, quo se proprijs commendant viris: præter id quod eos plus amare filios solent, quos proprijs matres lactauerunt vberibus. Sed & idem libro exameron. 7.cap.18.fœminas incessit, quæ quia ditiores sunt, lactare natos fastidiunt. Rursus in Epistola 82.præcipit matres ablactare filios. Idem Augustinus in libro decretorum cap. ad eius verò concubitum 5.dist.inquit. Praua consuetudo in coniugatorum moribus irrepsit, vt filios quos gignunt, lactare mulieres contemnant eosque ad nutriendum alijs mulieribus tradant, quod nimirum ex sola carnis incontinentia fuisse videtur inuentum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos genuerunt. Hisce rationibus & authoritatibus apposité(meo saltem iudicio) Bal. Pa. ca. & Franc. Are. reprehendit Andreas Tyraquelus. Ego verò naturalem adnecto ratio-

tio-

tionem ex opere Galeni petitam de vsu partium humani corporis. Vbera mulierum vberibus virilibus multò maiora non alia ratione concessit mulieribus eisdem natura parens, quàm propter lactis generationem, ac ita per consequens vt hoc eodem lacte natos præcipuè quos ipsæ genuerunt, alerent. Adde quòd ex hisce rationibus pariter colligitur, easdem mulieres teneri natos ab alijs genitos enutrire, sed tamē hoc supposito quòd ex humanis eorū proprij nati decesserint scilicet ne temerè prouida quidquam agat natura, neue quidpiam moliatur incassum. Quid enim in tota naturę speculatione magis obsurdum, quàm admittere. Deum aut naturam vtpote fidelem eius ministrum (vtinam fidelis adeò foret vna voluntas humana) frustra quidpiam operari? Nunquid à casu naturam aliquid attentare vel insipientem eam arbitraris? Dicat mihi Baldus, Panormitanus, & alij quotquot eandem insequuntur opinionem, hic mecum in arenam descendant. An fortè natura Reginis aut nobilibus alijs mulieribus vbera concessit oppleta lacte, contra naturam eandem vt nihil agerent? Nunquid in efformandis Principissis eadem natura quasi parum sui memor non intelligit quid operetur; aut intelligentiæ non erranti (quemadmodum Aristotelis interpretes ad vnum omnes rentur) parere detrectat eique contra legem atque præscriptum vniuersalis naturæ particularibus naturis impetantem deindustria siue libenter obluctatur?

Obie-

Obiecta quædam instar lolij vel zizaniæ superiorem segetem adulterantis hic referuntur. Caput XV.

NOnnulla reperiuntur obiecta propter statuta quædam vel à Iurisconsultis approbata, quæ quidem obiecta prærogatiuis nobilium ab initio propositis ex diametro (quod aiunt) ad versari videntur, quippe quæ velut sentes omnino radicitus euellere necessum est, ne nos præpediant neue nobis ad vlteriora festinantibus iter intercipiant. Prima nobilitatis priuilegia recensuimus, vt nobiles in dignitatibus consequendis præferantur ignobilibus, quodquidem tam in honoribus Ecclesiasticis quam sæcularibus habere locum ostendebamus. Item nobilis testimonio credi magis data paritate quàm ignobilis edocuimus. Itidem tutorem nobilem seipso quantumuis authoritatem præstante nullam presumi fraudẽ adseruimus & emptionem valere, quod in ignobilibus tutoribus non admittitur, quia præsumitur fraus, & emptio corruit. Deinde nobilitatem ætatem supplere constanter adfirmauimus, quæ omnia magnam nobilitati fidem tribuunt. Postremò quanti fecerint antiqui nobilitatẽ, præter ea quæ superius abundè cõscripsimus, hic insuper alia quædam pauca referam, ad locupletandam firmandãq; magis hanc sentẽtiã potius quàm opinionem. Vasallus cui facta est alienãdi potestas, haud alienare potest in ignobilem. Item ignobilis de iure ciuili perhibetur incapax feudi sine cõsensu domini. Itidem subditorũ interest (inquiũt Iuriscõsulti) dominos nãcisci nobiles atq; potentes quàm ignobiles atq; plebeos, iuxta illux sacræ paginæ: Beatæ terra cuius Rex nobilis est, & huiusce rei rationẽ adsignãt, quia sub domino potẽtiori securius viuitur, & quælibet gẽs sub maiori cõstituta iudice maiorẽ experitur prouidẽtiã. Hinc Aegidius Romanus

nus libro primo de regi mine Principũ infelices eos adpellat,quibus pauper aut rusticus dominatur ac imperat. Cæterum aliquando municipales quædam leges aliquẽ fauorem popularibus concedunt præcipuum , quem nobilibus alioqui denegant , quippe qui fauor secundum Baldi opinionem includit etiam aduenas ibi commorantes. Adeò si contrahant ibidẽ vel de linquant,eo ipso se faciunt populares ac tanquã huiusmodi veniunt iudicandi,licet in sua Prouincia fortè nobiles habeantur ac tales reuera sint. Veruntamen statutum arcens nobiles vna cum aduocatis, & id genus alios à quibusdã publicis muneribus,eosque patrocinari prohibens valet, idque vt prædæ aferatur occasio,sicut apertè Iurisconsulti decernunt vbi de curialibus loquuntur, quasi præsagiant nobiles aduocatos ac subinde similes alios, prædæ magis magis auidos offendi. Præterea multis in locis statutum est,& eorum iura municipalia sanciũt, vt contra nobiles in criminalibus causis probatio sufficiat ex fama quum alioquin in cæteris criminalium delictorum dissensionibus probationes oporteat adinueniri luce meridiana clariores. Atqui contra nobiles leges eæ municipales ita decernunt(inquiunt rectè Iurisconsulti quidam)vt feroces animi nobilium reprimantur,qui mætum imò terrorem presentibus incutiunt,& quoduis periurium subire malunt,quam testificari,ne deinceps ab eorum consanguines vel ab alijs nobilibus mulctentur atque malè lactentur. Itaque leges huiusmodi municipales contra nobilitatis priuilegia prius allegata , nobilibus nullã omnino videantur præstare fidem ita per consequens nobilitati derogare,quippe quod insuper expungere vel obliterare censetur, quecunque supra fusissimè de nobilitatis natura scriptis prodidimus, vbi nobilitatis habitum fomiti prorsus opponi,dein ad instar igniculi seu boni cuiusdam genij sẽper inclinare nobiles ad bona præsertim excelsa peragenda docuimus.

Google

Eadem Zizania siue lolium eradicatur.
CAP. XVII.

VErùm ad explicationem huiusce rei percipiẽdam, antea theses pro more nostro quædã subijciendę veniunt, ac ita nimirum velut angulari lapide fundamentis iniecto siue firmato super ædificabimus. Prima fuerit. hypothesis imò primum axioma nullam vtpote vel exiguam requirens declarationem, tantum abest, vt indigeat probatione: thesis inquam prima fuerit, nobiles vtplurimum ingenio magis valere autem ignobiles multoque perspicaciores offendi. Secunda diuini Platonis est, nempe non mediocri, sed raro vel insigni præditos acumine rationis, ad extrema fere semper mentis aciem dirigere, seu ea vitia fuerint siue virtutes. Hæc non propriè positio, siue thesis est, quin potius hypothesis vel (vt latinè loquar) suppositio, quippe quæ licet probationem eliminet, & exulare cogat, propterea quòd immediata propositio dignoscatur, nihilominus leuem admittit (imò poscit) seclusa tamen probatione declarationem. Preclara enim ingenia vt quæ discedant à medio simul ac longius cernant atque perspicatius mediocribus dedignantur, & extrema petunt libenter simul ac auidè tanquam difficilia vel cæteris longè pulchriora complectuntur, scilicet vt hac methodo (qui suus planè scopus visitur) nomen celebre sibi ipsis atque famam conquirant. Adeò nobiles in vtranque partem, & virtutum, & vitiorum ignobiles longè superant; Vnde Tullius cui probè noti fuerant vtrorunque morus in oratione pro Publio. Quinto Dolobella sic ad verbũ scriptis prodidit: quemadmodũ solẽt homines nobiles seu rectè seu perperam facere ceperunt, ita in vtroque excellunt, vt nemo nostro loco natus adsequi posset: iniuriam facere fortissimè perseuerant, & quæ sequuntur. Huc pertinet, quod de Athieniensibus gente quidẽ

cùm

cùm antiquiſſima tùm nobiliſſima ſcribitur à Plutarcho in vita Dionis ad calcem: ſcilicet eos ad inueniri viros excellentiſſimos virtute, quos illa ciuitas protulerit, pariter ac celeſtiſſimos agnoſci, quos eadem ciuitas ediderit. Hiſcæ iactis fundamentis iam exædificandum eſt. Vbi nobiles corrupti ſunt & ad alterum extremum extremis virtutibus aduerſantem, id eſt, ad extrema vitia deflectunt, ſanè tum lex viua quippe quæ legem ſcriptam vtpote mortuam longo ſuperat interuallo, & ei ſemper anteire conſueuit: viua lex inquam vt primùm id animaduerterit, continuò ſancire debet, vt priuilegia nobilitatis aliqua ex parte ſaltem imminuātur, aut etiā (ſi ita qualitas temporum, & mores hominum poſtulent) è medio tollantur, ſcilicet vt effrenes acri præditorum ingenio nobilium impetus ad extrema vitia deflectentes imò velut in præceps quoddam ruentes coerceantur in officioque nobilitatis proprio contineantur. Adeo verè diuinus ille Plato ſi cum cæteris hominibus chriſtiana fide deſtitutis conferatur, non immeritò protulit, mortuam legem obeſſe potius aut certè parum prodeſſe ciuitatibus hominumque cætibus, ſi lex viua quæ videlicet vna vel perempta lege qualibet mortuā rempublicam fouere pariter ac eidem præſto eſſe poteſt. Huiuſce deciſionis idē Plato rationem attulit, inquiens vrbibus vnam, & eandem preſcribi non poſſe legem, quę videlicet quouis tempore moribus hominum vtpote lubricis conueniat. Quinimò pro qualitate temporum proque morum immutatione leges pariter immutandæ veniunt. Vnde nimirum ęcumenicæ ſynodi quæ celebrātur inter chriſtianos haud perpetuò circa mores vnam adſeruant legem, ſed eandem pro mutatione temporum commutant. Exempli gratia ratum habuit Eccleſia iandiu matrimonium clandeſtinum. At vafriciæ diabolica bonos hominum mores corrumpente pariter ac ſuggerente nequitiam, conſultò legem immutarunt, & irritū ab eo tempore matrimonium clandeſtinum eſſe ſanciuerunt. Quam ob rem iura municipalia quanq iam

op-

oppositum apparenter sentiunt minimè nihilominus iuri communi censeantur aduersari, quod sententiæ reuera nusquam inter se pugnent, quamuis apponi prima fronte videantur idque si quis tempora diuersa moresq; diuersos hominum consideret. Adeò qualibet ætate legislatores magni fecerunt nobilitatem, licet pro varietate temporum aliquando ferociam nobilium cancellos propriæ ditionis (vt ita loquar) atque fines egredientium data opera represserint atque cœrcuerint. Hinc Archi. in C. commessationes ait. Si quid à populo desideras impetrare, prius in tuam sententiam nobiles adducere tentabis, quò facilius cæteros eorum authoritate pertrahas, scilicet quia nobiles digni pre cæteris visuntur.

An errantes nobiles puniendi mitius veniant. Iurisconsultorum opiniones referuntur. Caput XVII.

Magnam nobilibus legislatores prærogatiuam concedunt, quotiens eos errantes puniri mitius iubent. Vnde nobiles capti non adeo strictè detinentur in carceribus precipuè cetris ac sordidis. Nam ex legibus multis, & interpretum opinione palàm euadit mitius agendum esse cum nobilibus, quemadmodum, & cum alijs honestioribus personis præsertim in dignitate constitutis, quàm cum ignobilibus atque vilioribus. At id intelligendum esse monent cum hoc adiuncto: nisi nobilitas aut alia quæpiam dignitas augeat delictū, quod quidem non modò textus expresse ciuiles idque sic interpretante Bartholo cum alijs multis, verum etiam Iura canonica multis in locis hoc idem decernunt, & sanciunt. Demum interpretes citant illud Iuuenalis. Omne animi vitium tantò conspectius inse crimen habet, quantò qui peccat maior habetur, quod etiam citat.

citat Felij: in C. mulieres. Porro crimen augeri dignitatē putatur, quotiés in ijs delinquimus, quę dignitatē nostrā & eius administrationem cōcernūt. Sāctus Thomas 1.2. quest. 73. art. vlt. scriptū reliquit ex quatuor dignitate cri mē augeri. Primū (inquit) ob specialē actus peccati repugnātiā ad magnitudinē dignitatis. Exēpli gratia, si Princeps iustitiā violet, qui proponitur omnibus iustitiæ custos, & si fornicetur sacerdos, qui vouit castitatē. Secūdò propter exēplū, siue scādalū. Nam in pastorali sanctus ait Gregorius. In exēplū culpa vehemēter extēditur, quādo pro reuerētia grad⁹ peccator honoratur. Tertiò propter ingratitudinē. Vnde quælibet maioritas, (ita enim Diu⁹ Thomas loquitur) etiā in tēporalibus bonis peccatū adgrauat iuxta illud Sapientia 6. Potētes potēter tormēta patiūtur. Sūt enim magis igrati Deo. Quartò quia nobiles facilius possunt resistere peccato, quum excellant virtute iuxta illud S. Lucę 12. Seruus sciēs volūtatē Domini & non faciens, plagis vapulabit multis. Hinc sapientiæ 6. minatur Deus potentibus, quod horrendè comparebit eis facietque iudicium eisdem durissimum, qui præsunt. Hinc etiam nobiles proditores puniuntur magis, & contemnens vel transgrediens mādatū Principis, hic si fuerit nobilis acrius punitur quā ignobilis secūdū Baldū in cap. 1. §. Si quis verò. Notādū autem hic sicco pede, (quod aiunt) petransire, quod Iuris ciuilis interpretes aliquot passim adnotant. Inquiunt enim nobiles in pœnis corporalibus puniri mitius, At in pecuniarijs eosdem durius puniendos existimant, idque nimirum cæteris paribus, vt habetur in l. properandum. §. Sin autem vtrinque, & ibi Bartholus, & alij. In eandem sententiam ire pedibus (vt aiunt) Archidiaconus videtur, inquiens nobilem hæreticum maiorum promereri pœnam, aut certè non minorem. At hic vt nihil omittam eorum, quæ pertinent ad omnium opiniones virorum insignium recensendas, haud inuoluam silentio textum iuris illum in l. ad Commentariensem, & ibi glosam, C. de Gest. Nam

M ibi

Ibi legislator non solùm innuere simpliciter sut indicare, verumetiam apertè videtur sancire nobiles in pœnis relatiuis æquè ac ignobiles puniri. Verbi gratia si nobilis accuset plebeum, neqne tamen interea delictum probet, eadem omnino pœna venit puniendus, qua puniri debuisset plebeus, videlicet si delictum à nobili fuisset probatum.

In genere nobiles acrius debere puniri quàm ignobiles probatur contra legislatorum opinionem. Caput XIX.

IN libris de Republica Dininus Plato nobiles acrius atque vehementius punit ac ihnobiles. Hinc quodã loco de certo quodam scælere patrato, inquit. Hic si fuerit ignobilis ab vrbe nunquam rediturus abito si nobilis fuerit morte plectatur. Nostri legislatores vna cum interpretibus rei difficultatem seipsos forsitan euitasse putant, vbi videlicet hanc appendicem adiũxerint: modò nobilitas aut alia dignitas aliqua delictũ non augeat. Nanque vel perspicuè cernebant ineuitabilem esse regulam illam seu legem à natura parente nobis præscriptam atque cordis penetralibus insertam, sæpe contrariorum omnium eandem esse disciplinam, quod quidem non solùm in naturalium disquisitione rerum siue diuinorum contemplatione, verumetiam in omnibus indiscriminatim humanis actionibus iure locum habere debet, & æquum est. Proinde si nobiles præclara siue conspicua facientes vel (vt aptius, & accommodatius eloquar) agentes opera maiorem nanciscuntur mercedem, quę prærogatiua videtur esse nobilium, qui grauiora committẽtes crimina grauiori pariter culpa digni non videbuntur? Cur ignobiles excelsa nonnunquam obeuntes munia, cum ipsi magis elaborent ac nobiles, maioréque sibi ipsis vim inferant, & habitui proprio durius obluctentur,

quan-

quandoquidem non ad sublimia quemadmodum nobiles, sed ad vilia plerunque saltem inclinentur: cur ignobiles inquam vtpotè sudantes magis videlicet in praeclaris actionibus obeundis, maiori pariter corona digni vel praemio non iudicatur? At inquies priuilegia sunt isthaec nobilium, quia non solùm opera considerantur praesentia quanlibet egregia, sed labores praeteriti precipuè pluries atque pluries repetiti cùm ipsorum tùm praecipuè genitorum gesta perpenduntur à quibus ipsi nimirum tanquam ex equo Troiano prodiere. Verumenimuerò qua ratione sua ipsorum crebrò repetita gesta vel insignes progenitorum actiones eis in presenti mercedem augent maioremque parturiunt honorem, eadem, profectò ratione per contrarium, si demoliri gloriam tot exantlatis laboribus partam enitantur, & vt id adsequantur, omnem impendant operam (obsecro) si regula seu lex naturae contrariorum vbique locum habere debet, sicuti certè debet, idque naturali iure, quippe quod vtpote perfectius iuri ciuili condendarum legum normam praescribere conuenit, & expedit: si lex inquam contrariorum adseruari debet, nonne nobiles praecipuè grauiter delinquentes, ob adductas nuper in medium rationes multò grauius atrociusque vel naturali iure puniendi veniunt? Nunquid lex ciuilis ritè cōdita vel promulgata fuerit, quae cum lege naturae vel è vestigio pugnat atque praelium atrox (vt ita dixerim) iugiter ac indesinenter committit? Absit vt ciuiles sanctiones parenti naturae simul ac eiusdem praescriptis aduersentur. Quinimò ciuile ius id perfectius euaserit securiusue contentiones dirimet, quò diligentius ac sedulò magis diuinam legem inprimis, deinde naturam inferiorem vtpotè legitimam eius parentem aemulabitur. Ergò nobiles & honestiores aliae personae praesertim in dignitate constitutae seuerius multò puniendae veniant ac obscuri vel infimi passim homines.

In quacunque delictorum specie nobiles venire magis puniendos inductione declaratur contra prudentum responsa. Caput XVIV.

QVod in genere docuimus,nempe nobiles acrius puniri debere quam ignobiles, idipsum in presenti demonstrabimus in vnaquaq; specie. At futilē prius obiter argumētationē quādā expūgemus. Luc. pen. fret⁹ authoritate legum aliquot arbitratur nobilium crimina tegi vel occultari facilius idque hoc argumento. Nobiles præcipuè summi visuntur in meliori fortuna tāquam in alto loco positi, sequitur ergo facilius eos obtegere posse delicta. Pulchrum si Dijs placet argumentū perinde ac si quispiā ita ratiocinaretur. Antonius cōscēdit suggestum aut collā, siue turrim ergo difficulter conspici potest, ac ita per contrarium inde deducitur, eundem ab omnibus facilimè conspectum iri, si lateret in fouea profunda vel in puteo. Mirabilem hic Doctor expiscatus est arguendi methodum. Hunc Andreas Tyraquelus incessit exemplisque multis ostendit patere magis nobilium præcipuè verò Principum crimina quàm obscurorum hominum. Nanque vulgus omnia concilia sublimium rimari solet, præsertim autem horum qui Reipublicæ præsūt mores, vitam, aut actiones, & introspicere curiosissime vel hoc supposito, quod isthæc altè quomodolibet abdas, diligenter obtegas, vel eadem aliquot velamētis obnubas. Vnde scriptum reperimus inimicos cauillatores hoc virus in lineum Pompeium eiaculasse, quòd vnico digito scalperet. Quemadmodum etenim indignius ferri maiorique solent habere verractæ dedecori seu ficus in facie, quàm næui vel mutilationes in reliquo corpore, sic etiā de nobilibus præcipuè magistratibus atque Principibus, quippe quos omni facinore (propterea quòd eorum errata curiosius notentur) vel temeritate vacare conuenit.

uenit. Cæterum quanplures summo loco natos atq; potentes vel insignes cùm viuendi licẽtia, tùm animi ferocia perdidit. Redeamus ad diuerticulum. Sanctus Thomas ex quatuor augeri crimen dignitate nos edocuit, quemadmodum paulò ante retulimus. Primùm fuit ob specialem actus peccati repugnantiam ad magnitudinẽ dignitatis. Exempli gratia si Princeps in iusticiam committat, qui præficitur alijs tanquam iusticiæ custos, & si fornicetur sacerdos, qui vouit castitatem. Sanè quod ad hanc primam delinquẽdi speciem attinet, nobiles acrius venire puniendos, cuicunque vel stupidissimo notius est, quàm vt probationem requirat aut à quopiam vtcunquè versuto vel callido dissimulari possit. Secundò propter exemplum seu scandalum. Hic mehercle dilatãdæ (quod dici solent) veniunt fimbriæ. Nam hæc ratio non solùm in hac specie delicti verumetiam in omnibus indiscriminatim erratis apertè militat: siquidem nullum erroris genus comminisci vel effingere queas, quod in eo qui præëst, seu præ cæteris fulget, turpius non appareat, & obscænius. Atqui turpia vel obscæna magis, digna pariter atrociori pœna visuntur, ergo nobilis præsertim in dignitate magna constitutus ex quocunque graui delicto maiorẽ promeretur pœnam, quia maius exhibet in Republica scandalum. Hinc eadem ratione parentum crimina magis notantur ac filiorum. Quò fit, vt maius quoque scandalum parturiant idque non alia ratione, quàm quòd parentes in dignitate constituti videantur, quia præsunt, & imperium exercent in filios vel exercere tẽnentur. Vnde Sãctus quidam quippe cuius è memoria nomen excidit, de iocosis atq; scurillibus colloquijs verba faciens inquit: nugæ quidem in ore sæcularis hominis nugæ fuerint vnaque tales existimentur, at eædem in ore sacerdotis minimè censeantur nugæ quin potius blasphemiæ veniunt æstimandæ.

In cæteris pariter omnibus delinquendi speciebus idem probatur. Caput XX.

Tertio Sanctus Thomas augeri dignitate crimen adserebat, propter ingratitudinem. Vnde quælibet maioritas (inquiebat) etiam in temporalibus bonis peccatum adgrauat iuxta illud Sapientiæ 6. Potentes potenter tormenta patiuntur, quia Deo magis ingrati sunt. Atqui dic obsecro nunquid non isthæc ratio in omnibus promiscuè criminum speciebus non militat? An non plus debet, qui plus accepit? Quorsum amabo pertinet ea parabola, scilicet in qua pater familias fingitur siue proponitur debitoribus aliquot pro sua liberalitate debitū cōdonasse, qui seruator noster percunctatur hoc pacto: Pater ille familias vni dimisit quīquaginta denarios alij centū, alij verò ducentos. Dic mihi inquit. Quis nā eorum magis debet magisque dominum diligere tenetur? Responderunt ilico: ille cui plus dimisit. Porrò si qui patrem familias diligere magis tenebatur, quippe cui plus dimiserat ac alijs, eundem Dominum contempsisset ac omnino fuisset aspernatus, atque ita maiorem ostendisset ingratitudinem, dic amabo nonne maiori pœna dignus hic tibi non videretur? Comminiscor deductum à contrario ratiocinium aliud Maria Magdalena cum vnguento preciosissimo pedes nostri Domini seruatoris inunxisset, audire meruit ea verba: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Amor ergo multus dona pariter multa promeretur ac ita nimirum quò maior gratitudo vel maior amor, eò maius quoque meritum fuerit. Itaque sic argumentor. Gratitudo quò maior eò maiora dona promeretur, ergo per contrarium ingratitudo magna pœnam similiter possit maiorem. At nobiles præcipuè potentes cum bona temporalia receperint ab optimo Deo lōgè plura quàm infimi vel obscuri pas-

sim

sim homines, multò plus eundem Deum amare tenētur, quia plus eisdem contulit, ergo si fortassis erga Deum iidem ingrati fuerint, pœnam longè maiorem promerētur: Verumenimuerò lex humana iure tantò perfectior, & excellentior existimatur, quantò magis legi diuinæ similis cernitur. Atqui lex diuina nobiles præcipuè potentes vtpote magis ingratos, non in vna vel altera solummodò specie delinquendi determinata magis punit ac obscuros, pauperes, & ignobiles, quippe quibus temporalium bonorum minus contulit, sed in omnibus, ergo lex humana si velit videri legis diuinæ fidelis ancilla (sicuti reuera tenetur) nobiles precipuè potentes non in vno vel altero solum sed in omnibus promiscuè delictis acerbè magis punire maioresque pœnas iufligere tenetur idque propter maiorem ingratitudinem, quando valeat in omnibus eadem ratio, nec vllus omnino fugæ relinquatur locus. Quam ob rem vt probemus in carcere nobiles errantes detineri non adeò strictos debere, quemadmodum cum aliјs fieri consueuit, precipuè quando nundum de crimine satis constat, & in dubiјs præsumptio semper nobilibus faueat; ni corrupti mores eorum in tota Republica palàm appareant, quia tunc hisce nouis casibus prospicere nouarum legum opera municipalium, & conuenit, & expedit; quanuis inquam errantes nobiles minori vituperio trahi debeant ad carceres pariter ac ibidem strictè minus detineri, nihilominus vbi graue delictum fuisse constiterit, & abundè causa turpis fuerit cognita, sanè tùm pro delicti qualitate nobilis venit acerbius multò puniendus ac infimus & ignobilis.

Idem solidis rationibus cofirmatur. Caput XXI.

IDem Sanctus Thomas quartam conditionem assignans ex qua crimen augeri dignitate consueuit, ita scriptum reliquit; quia nobiles facilius possunt resistere peccato, quoniam excellunt virtute iuxta illud Luce 12. Seruus sciens voluntatem domini, & non faciens plagis vapulabit multis. Hic data opera lubet expaciari tantisper vnaque pariter probare, rationem huiusmodi vel in omnibus promiscuè delictis habere locum. Itaque subijciamus inprimis hanc thesin velut axioma quoddam ab omnibus vltro concessum, nempe tacito modo quodam inscitiam, & imperitiam homines excusare. Nam verè nos excusat ignorantia, simul ac nos ab omni reatu vel pœna reddit immunes, modò supinà vel emendicata modo quodam ea non appareat. Hinc accusati plerunque de aliquo delicto confestim suo crimini prætexunt ignorantiam, & eandem facinori patrato tanquam velamentum obducunt. Exempli gratia, lucifer vtpote summa præditus intelligentia turpissimè deliquit, nec errato pretexere potuit aliquam imperitiæ suspicionem nedum solidam probationem. Quò fit, vt pœnam promeritus fuerit, & acerbissimam, & eternam, quando delinquere proposuerit in æternum, & æterno delinquendi proposito pœnam correspondere pariter æternam, & expediat, & optimo iure conueniat. Homo miser longè minori præditus intelligentia quanquam eo tempore non vexabatur à carne spiritus, neque molestiam à fomite (qui nullus erat) aliquam perpetiebatur, veruntamen inscitiæ clypeo munitus optimi Dei mi-

misericordiam promeruit. Adeò maximum Deum decebat opitulari scæleribus hominum imprudentibus non autem sathanicæ calliditati: Redeamus ad institutum. Qui percipit, & intelligit excellentius errati magnitudinem, grauius multo venit plectendus ac ille, qui minus intelligit. Nanque si nihil intelligeret, & seipsum delinquere penitus ignoraret, ac ita nullius ipse sibi criminis foret conscius nulla iure posset eidem irrogari pœna: siquidem eo casu nullum omnino patraret scælus, quando peccatum nec esse nec dici queat, ni voluntas concurrat, neque voluntas possit adsentiri (sicuti nec eligere quippiam) ni præsto sit intellectus, qui prius illud ipsum perceperit atque dijudicauerit. Proinde diuina prouidentia statuit, vt in hominibus castigandis æterna tormenta commutarentur in passiones temporales ita tamen, vt pœnæ ingratitudo prorsus eadem permaneret. Neque enim culpę magnitudinem prout conuenit, intelligeremus (quæ nostra naturalis agnoscitur imperitia) ni pœnæ grauitatem vtpote magnitudini culpæ correspondentem experiemur. Adeo qui non subeunt id oneris, quandiu degunt in hoc misero corporis ergastulo, iustitia diuina poscit, vt alibi pœnam eandem, hoc est, à morte corporis experiantur, & acrius pariter ibidem plectantur. Nam hic pœna longè minor infligitur, quia voluntariè suffertur, ibi verò durius, & acerbius irrogatur, quòd euitari nequeat promerendique præterierit occasio.

Rursus nescio, quo modo diuagati sumus. Ad pensum iam redeamus iterum. Nobiles ab initio supponebamus non solùm ferè semper diuitijs abundare magis ac obscuros, & infimos, quemadmodum & fauoribus, Principum magis ornari, decorari, simul & communiri solent, verumetiam intelligentia vel solertia nobiles idem obscuris, & ignobilibus vtplurimùm anteire cõsueuerunt. Ergo nobiles quemadmodũ in omnibus promiscuè nedum in vna vel altera delicti specie

casti-

castigantur à diuina prouidentia durius, ita nimirum ab humanis legibus quæ diuinas (sicut, & naturam ipsam inferiorem) æmulari tenentur, acerbius plectendi veniunt. Adeo non iniuria maximus Deus interminatur potentibus, quòd horrende comparebit eisque iudicium faciet durissimum, qui præsunt. Cæterum Diuus Thomas quando docet ex quatuor dignitate crimen augeri, non intelligit crimen augeri dignitate solummodò quatuor modis, id est quatuor solummodò peccatorum speciebus, vt quidam fortasis arbitrantur, quinimò semper omnia passim delicta multò maiora diiudicat in nobilibus ac in infimis propter quatuor rationes. Primo quoniam peccati promiscuè cuiuslibet actus (licet aliud maius aliud minus) maiorem sortitur repugnantiam cum nobilitate. Secundò quia maius parit scandalum. Tertiò quia nobilis peccando quomodocunque delinquat, ingratus magis visitur ignobili. Quarto quia nobilis vt plurimùm ingenio pariter ac virtute magis excellit, & ita singulis vitijs in omni specie delinquendi facilius potest resistere. Doctores verò Iurisconsulti dicunt crimen dignitate tum augeri, quotiens in ijs oberramus, quę dignitatem nostram concernunt, & eius administrationem, quasi velint id in paucis quibusdam casibus contingere, nec aduertunt hasce diui Thomæ rationes quatuor, contra decisionem eorum in omni (ne vna quidem excepta) delinquendi specie contra nobiles militare.

†

In

In pœnis corporalibus data paritate nobiles acrius venire puniendos contra legislatores. Caput XXII.

SVpereſt, vt aliam deciſionem à legiſlatoribus in lege properandum §. ſin autem vtriuſque, ſancitam expendamus, nempe qua cauetur, ne nobiles perinde puniantur in pœnis corporalibus ac ignobiles. At in pecuniarijs durius plecti volunt cæteris paribus, quemadmodum ibi quoque Barth. ad notat. Etſi prima ſtatim fronte durum videtur imò nefas aduerſari prudentum reſponſis præcipuè multis antea ſæculis propemodum receptis, attamen vbi teſtimonium habemus Platonis aut Ariſtotelis, & ratio deinde ſubſcribat euidenter, nemo ſanæ mentis temerarium id arbitretur, quandoquidem vni tantùm Euangelio ſimul, & Eccleſiæ Chriſti Domini Sponſæ, id eſt, ſynodis œcumenicis indubitatò præſtanda fides veniat, idque etiam ſi nobis aliud ratio dictare videatur. Ad inſtitutum redeo. Qua ratione nobiles in cæteris delictis indiſcriminatim omnibus ob allegatas nuperrimè rationes puniri ſeuerius, & acerbius debẽt, eadem dubio procul ratione quotiens delicti qualitas pænam exigit corporalem, non mitius, imò durius puniendi veniunt, ſcilicet quoniam omnia promiſcuè delicta maiorem habent repugnantiam cum nobilitate quàm cum ignobilitate: ſcilicet quia nobiles vtpote plurium donorum ab optimo Deo collatorum compotes atque poſſeſſores ingrati magis oſtenduntur: ſcilicet quia nobiles vt plurimùm ditiores atque potentiores, adhæc fere ſemper obſcuris prudentiores, & eruditi magis multo facilius obſiſtere delictis poſſunt modò velint. Hinc Archidiaconus non iniuria nobilem hæreticũ puniri magis debere protulit aut ſaltem non minus. At iſthæc appendix: non minus conſultò

sulto venit expungenda vel obliteranda penitus, quando nulla subsit ratio, quæ nos ad illud additamentum moueat comprobandum. Quinimo superiora palam oppositum demonstrant. Non inuoluam silentio, quod adduci solet per illum textum in l. a. Commentariensem, cuius rei paulò ante meminimus, nempe quòd in pœnis relatiuis æque puniendus nobilis veniat ac ignobilis. Verbi gratia si nobilis accuset plebeum, neque tamen interea delictum probet, eadem (vt ipsi tenent) omnino pœna venit plectendus, qua puniri debuisset plebeus, si delictum ab accusatore nobili fuisset probatum. Equidem crediderim hoc casu mitius venire nobilem puniendum, quia de veritate facti non constat. Nanque multa sunt vera, quæ probari nequeant, & in dubijs in nobili non præsumitur fraus, modò videlicet in cætu nobilium aliqua non irrepserit contagio morum siue lues, quemadmodum supra dedicato huic rei capite commonstrauimus, quo casu iura municipalia iuri communi derogare videntur, quando seuerius nobiles punire consueuerint. Proinde si non sæuiat aut serpat in Republica id virus hoc pestilens, id est, si nobilitas corrupta minimè fuerit imò suos mores insequatur, profectò qua ratione non censetur fraus in tutore nobili quantumuis emente rem pupilli per interpositam personam, quanuis hic occasio lucri manifestò depræhendatur; eadem omnino ratione fraus in eo præsum non debeat, quotiens plebeum aliquem accusat, etsi delictum probare nequit quando probabile sit accusationem esse legitimam, licet (vt sæpenumerò contingit) probatiò deficiat. Quò fit, vt plecti non debeat aut saltem leuiter. Neque tamen ob eandem accusationem Simpliciter vtpote probatione destitutam plebeus venit puniendus, quoniam sola præsumptio minimè tantum roboris in se continet. Si dixeris odium in nobili videlicet plebeum accusante præsumi, respondebimus ob eandem rationem in eodem tutore præsumi mox auiditatem

prædæ,

prædæ. At in nobili auaritia non præſumitur, ergo nec iniuſtum odium, ſcilicet quia nobilis eſt, & in eo fraus aut falſitas minimè præſumitur, ni forſitan allegata ſuperius obſtiterint.

Finis libri quarti.

ANDREÆ CAMVTII

PHYSICI OLIM CELEBERRIMI.

DE NOBILITATE

LIBER QVINTVS.

Cur venatio de iure canonico clericis interdicatur aliorum opinio recensetur. Caput I.

PRoximo libro quid actio sit, quænã actio ciuillis propriè nuncupetur, omnem habitum nobilitatis ciuilem esse, qui secernantur actiones ciuiles à naturalibus, denique qui ciuile ius à naturali discrepet: adhæc quæ sint legitima nobilium priuilegia, quæ verò veniant expũgenda vel obliteranda tanquam instituto nostro minimè conferentia, satis (vt opinor) superque disseruimus. Impresentiarum de nobilitatis origine disquiremus, vbi pauca de venatione prius attigeri-

gerimus, quod quidem aliquot capitibus diuina fauente clementia perficiemus. Quæritur qua de causa clericis iura canonica venationẽ inhibeant, quum alioquin ea nobilium præcipuè verò principum dignoscatur peculiare quoddam exercitium, animi corporisque saluti vel apprimè conferens, & arti militari quæ nobiles decet eisque conuenit, haud incommodum. Nanque quod bonum est, minimè venit inhibendum. Atqui venationem esse bonam inde colligitur, quòd sit vtilis, quando bonum omne iocundum sit aut vtile vel honestum. Neque enim effingere nedũm adinuenire plura bonorum genera concedatur. Quin etiam arbitruntur nonnulli venationem non solù m vtilem verumetiam honestum, idque per se vel primariò non autẽ secundariò per aliud, siue per accidens, quod quidem ita probare nituntur. Quidquid omnibus ferè permittitur, id suaptè natura licet, & honestum est. At venatio licet interdicatur clericis, attamen cæteris permittitur omnibus, quod minimè fieret, si licita non esset ac honesta, nedum absolutè vel simpliciter vtilis. Id placitum doctorum insuper consensu iurisconsultorum fulciri potest, quando passim venationem esse iuris gentium attestentur, quo semel dato vel supposito sic argumentari liceat. Quod naturale visitur, id continuò bonum sit oportet, imò necessum est, alioquin ipsa minimè bona foret natura, quandoquidem arbor bona necessariò bonos pariat fructus contra malos arbor mala fructus edat. Porro ius gentium quanquam à Iustiano discernitur à naturali, nihilominus ipsum quoque modo quodam censeri naturale vel eruditus nemo prorsus it inficias. Atqui litem hanc hoc pacto dirimunt, & aiunt nihil vetare, quò minus aliquid vtile vel honestum à legislatoribus interdicatur non omnibus, & semper (alioquin frustra diceretur, & esset vtile vel honestum, si promiscuè cunctis ac semper inhiberetur) sed quibusdam solummodò vel ad præfinitũ quoddam tempus: cuiusmodi venationem esse rentur, quippe quæ velut honesta pariter ac vtilis interdicitur solis cle-

ricis,

ricis, propterea quod eosdem auertat à diuino cultu di-strahatque non aliter ac matrimonium. Nanque Sāctus Paulus consuluit eis, quibus donū continentiæ datū est, vt matrimonio non implicentur, quando mulieribus emancipati seruire Deo nequeant integrè, quoniam id genus homines (vt ita loquar) haud integri sunt quodā-modo, sed (vt paulinis vtar verbis) diuisi putantur, id est, in varias diuulsi vel distracti cogitationes, quemadmodum, & viro deuincta mulier interuentu copulæ matrimonij nequit integrè deo proutue conuenit, inseruire, quoniā perpetuo cogitat, quomodo placeat viro deinde sobolis accedente cura magis adhuc vexatur. Itaq; sicuti matrimonium alioqui propria natura bonum interdicitur nonnulis, ne videlicet à maiori bono procul arceātur, quando neminem integrè duobus nēmpe diuersis dominis inseruire posse constet, ita nimirum iura canonica clericis venationem inhibent ob eandem causam, scilicet ne distrahātur & auocentur à diuino seruitio. Nā vt admittamus vel (vt rectius eloquar) condonemus venationē suapte natura vel (vt Scholastici passim efferunt) per se bonam, ita mehercle neutiquam inficiamur inseruire Deo dignosci multò melius. Adeò duorum aut plurium bonorum, quotiens omnia vel vtrunque nequimus executioni mandare longè prestet alterum, aut si plura quam duo fuerint, eorum partem aliquam cōplecti vel minimam, quæ melior sit, & nostræ vocationi magis expediens, quàm vtrunque vel omnia summis (quod aiūt) labijs degustare. Quidam porro doctores iurisperiti celebres existimant hanc regulam nempe venari, secūdum iura canonica non permitti clericis haud semper habere locum. Fallit etenim (inquiūt) hoc iuris canonici decretum, quoties clerici nō voluptatis vnius gratia videlicet. (vt ego quidem interpretor) absolutè vel simpliciter, id agūt, quinimò recreationis ergo sine gratia salubritatis vnius præcipuè saltem, idque modicè (subnectunt enim hanc appendicem) eandem exercent venationem, atque hæc fuerit eorum in hac materia decisio.

No-

Nomenclaturæ boni duplex intellectus adsignatur. Caput II.

VErùm hæc quanquam (vt ingenuè fatear) vera cernitur cõclusio nihilominus media nempe quibus ad eam decisionem ventum est, nõ exiguam fortassis sed effatu dignam poscit requirituè disquisitionem, quando nihil impediat, quò minus iter aliquò faciens quispiam aberrato à recta via, quique nec diuerticula neque regiũ & ob omnibus prætritum siue conculcatum agnouerit iter, eo tamen perueniat, quò videlicet ante constituerat in animo se peruenturum. Atqui similes nõ ex industria sed casu portum adpellunt, quotienscunq; seipsos æquori committant. Itaque nobis illud hic venit perpẽdẽdũ, idque non obiter aut quasi quidpiam aliud animo cõcipiẽtes, sed acuratè vel ex professo, nũquid venatio per se vel suapte natura (quod idem est) bona putetur ac reuera sit, & hominibus licita. Quæstionis huiusce disquisitio quæsitũ aliud ante necessariò supponit, scilicet vt quid in genere bonũ sit ac reuera licitũ intelligamus. At isthæc inquisitio sicut aliã natura præcedit, ac ita per cõsequens in doctrina primum occupat locũ, vt ita qui docẽt naturã æmuletur parentẽ, quidquid hoc in negocio mussitauerint. Aristotelis interpretes: sicut inquã primũ in genere quæsitũ quòd vniuersalius sit, & secũdũ veluti sobolem quandam procreet illud ordine doctrinæ præcedit, ita mediusfidius diligentem postulat considerationem, mentiisque non mediocrem exigit atque requirit indaginem. Boni duplex vltro se se offert intelligentiæ nostræ cõsideratio, quarum altera dignoscitur communissima, si tamen fas est ita loqui, nẽpe qua bonũ cũ ente cõuertitur, quæ metaphysica prorsus cõsideratio visitur. Altera verò nõ absoluta vel vniuersalis omnino quemadmodũ illa prior, sed relatiua videtur. Iuxta priorẽ cõsideratione, quippe quã in libro de amore (ni fallor) acu tetigim*,

 quem-

quemadmodum efferri passim consueuit: iuxta priorem inquam considerandi modum qui verè metaphysicus est, quidquid vspiam est, id necessariò pariter bonum est, sicut & quidquid bonum æstimatur, necessariò protinus aliquid est. Vnde scribitur in sacra pagina creasse Deum omnia non solùm bona simpliciter, verumetiam cũ hoc additamento; bona valde: siquidem ea ratione videlicet qua valde sunt, id est, qua numeris absolutam omnibus obtinent entitatem (vt scolastici loquũtur ac rite loquũtur) ita nimirum eadem ratione perfectam obtineant bonitatem, quod quidem hoc pacto venit intelligendũ, nempe quodlibet sortiri perfectam entitatẽ ac ita quoq; per consequens integram bonitatem, idque non absolutè, sed eam omnino perfectionem, quippe quam ea natura siue species vel (quomodocunque loqui libuerit) actus ferre vel obtinere potest. Nisi enim sic intelligas, ilico vel non omnia quæ sunt, creata fuisse perfecta fateri cogeris aut omnia passim, & æqualem entitatem, & eandẽ pariter obtinere bonitatem, atque ita nullum ens fuerit altero melius aut perfectius, quod quidem haud dubiè cùm rationi tùm sensui palàm aduersatur. Altera boni consideratio non absoluta vel vniuersalis, at relatiua dicitur, quia bonum hoc pacto dicitur, non quod propria natura bonum sit, quando sic omnia quæ sunt, quatenus entia sunt, eatenus quoque bona sint: sed bonum propterea nuncupatur, quòd huic aut illi bonum sit, & ei prosit, sicut & malum illud idem appellatur non simpliciter (quia sic vniuersaliter ac metaphysicè loquendo nil reuera malum agnoscatur) sed huic aut illi collatum, nempe cui forsitan obesse consueuit, iuxta quem sensum ignis (verbi gratia) malus iure prædicatur, quoniam extermi-nat atque fatiscere cogit compositum, & calor febrilis ad hunc eundem sensum malus visitur, quoniam hominem interimit.

Vena.

Venationem haud per se propriaque natura bonam esse iuxta secundum boni significatum, solidis rationibus conuincitur. Cap. III.

PORro quæsitum est de venatione nũ bona sit aut mala, quod nimirum de secunda boni nomenclatura, id est, de relatiua venit intelligẽdum: Proinde si venatio fuerit homini iocunda vel vtilis aut honesta, quod pro confesso doctores illi subijciunt, quando dicant venationem suapte natura lititam, & honestam, adhęc exhilarare plurimùm præterea cùm animo tùm corporis salubri tuti pręcipuæ conforentem: si fuerit iuquam huiusmodi venatio, qualem illi comminiscuntur atque prorsus autumant, haud dubiè bona venit æstimanda. Methodus autem ad id expiscandum idonea planè visitur, vt an in omnibus indiscriminatim hominibus eadem opera pręstet experiamur. Nanq; iuxta verissimum philosophicè theorema, scilicet à qua theologi sicut, & alia propemodum inumera deprompserunt, & hæc eadem ei referre tenentur accepta: iuxta notissimum inquam theorema peripatheticum, quod per se, hoc est, propria natura tale cẽsetur ac reuera tale est, hoc idẽ cuicũq; cõparatũ sẽper erit tale quod ita debet intelligi (meo saltẽ iudicio) comparatũ cuicunque non absolutè vel simpliciter, quia sic intelligẽdo nihil per se bonũ foret iuxta secundã (de qua nũc agitur) boni nomẽclaturã, quãdo nil vspiã offẽdatur, quod omnibus indiscriminatim entib⁹ benè faciat imò quod vni speciei bonum est, alteram labefactat aut etiã è medio tollit speciẽ: quinimò per se bonũ perpetuò bonũ erit, nẽpe cõparatũ nõ entibus promiscuè quibuslibet ac in genere, sed collatũ indiuiduis, hoc est, particularibus ad vnũ omnibus videlicet illius speciei, quippe cuius ratione seu collatione quod bonũ appellatur, reuera bonũ est, quia sẽper & omnibus illis benè facit. Atqui venatio

N 2 si bo-

si bona dicitur, nō ratione ferarū (quādo feræ pariter venari cōstet) sed vni⁹ hominis gratia tātū bona vocitatur. Ergo iuxta legitimū theorema peripatheticū hominib⁹ promiscuè singulis collata venacio sēper bona deprahēdetur, & eis omnibus cōducet. Sinautē huic homini cōducat, beneq; faciat, alij verò minimè conferat, & eidem fortassis obsit, sanè tū bona fuerit venatio per accidēs, id est, per aliud ac secūdariò, nō autē primò per se, vel propria natura, quod prorsus idem est. Itaque faciamus in presenti periculum, an omnibus venatio mortalibus cōducat ac sēper. Vt à secunda semel ordiamur particula, cōstet vel eisdē adsertoribus, qui venationē per se bonam adserunt, haud semper cōuenire. Quanquam enim eam in clericis quoque permittunt ac ita per consequens in omnibus, quando de cæteris (modò clericos excipias) nemo prorsus ambigat, quin eis communiat attamen id non nisi salubritatis ergo parcè simul ac rarò clericis eisdem permittitur. Quò fit, vt non per se bona venatio dignoscatur, quandoquidem ei desit altera conditio requisita, scillcet quia non semper est bona. Nam si perpetuo bona foret, omni tempore competeret, nec aliquando posset interdici, quia semper conferat. At quum certo quodā tēpore nō cōferat neque cōueniat, hoc apertè declarat eam minimè bonā propria natura dijudicari, sed alicuius alius interuentu rei, quæ nimirum vt cōferre simul ac benè agere queat, efficit, eiq; suppetias ad id exequendum adfert. Secundam si lubet adoriamur conditionem ab eis vltro quanlibet cōfessam. Omnibus (inquiunt) exceptis duntàxat clericis venatio conceditur: Vnde liquidò deducitur eam iure licitam, & honestam esse. Quid ais? Equidem argumento planè simili licitam, & honestam esse fornicationem vtpote permissam de iure ciuili saltem, omnino conuincam. Quinimò Deus ipse concessit hæbreis libellum repudij, quod alioquin repudium in Euangelio Christus dominus vetuit excepta solùm adulterij causa. Nanque si propter leues alias causas bonum esset propria natura repudium,

vti-

vtique Deus idem illud non vetuisset, etsi prius in testamento veteri non approbauit quidem sed tamen concessit, idque propter duritiem cordis eorum, ne maiora consequerentur incommoda. Neque tamen interea repudiũ fuit malũ ob graues quãlibet causas. quia si natura suapte malũ extitisset repudiũ huiusmodi, nũquã ea optimo Deo fuit concessum: siquidem grauia crimina quæ suapte natura mala sunt, Deus ferat quidem ac fieri permittat vtpote patiens atque (quemadmodum Paulus loquitur) longanimis, sed tamẽ interea nũquã ea cõcedat, quãdo cõcessio cõsẽsũ necessariò locũ trahat. Deus verò malis nunquã patrandis adsentiri queat, permissio verò vel cõtra permittẽtis voluntatẽ aliquãdo cõtingat. Quĩ enim occideris quẽquã aut cõmiseris adulteriũ, ni Deus maximus id permittat? Qui rursus idem Deus vtpote bonitas ipsamet malis vtcunque permissis adsentietur? Atq; ni plus iusto diuagati fortassis videamur.

Idem euidentius ob oculos constituitur.
C A P. IV.

AD id iam redeamus, vnde nostra dudum effluxerat oratio, sol inclinat (ait Poeta satyricus) eundũ est, Orare Deũ ei præstare fidẽ in eum sperare, multoq; magis eundem amare quoniam isthæc per se naturaq; propria vel exclusis omnibus ad vnum adminiculis extrinsecis bona sunt, idcirco in singulis non modo feruntur ac eis permittuntur (quemadmodum delicta) vel conceduntur ad instar eorum quæ videlicet per se nec bona sunt neque mala, sed eiusmodi tanquã per se bona cũ in omnib⁹ promiscuè mortalib⁹ tũ quouis tẽpore cõmẽdãtur mirificeq; pariter cõprobantur. Hinc Ecclesia mater ad imitationẽ optimi Dei seipsã cõponẽs lupanaria publica ni prius cõtingat, æquo animo licet ingemiscẽs ac tristis omnino affert atque permittit. Bohemis cõmunionẽ sub vtraque specie cõcedit, cũ alioquin eã vtpote iam eis

concessam vt non improbat, ita nec laudat: siquidem hæc eis haud libenter, at ob diuitiem cordis eorum concesserit: vt eos lucrifaceret, & ad suaue gremiū alliceret proprium. Vbi deinceps aliquandiu blandè foti pariter ac sensim effecti robustiores in fide discant aliquando cum cæteris vnicam adsumere speciem, ac ita semel intelligant, quā turpe sit discerpere seu diuersas in partes distrahere Christi Domini tunicam inconsutilem in omnibus Ecclesiæ membris, quippe cuius ipse sponsus, & caput est, & easdem planè ceremonias eosdemque ritus exiget, scilicet vt sicut vnus, & idem ipse cum æterno patre simul, & cum spiritu sancto verè creditur, ita nos pariter, & intrinsecus affectu mentis, & interuentu cœremoniarum extrinsecus vna simul ac vera dignoscamur Ecclesia. Sed iam ad diuerticulum redeamus. Venationē haud semper conuenire nec omnibus cōcedi pariter hominib⁹, putà clericis nisi parcè vel salubritatis ergo, iuxta doctorum decisiones Iurisperitorum concluseramus, dein ex logicis præceptionibus methodoque dialectica colligebamus venationem propria natura seu per se bonam minimè censeri, quandoquidem ei desit altera conditio scilicet ad id requisita. Deinceps inquirere cæperamus alteram conditionem, an exceptis clericis duntàxat cæteris, deinde conueniat omnibus, quod mehercle paucis in presenti venit absoluendum. Ante omnia subijcio venationem si non omnem promiscuè saltem ferarū terrestrium nempe leporum, capreolorum, ceruorum, multoque magis aprorum, & vrsorum agnosci difficilē atq; laboriosam. Secūdò velim hoc vltro mihi dari quod Galenus edocuit, nempe laborem protinus vtcunque paruum exercitij cancellos transilire. Tertiò cuperem id absque morosa contentione condonari, quod alioquin æquum est, videlicet motum eundem vni conferre pariter ac in eo confestim exercitium dijudicari, qui labor in alio fuerit, & eidem oberit grauiter, quando pares omnibus minimè vires ad sint. Hisce præmissis thesibus ad litem dirimendā meipsum acciugo. Singulis exercitiū

vti-

vtile visitur, quia vires corporis adauget nedum adseruat simpliciter,& animũ exhilarat,cui dubium? At quod Petro(verbi gratia)cernitur exercitium,id Antonio tanquam imbecilliori labor est. Neque profeceris quidquã dicendo liberum videri vnicuique corpus exercere plus aut minus; quemadmodum, & laborare: nil inquã profeceris, quia qui feram insequitur, & eidem proximè dũ excurrit,adhæret ac suainde spes adsequendæ prędæ iam in foribus (vt ita loquar) cernitur, is profectò non nisi difficulter à cæpto negocio diuelli poterit. Equidem homines imbecillos ad venationem hortari vel hanc eisdẽ concedere cum hac appendice videlicet,veluti lege quadam sancita seu promulgata, ne fines a medicis præscriptos transgrediantur, perinde esse reor, ac si dietam adfectu cuiuspiam poscente permittas eum accumbere libenter oppiparæ mensæ diuersorum generũ onustæ dapibus,idque nimirum hæ lege,vt sibi ipsi temperet. Nec id omnino dissimile fuerit exemplum, si iacere concesseris adolescentem vtpote natura tristem in eodem lectò cum virgine; vel hoc pretextu vt seipsum exhilaret idq; hoc pacto,ne ipsam contãgat. Huc accedit,quòd eiusmodi venatio ferarum vtpote periculosa vel inuitos aliquãdo(quinetiam plures) ad graues omnino labores ob imminens vitæ discrimen subeundos compellit venatores, quod ante annos aliquot Cæsar Maximilianus incõmodo suo non leui fuit expertus, quandoquidem in tibia fuerit vulneratus. Itaq; genus id saltem venationis paulò durius, & vehementius haudquaquam omnibus vtcunque sæcularibus conuenire nec eisdem expedire satis (vt arbitror)probatum superque confidimus. Quò fit,vt altera quoque desit venationi conditio,quam vnũquodque necessario postulat,& exigit,si per se propriaque natura bonum appellari debeat, quando nec omnibus hominibus vtcũque sæcularibus, nec eis nempe quibus cõuenit,quouis tempore conueniat, & expediat.

Vt non per se bonam ita nec propria natura malam censeri venationem, sed indifferentem actionem, id est, neutram diiudicari concludit. Caput V.

POrro venationem suapte natura malam nemo perfrictę frontis (vt aiunt) adeò fuerit, qui hoc innuere nedum exagerare vel adseuerare simpliciter præsumat, quando si non omnibus certè quanplurimis opituletur in tuenda bona valetudine. Quam ob rem à sufficienti partium enumeratione (quod aiunt) argumētando constanter adserimus ac intrepidè pronunciamus venationem suapte natura neque bonam esse neque malam sed ne vtrius generis hoc est indifferentem agnosci, quippe quę vulgata nimis est Theologorum scholasticorum à cunctis eruditis approbata distinctio. Nam operationum eiusmodi quas ipsi vocitant indifferentes, ea natura siue proprietas visitur, vt secundū operantis vsum aut abusum bona pariter ac mala prorsus euadant. In summa finis vnus operantis efficit, vt ex bonæ confestim aut malæ denominentur ac reuera sunt. At prodigus qui tenerè diuitias profundat, nec alium scopum preter vnam temeritatem considerat hic sanè grauiter delinquit lata diuitiarum effusio per se mala non sit imò magis forsitan hallucinatur maiusque flagitium committit ac auarus vtcunque scælestissimus: siquidem prodigus tādem euadat in hominē auarissimū, quia quum deest, quod (vt consueuit) absque vlla ratione profundat, ad rapinam repētè couuertitur, vt profusæ temeritati prospiciat, atq, ita modo suo consulat, quemadmodū de Catilina scriptum reliquit Salustius: quippe quem sui profusum alieni verò cupidū depingit. Item qui pecunias largiter erogat, vt seditiosorū animos alliciat ad homicidia patranda, dubio procul capitis pœna plectendus venit.

Quo-

Quocirca si venatio, larga diuitiarum profusio, dicendi lepos, & alia deinceps id genus innumera propemodum quæ breuitati studens de industria præte reo, per se bona forent, & omnibus promiscuè mortalibus bona forent, & perpetuò siue quouis tempore talia depræhẽderentur Exempli gratia qui Deũ orat, ei fidit in eum sperat, eundem pro virili sua diligit, & obseruat: quicunque talia peragit ne vno quidẽ secluso, quotiens id agit, bene semper agit, scilicet quia tales operationes suapte natura bonæ dignoscuntur, tantum abest, vt aliunde suppetias desiderent. Quam ob rem iura canonica venationem vtpote mortaliũ actionẽ indifferentẽ clericis interdicit, ꝙ minime fortassis auderet si per se bona dignosceretur.

Quòd venatio clericis, vnius ergo salubritatis aut recreationis gratia permittatur isthæc limitio siue fallentia doctornm interpretantium disputatiue corroboratur. Caput VI.

VEnationem vtcunque cæteris precipuè nobilibus, & concessam, & approbatam veluti salutarẽ ac bonæ valetudini tuendæ conferentem iura canonica clericis interdicunt, sicut, & matrimoniũ alioqui cæteris permissum omnibus atque conueniens eisdem prohibetur hanc eandem ob causam, quòd à diuino seruicio clericos auerat atque mirum in modum abstrahat. Cęterum hęc regula siue decretum (inquiunt Doctores quidam non infimi nominis) fallit, quotiens clerici non voluptatis quinimò recreationis aut salubritatis gratia venationem (modicè tamen) exercent, hæc illi. Quapropter examinanda venit iure tantisper isthæc (quemadmodum ipsi loquuntur) fallentia. Nanque decreti siue legis alicuius limitatio neutiquam admitti debet ni protinus ex alio textu decerpatur aut loco legis alius valida quæpiam solidaq; ratio nos ad eam limitationem

vel

vel ad casum aliquem excipiendum detrudat (sic fari liceat) atque conuincat. Legem hi nullam nunc (quod sciam) allegant quæ limitationem seu fallentiam hanc adprobet. Rationem ab eis in mediũ adductam expendamus. Quod illi perducunt, perinde est, ac si sic argumẽtaremur. Sublata causa quæ parturit aliquid, effectum ablatum iri continuò necessum est. At ratio quæ legislatorem impullit ad inhibendam clericis venationẽ, auersio vel distractio fuit à diuino seruitio, propter quam rationem interdictum quoque cernitur eidem matrimonium, ergo si non impediatur cultus diuinus venatio poterit admitti. Sed nos abundè vel vno sensu iudice perspicimus ex rara simul ac parca venatione diuinum haud impediri cultum, sicuti nec ob alia passim exercitia moderata, quę recreationis aut salubritatis vnius ergo fiunt, ergo iura canonica quotiescunque vetant clericis venationem, nullatenus intelligere queant omnem in genere venationem sed immoderatam solummodò, quæ voluptatis ergo, non autem salubritatis gratia transigitur. Hic idem legis intellectus hoc pacto confirmatur. Legem omnem dubitatio præcedit, & ad extinguendam vel è medio tollendam dubitationem lex fertur, quando iurisconsulti legem de casu dubitabili solùm ferri seu promulgari prædicent. Atqui de venatione rara, modica, dein quæ salubritatis vnius gratia fiat, nemo sanæ mentis vnquam in dubium vocare potuit, in ea diuinũ cultum obscuret ant impediat, sicuti nec de lusu paruę pilæ vel aliorum id genus quamplurium, ergo solam immoderatam quæ voluptatis gratia peragitur, legẽ tulisse summus Pontifex optimo iure præsumitur: siquidem id non dubium esse poterat ob allegatam nuperrimè rationem, nunquid ea clerico liceret aut non liceret, quando prima statim fronte vel clericis eadem pariter congruere videatur, quòd sicut eis itinera longa non interdicuntur nec lusus pilæ creber idemque multus, quemadmodũ & alia id genus multa sic venatio quanlibet lõga multotiensque peracta plurium exemplo similium interdici

non

non debuit. Ecce quàm dubitabilis fuerat hic casus. Vnde meritò legem poscebat promulgatam, quę litem hanc dirimeret precipue quam eo tempore fortassis ante legem latum siue sancitum decretum animaduerterent Episcopi iacturam pati diuinum in Ecclesijs cultum, neo sacerdotes ob id horis interesse canonicis. Quò fit, vt iure merito doctores hi iurisperiti limitationem huiusce decreti siue legis pro ferre simul & exponere maluerint, quàm fateri vel admittere, quòd iure canonica venationem profligare vel à cœtu clericorum exulare iubeant, eam veluti seruitio diuino noxiam atque pestiferam. Validæ sunt huiusmodi rationes, & euentus rei declarat hoc idem, quãdo vnis prudentibus adriserint, & eosdem hactenus in hac opinione detinuerint.

Eadem limitatio siue fallentia solidis conuellitur infirmaturque rationibus.
Caput VII.

EQuidem rerum diligentem haud pertesus aliquo tempore disquisitionem quippe quam veluti morosam nonnulli sic auersatur (imò plerique) vel fastidiunt, vt eos insuper qui sedulò rimantur perritiores rerum aditus, odio plus quàm Vatiniano (quod in adagio passim effertur) sæpenumerò prosequantur: rerum inquam difficilium minimè laborem pertesus extricandarũ, hoc in negocio pariter pudabo, scilicet vt exactum huiusce rei sensum aperiam aut saltem ansam inquirendi cęteris paulò diligentius exhibeam, atque ita nimirum pro qualicunque virili mea genus humanum iuuisse videbor. Inprimis pro more nostro thesim hanc præmittimus ab omnibus confessam vtpote proxime deductam vel è visceribus naturę parentis erutam potius, nempe quidquid voluptatem adfert, idipsum ad sui complexum allicere mortales multoque magis aniouantia rationis expertia.

Qua-

quapropter eiusmodi quò maiorem animo vel sensibus delectationem inuehunt, eo facilius homines pertrahunt. Secunda fuerit hypothesis, nempe venationem præ cæteris (si venerem vnam excipias) omnibus magnā adferre voluptatem, & ingens excitare sui desiderium. Hisce iactis pro more nostro fundamētis, & exædificādum, & ad vlteriora pergendum est. Quæcunque sic adficiunt homines, vt eis vim inferant ac penè cogant, ea prudentes legislatores nō a quouis hominū genere, quādoquidem id minimè conueniat neq; pariter expediat, sed ab ijs tantumodò qui vitiæ perfectioris fecere delectum, arcent atque prorsus eliminant. Exempli gratia, matrimonium alioquin bonum vtpote sacramentum etsi procreādæ sobolis gratia conuenit, imò necessarium est, nihilominus ex re nō fuerit ijs, qui cultui Dei seipsos deuouerunt atque modo quodam emanciparunt: scilicet quia venur mulierumue conuersatio, mortales non voluptate solùm adficit simpliciter, imò cecutire facit ac penè quosdā imbecilles animo dementat. Adeo pia mater Ecclesia fortasis matrimonium clericis permitteret, si non abuterentur hac voluptate simul ac sobriè cū uxoribus vitam transigerent. Quinimò fornicationem simplicem forsitan Deus admisisset, ni voluptate venerea preuidisset homines inebriari vel insanire, quādo dicat Apostolus: Nesciebam concupiscentiam esse peccatū, nisi lex diceret: nō cōcupisces. Atqui tollas è medio secludasne tātisper venerē; nihil præterea fortasis reperias, quod perinde mortales adficiat voluptate quodq, sensum ita delectet ac vna venatio præcipuè ferarum terrestrium. Adeò plerique venatores, id est, qui se totos, & (vt ita dixerim) integros penè toto vitæ curriculo venationi deuouent, vtplurimū insaniunt ac planè desipiūt, quādo nil aliud animo concipiant, nil aliud meditentur, nil aliud agant, quàm vt nouas inexcogitatas pro virili sua feris decipulas cōminiscantur, & iandudum imaginatus parent, in summa nil nisi ferinum ac belluinum cogitant, & pariunt. Quocirca prudētissimi summi Pontifices ap-

positè cōsultoque clericos abdicauerūt ab omni venatione simpliciter, tātū abest, vt eandē partem vtcūq; moderatāq; salubritatis ergo cōcesserint, quādoquidē alia non desint exercitia, quibus bona valetudo tueri pariter ac in officio cōtineri, vel ea tātisper collapsa sarciri potest, scilicet à quibus honestis exercitationibus minimè tantum impendet auersionis à diuino cultu discrimē. An clerici recreationis gratia vel salubritatis ergo non ambulare pulchris in hortis & in amœnis alicubi viridarijs equitare vel pila colludere possunt? Nūquid inde satis nō capiunt voluptatis? At maiorē (inquies protinus) venatio confert voluptatē. Huc adducere volebam aduersarium. Attende paulisper. Sicut voluptatē inuehit sensibus maiorē, ita maius animæ periculū obtrudit. Adeo propter hanc vnā rationē est, vitanda, quòd plus iusto plusue quā conueniat, & expediat non obsequatur quidē simpliciter sēsibus aut obtēperet, seu tātisper indulgeat, quod æquo ferendū esset animo dubio procul, at eisdem apertè lenocinetur idq; paulò minus ac ipsa venus. Audi nouam argumētationem. Sicuti venationis excessus à diuino cultu clericos auertit nimirum immoderatus vsus, ita ludi pilæ vel equitationis aut alius exercitij cum suis indiscriminatim abusus hoc mali prorsus efficit. Itaque cur iura canonica ludum pilæ vel equitationem aut alia id genus innumera propemodum haud inhibent? Nunquid eorū similiter abusus à seruitio diuino non distrahit clericos? Atqui nullam hìc aliam (iudicio meo) rationem comminisci possis, quàm quòd ob delectationem longè maiorē eosdem multò magis distrahat, & impediat, quippe quæ voluptas maior impedit vetatue, quò minus homines vtpote fragiles ac lubrici sibiipsis temperare queant, quod alioquin in cæteris exercitijs vtpote non perinde mortales inebriantibus, minore negocio longeque cōmodius exequi possunt. Ergo præ cęteris exercitijs cur vna venatio seclusa quanuis limitatione seu (quemadmodum ipsi pro more suo loquentur) fallentia clericis iure fuerit interdicta satis (vt opinor) supra dictum sit.

Si

Si clericis aliquando permittenda foret venatio, qua lege quibusque conditionibus admitti verisimiliter vel concedi possit, & aliquo saltem iure debeat, explicatur. Cap. VIII.

EIus est derogare legi, cuius interest eadem condere. Princeps itaque solus aut eiusdem vices gerens iure similem authoritatem vltro sibi vendicare potest. Proinde qui summi Pontificis vices gerunt, id est, Episcopi tāquam superintendentes, & ad partem oneris vocati legitime subeundam iuri canonico videlicet scripto tantisper derogare vel(vt aptius eloquar)moderare possunt. Nanque lex viua nempe iudex prudens ac probus vtpote principem referens, ex æquitate quanplura possit moderare, quæ statim ac prima fronte cum iure ciuili scripto videbuntur pugnare quum alioquin eidem consentiant huiusmodi, nedum aduersentur. Adeo lex mortua siue scriptum ius (quod idem est) particularibus quibusque pro varietate temporum casibus prout conuenit, precisè, vel examussim prospicere nequit. Adeo non iniuria diuinus Plato scriptis prodidit, absque lege viua mortuā legem officere potius quàm prodesse, quod euentus rerū quotidianus palam ostendit At quorsum hæc. Non abs re mediusfidius interiecta putentur huiusmodi. Ponam casum in terminis (vt iurisconsulti loquuntur) terminantibus. Simplex clericus aut sacerdos Ecclesiæ catredrali vel parochiali seruiēs morbo correptus aliquandiu tandem incipit conualescere, delicijs & voluptatibus indiget, & ei iure quodam debentur vel hoc supposito, quòd ipse nec procare nec amet. Adstantes hoc casu vel amici medicorum adhibito consilio. Vicarium aut Episcopum adeant, & venandi licentiam impetrent, quippe cuius vtpote viua legis interest venandi præscribere certum

tum ad hibeto medicorum consensu terminum. Quod in hoc casu protulimus, idem planè de cæteris intelligi velim. Sicut enim eundem, rei personam, & actoris sustinere non decet, ita reus, vnaque iudex esse nemo queat. Ergo clericus vt primùm ingreditur lucum ac feras insequitur vt eas capiat, continuò reus efficitur, quia legi latæ saltem in genere facit iniuriam, quando simpliciter sancitam sit, intradictam esse clerico venationem. Vnde laicus qui clericum persequentem feras intuetur, malè statim præsumit. Subijciã exemplum clarius Ecclesiastico decreto cautum est (imo lege diuina quanuis non scripta sancitum vnaque promulgatum) ne quis in quadragesima carnes edere præsumat. Interea Pompeum (verbi gratia) morbis (vt sæpenumerò contingit) obnoxius esum carnium postulat, & hanc indigentiam non accersito medico vel posthabito per incuriam eiusdem consilio per seipsum, & agnoscit, & experitur. Hoc casu dic sodes. An huic licere forsitan arbitraris iudicio medici vel confessoris præterito vel de industria seposito carnes vorare? Si dixeris adhibendum esse medici iudicium, & accersendam authoritatem ecclesiasticam, vt euitetur scandalum imbecillium, & infirmorum, qui numero solidos longè superat, respondebo vicissim in clericorum venatione prorsus eandem militare rationem. At vrgebis iterum, omnino carnes inhiberi benè sanis omnibus in quadragesima, venationẽ verò clericis non item, modò semel eam fallentiam siue limitationem admittas. Atqui limitationem hic quoque mihi liceat eandem comminisci, quum vtrobique (quod nuperrimè dictum est) eadem ratio militet atque locum habeat: mihi liceat inquam de carnibus edẽdis in quadragesima legem glossare quòd ij protinus ab ea regula veniant excipiendi vel excludendi scilicet qui suspitantur se dè proximò lapsaros in ægritudines. Nam qua ratione non reo vel ei que rei personam sustinet iudicium haud permittitur, quando iudex in propria causa nemo feratur siue is actor fuerit seu reus, ita clericus agens venatorem

quum

quum agat in genere saltem contra regulam, & in eum præsumptio locum habeat, superiorem nempe medicum ac prælatum requirit censorem, qui ferat sententiam, an venatione clericus indigeat pro reparandis vel conseruandis viribus, prætereà qui num parca vel immoderata sit ea venatio definiat. Paucū etenim & multum correlatiua sunt. Proinde quod vni paucum est, alteri sæpenumero nimium fuerit. Vt enim pueris pira vel fructus edentibus, etiam si nimium & adfatim ingerant, vt plurimùm ab eis pauca dijudicantur: vt heluonibus infinita deglutientibus (vt ita dixerim) pauca crebrò seipsos: deglutiuisse contendunt, ita nimirum clericis accidere possit (nec id foret supra naturā aut miraculum) vt inebriati voluptate venationis eam perpetuò parvam existiment. In propria causa (sicuti vulgò fertur, verè tamen) vt pugno (quod aiunt) plura perstringamus, hanc regulæ seu decreti canonici simpliciter alioqui probati limitationē siue fallentiam admittimus quidem, at cum hac appendice videlicet, vt venatione propter salubritatem reparandam vel ad inhibendum de proximo futurum morbum clericus indigeat; adhæc vt medici iudicium accersatur, & Episcopi vel alius cui delegauerit. Episcopus hanc prouinciam, interuenit authoritas idque non aliter ac in esu tempore quadragesimæ carnium concedendo passim obseruari consueuit, quippe quas appendices (quod sciam) nullus eorum qui fallentiam hanc) vt ipsi loquuntur) innexerunt animaduertit aut eius certè non meminit, quam nouisse quantum prætereat quantique momenti sit prudentes ferant sententiam.

Qui

Qui recreatio distinguatur à voluptate? Caput IX.

SAlubritatis gratia clericis venationem esse per mittendam non absolutè sed cum enumeratis appendicibus, proximo capite docuimus. Impręsentiarum autem id perpendendum est, an id recreationis ergo ueniat eisdem concedendum. Nanque doctores ijdem ita definiunt, nempe regulam siue decretum id canonicum fallere seu limitari, quotiens clerici recreationis causa uel salubritatis non autem uoluptatis gratia uenationem exercent. Porro non aduertunt, eadem esse recreationem atque uoluptatem. Qui enim animum recreat, idest, resumit uires aut (ita fieri concedatur) refocillat, is profectò non nisi uoluptatis hoc interuentu consequitur. Vnde nimirum recreare mentem nil planè fuerit aliud quàm eiusdem uires ob immoderatum laborem forte collapsas, adminiculo uoluptatis unius reparare tantisper aut fouere, iuxta illud: arcum si nunquam cesses tendere mollis erit. Adeò si quis uocabuli consulat ethimologiam, quæ sæpenumerò nobis minimè contennendas adfert suppetias ad rei ueritatem medullitus eruendam aut indagandam: si uocis inquam ethimologiam consideres, recreare penitus idem fuerit, quod iterum uel de nouo creare, siquidem collapsas paulò uires reparans reminiscere quodammodo vel ad uitam denuo reuocari uideatur. Hinc tristitia seu mæstitia perculsi grauiter sibi ipsis opprimi vel suffocari uidentur, nempe spiritibus intro præcipitanter irruentibus. At si voluptatis opera vel adminiculo redeant ad exteriores partes ijdem spiritus ac ita cor utpote grauatum prius mole quadam, subinde dilatari uidetur, quando sic adfecti palàm efferre consueuerint sibi cor dilatari, quod ante grauatum

ri, velut melæ quadam sentiebanti. Ad eundem modum esurie tabefacti vel consumpti dein ciborum suffragijs restituti vulgò dicuntur recreari, perinde ac si reuiniscerent atque denuo crementur. Neque enim alimenta robur imminutum reparando recrearent ni voluptas intercederet. Adeo si non est ipsa voluptas recreatio saltē absque voluptate contingit nunquam, quandoquidē exhilaretur necessario (quod iocunditate seclusa nequit accidere) quisquis recreatur. Itaq; doctores pugnantia credantur enuntiare seu contradictoria, quando dicant venationem admitti recreationis gratia non autē voluptatis ergo. Verū hos hic tueri nobis videtur operæpreciū, & ad rē facit huiusce modi dissolutio, ne quis arbitretur forrassis quęsitum hoc esse (quod aiunt) de lana caprina; scilicet esse nihili quæstionem. Vt enim donemus, omnē recreationem trahere secum necessario velut accidens inseparabile voluptatem, ita mehercle non inficiamur enuntiationes hasce mutuo mentique reciprocare. Nam omnis voluptas haud perpetuò cum recreatione cōiungitur. Quinimò voluptas cum animi deliquio cōtingere potest, quo casu fatiscunt tantum abest, vt recreentur homines. Euidens huiusce rei testimonium perhibuit ea mulier in clade seu pugna memorabili cannarū Tito Liuio relatore, scilicet in quā mulieris meminit cui venit obuiam filius, quippe quem fuisse peremptum intellexerat, quum eundem in viuis adhuc superstitem idque præter omnem spem, ilico tanta voluptate fuit perfusa mulier, vt natum complexatam simul animam exhalarauerit, vitamque cum morte protinus commutauerit, scilicet spiritibus confertim ad extra, corde velut arce penitus deserta precipitanter erumpentibus. Idē in actus venereo quam impotenter amarent nonnullis accidisse ferunt. Plane similem de puero Gal. refert hystoriam, qui quum ex armonico pulsu tubæ, vel cythare (musicam enim erat instrumentum) iocunditate nimia perfunderetur, labascere vires cæperunt: quòd quidem vbi Gal. animaduertisset ex pulsu, tibicini

cini vel cytharedo confeſtim indicauit, vt harmoniæ muſiciue cõcentus loco diſſonantiam molirentur, id eſt, ſtrepitum concentui muſici penitus aduerſantem, quo pacto puer cœpit vires reaſſumere pariter ac recreari. Recreationem itaque paſſim ita vocatum ab omnibus minimè voluptatem agnoſci quanuis eam perpetuò ſortiatur comitem veluti fidum quendam Achatem, ex ſuperioribus liquere arbitror.

Non decere voluptatem eſſe finem alicuius actionis, ac ita venationem vnius gratia voluptatis admitti non debere.

CAP. X.

REdeamus iam ad diuerticulum. Vt naturam æmulemur parentem eoque magis eius authorẽ nempe maximum Deum, qui nihil vnquam attentant aut moliuntur in caſſum in omnibus actionibus non apparens aliquod bonum quod nobis clam imponat, vt plerunque fieri ſolet, at bonum finem proponere tenemur pro viribus, & vt eum adſequamur, omnia ſeduló paranda veniunt ac poſite media. Proinde quanquam natura voluptatem cupimus, ſeriò perpendendum an voluptas per ſe bona ſit. Nam ea ſi fuerit huiuſmodi, dubio procul per ſe primarioq; venit appetenda. Sin autẽ per aliud, ſecundariò, ſiue per accidens bona diiudicetur, ſanè tum non ipſa quin potius id cuius gratia voluptas bona creditur, & appetendum (ſi ſapimus) & inquirendum. Atqui delectatio ſeu iocunditas quemadmodum eſt accidens quod à felicitate diuelli nequit, & inſeparabile ſicut in libro de amore, & felicitate monſtrauimus, ita proprium eiuſdem felicitatis minimè dignoſcitur, quandoquidem alijs inſit neceſſariò, quæ felicitati ſi non aduerſantur, certè pergentes ad eam

citato cursu remorantur, & ferè semper impediunt. Nanque sensus ad vnum omnes cùm exteriores tùm interiores propriam sortiuntur delectationem, munia quotiens obeunt propria, tantum abest, vt mens vna gestiat, & exhilaretur in suis operibus. At ipsa delectatio non est à natura finis intentus, imò propter aliud accersitur. Exempli gratia, qui vescitur, edendo delectatur, & ex industria sagax natura iocunditatem escis indidit, vt earum illecebris animantia cùm libentius ederent, tùm concoctrix virtus esculenta siue poculenta complecteretur auidius, ac ita demum exactius eadem conficeret, & adsimilaret sensim, & in propriam tandem immutaret conuerteretque substantiam. Idem in venere perspicuum euadit. Cur etenim natura tantam actui venereo voluptatem indidit? Respondit appositè Gal., vt animantia vel si sponte sua recusent agere, quod secundum naturam tenentur, ad acta voluptatis illecebris ad generationem rapiantur. Adeo natura parens hoc in negocio malam hominum potius verebatur voluntatem ac animantium rationis expertium segnitiem: siquidem bruta rarò, vel nunquam fortassis hallucinentur, nec à recto tramite deflectant, imò naturam perpetuò sequuntur ducem, & ab ea sempur aguntur ita, vt nunquam errorem committant, si ritè prout conuenit, mediteris. Vnus homo suæ prærogatiua libere voluntatis cùm naturæ parenti tùm optimo Deo naturæ parentis eiusdem authori non audacter sed obstinatè seu temerè seipsum opponit, oblectatur indesinenter, atque cōtra libertatis authorem donatoremque liberalissimum ad instar muli calcitrat neque tamen interea se laterem lanare (quod in adagio passim effertur) animaduertit, quandoquidem sic agendo spuentes in cælum infertur, qui videlicet hoc ipso nil aliud efficiunt, & adsequuntur preter id quod illud idem sputum in eos recidat, & eosdem coinquinet. Ergo voluptas per se primoque nō est appetēda. Quam ob rē cle-

rici

rici quotiens venari cupiunt si voluptatem vnam hoc casu sibi ipsis proponant veluti scopum, & huic desiderio recreationis nomenclaturam pretexant vt rem hoc casu minimè decentem alienis vestibus contegant atque ità laruam constituant, mehercle perperam agunt. Quocirca Prælatum expedit oculatum esse simul ac inquirere, num recreatione clericus egeat. Nam si defessus oratione vel alijs ecclesiæ seruitijs langueat, indulgere fortassis conuenit, sin autem animi pariter,& corporis viribus constet,& mortificatione(sicuti spirituales loquuntur) potius indigeat, vt spiritui carne aduersantem seu temerè tumultuantem, & obstrepentem tantisper,& compescat, & coerceat, tū venationis loco graue negocium aliquod iniungat atque ita vesaniam cohibeat. In Germania vulgus pulcherrimum habet edagiū, nempe mactandos esse pulices insipienti fustibus nō autem vnguibus, quod huic instituto nostro vel adfabrè venit accommodandum. Nam clerici multotiens pre nimia libertate vel ocio lasciuientes non voluptate quæ fessis debetur, sed laboribus restituendi sibi ipsis veniāt potius quandoquidem eo casu reuera constituti sint extra seipsos, neque sciant, quid eis prosit aut obsit.

Obiectum difficile proponitur, & eliditur.
Caput XI.

IOcunditatem seu delectationem per se primoque non appetendam esse nec inquirendam, superiora palam ostendunt, quæ decisio tametsi solidis innititur fundamentis, attamen hæc adsertio cum aliquot patrū hystorijs pugnare videatur Ioānes Cassianus(quippe quē vnum vna cum Ioāne Gertore mecum in cubiculo tanquam thesaurum adseruo) in collationibus patrum cuiusdam hæremitæ meminit, ad quem quum certo die confluxissent hæremitæ quidam alij varijs ex locis,

eum qui primò suas ingrediebatur causas benignè prout mutua poscebat charitas, excepit. Et quoniam æstus erat ingens, lauit ei pedes, parauit epulas, vna cum eo paulò post accubuit mensæ. Deinde quanuis non ita multò ante prandium sumpsisset, cum eo tamen vescebatur. Post vnam aut alteram horulam hospes hæremita nouus appulit, ei paria confestim attulit subsidia. Cum eo similiter manducauit. Dein cum alio superueniente quum tertiò forsitan manducasset, is qui prius accesserat, vt qui conspexisset isthæc omnia, non solùm admiratus est, verumetiam turpiter in scandalum impegit. Id vbi prius ille pater qui seruiebat, & eosdem hospicio susceperat, animaduertisset, in hæc verba thesauro quouis pręciosiora prorupit. Ieiunium semper erit mecum, vos autem nō semper. Scilicet ad illud diuinum Christi Domini seruatoris oraculum alludens. Pauperes habebitis vobiscum semper, me autem non semper. Nanque finis hic minimè fuerant æscarum illecebræ, quæ fortassis nil aliud fuerant, quàm vna lenticula vel aliud simile quidpiam. Oppiparam mentique hic erant obsonia. Splendidi nobilium apparatus hic aberant. Hic nulla coquorum lenocinia, quæ vel inuitos modo quodam ad edendum impellant, nedum simpliciter alliciant. Veruntamen hæremita bonus vtcunque pastus antea vel nihil amplius appetens nihilosecius nescitur, idque non semel tantummodò quinimò bis aut ter. Quid aliud obsecro pium hæremitam huc pertraxit, quàm vna charitas? Quid aliud ea suauia vel melle quouis dulciora verba sonant. Ieiunium semper erit mecum vos autem non sēper? quid aliud inquam spirat hæc honesta vox ac blanda, quàm viuam vnius amoris vim imò scintillam ex intimis præcordiorum penetralibus erumpentem? Quam ob rē fieri potest, vt quis plus iusto potet aut edat, neque tamen aberret a lege dei finesque recti tramitis haud egrediatur: quinimò fortassis arctius intra legis diuinæ cancellos huiusmodi vir

seipsum

ſeipſum cõtineat,modo tamen exiguus nec effatu dignus comperiatur exceſſus. Verbi gratia, pius ac ſanæ mentis vnaque pariter eruditus vir incidit in homines cõtagio quidē hæreſis correptos, ſed tamen interea non omnino perditos atq; deploratos,quod in Germania ſingulis pene diebus experiamur ac ſępenumerò cõtingit. Hi te vera nunquam faciles tibi prębebũt aures,ni comē te prę-ſtiteris niq; pro more patria propinaueris ſaltē parcè ſimul ac ipsũ inuitaueris;ſiquidem id inuexerit inueterata multis iam luſtris imò ferè ſæculis vna cõſuetudo,qui quidē habitus interiecta temporis longa ſerie vel interſcapedine propemodũ in aliã tranſiuit iã euaſitq;naturã. Itaq; conuenit,& amor præcipuè Chriſtianus id exigit, imo ſuo iure quodam à nobis extorquet, tibi ipſi vt obſiſ parũper,quò lucri quidpiã Chriſto Domino facias, quãdo ſic ita ſtat hic commune poſtulatum illud vbiq; decãtatũ,à ſeipſo sẽper amorē ſiue charitatem exordiri,quoniã vbi de noſtri læſione corporis agitur, oppetere mortē tenemur ſi,re ita poſcat,& id occaſio poſtulet, vt animam proximi redimamus,& eandem è ſathanæ compedibus iugiter eximamus pariter ac à pænis pro virili noſtra vindicemus ęternis, idq; noſtri ſeruatoris exemplo, qui ſeipſum vltro pro nobis velut ouem obtulit mactandam. Quam ob rem edere vel potare plus aliquantulum ac natura poſcat, quotiens huiuſce tranſgreſſionis intētio, ſeu finis haud eſt vna voluptas (imo cum mærore multotiens id peragitur) ſed amor,ita non eſt delictum, vt planè meritum cenſeatur.

Locus paginæ ſacræ difficilis vbi Petrus à Paulo redarguitur,obiter explicatur. Cap.XII.

INde meo ſaltem iudicio colligere licet Petrum Apoſtolorum Principem à Paulo redargutam quòd iudaicaret haudquaquã deliquiſſe:ſiquidē is veriſimiliter(id etenim ratio planè dictat)amore iugiter accēſus erga p-

ximum vt adcommodatius, & apposité magis eum Christo lucrifaceret, haud reuera iudeizauit, sed vltro se talem effinxit, scilicet, vt hac extrinseca palliatur tunica meteret, & in area domini grana colligeret. Nam si primo statim cõgressu vt primùm accubuit mensæ, cum eis agere detrectasset, quę illi faciebant, si non abstinuisset à suffocatis, vtique verisimiliter ab eo cauissent, nec vllum cum eo fortassis habere voluissent commercium, atq; ita nullam ea die licuisset adgregare messem. At sicut obsequio parãtur amici iuxta illud: obsequiũ amicos, veritas odiũ parit, dein illi postmodũ indulgent facilius, quibus antea fuerim⁹ obsequuti. Veritas etenim ut quę nõ suapte natura sed malè dispositis (sunt autẽ pleriq; perperã adfecti) parturiat odium, quanuis iniustè pręrerq; rationẽ omnẽ: veritus inquã nõ adulterãda, sed tamẽ interea venit occultanda vel supprimenda tantisper, & expectãda prudẽter est occasio, qua veritas eadẽ ꝓmulgata suas cõmodè uires exerere queat, ne cõtra superioris inferiorisq; naturæ legẽ atq; decretũ temerè vel incassũ aliquid attentemus aut moliamur. At inquies. Non sunt faciẽda mala (quod passim efferri cõsueuit, vnaq; verissimũ est, & christianæ pariter doctrinę cõsẽtaneũ) vt bona deinceps inde proueniant. Atqui regula si veritatẽ habere debet, ita venit intelligenda, quòd mala nequaquã cõmittẽda sint, quæ p se mala sũt, vel si decuplo maiora forsitã inde pluraq; bona coniecteris prouẽtura. Verũ enimuerò suffocata semel atq; iterũ euitare malũ p se neutiquã fuerit. Quò fit, vt ob aliquẽ bonũ finẽ id agere liceat, modò videlicet id eo tẽpore nõ peragatur, quo diuina vel Ecclesiastica lex id interdicit, & agendum esse vetat. Verbi gratia. Cautum est ecclesiastica pariter ac diuina lege (quidquid excreent aut expuant, noui nostrę tempestatis euangelici verius quam dicant) ne quis in quadragesima carnibus vescatur. Vnde nimirum hoc prætextu, quòd animam hæretici Christo lucrifacere cupiam, ob id mihi nõ liceat in quadragesima vesci carnibus; quò facilius illi mihi prębeat aures, scilicet quoniã Deo vel Ecclesiæ
non

non parere nõ per accidens, quinimò per se propriaque natura malum est. At quotiens eadem lex diuina cęremonias antiquæ legis interdicens, vt pote mer. s Christi tunc temporis venturi figuras, abstinendum esse vetat à suffocatis hoc veluti peccatum eis tãtum imputat, & vitio vertit, qui suffocatas escas deuitant, quoniam id contra Christi D. legem latam ad salutem pertinere putãt ac ita sanguinem eius effusum pro nobis irritum efficiunt atque superuacaneum. Adeo deuitare simpliciter suffocata neutiquã suapte natura fuerit, malũ, quinimò per accidens, id est, occasione vel interuentu rei cuiuspiã alius quæ videlicet vt id alioquin indifferens natura suapte (quemadmodũ scholastici loquuntur) malũ euadat, quippe cuius malitiæ culpa non in opus operatũ (vt scholasticè rursus dixerim) sed in vnum operantis abusum haud dubie venit referenda pariter ac reijcienda. Quam ob rem deliquisse Petrum aut læsisse diuinam Maiestatem eo casu, contra rationem exercitatam ita videtur, vt eundem insuper promeruisse crediderim: siquidem in operibus neutris vel (vt scholastici loquuntur) indifferentibus omnino spectandus operantis veniat vsus aut abusus, hoc est, perpendenda venit operantis eiusdem intentio finisque, scilicet in quem isthęc operatio velut in scopum dirigitur, nempe si debeat opus eiusmodi bonum aut malum diiudicari, propterea quòd suapte natura nec malum sit neque bonum. *Præterea* si Christus Dominus quum à resurrectione discipulis euntibus in Castellum Emaus adparuisset, ire se longius effinxit, (salutarem impostIuram) cur Petro similiter non mentiri quidem quod semper delictum est, ac ita per consequens perpetuò deuitandum, etsi Ioanni Cassiano quanlibet sancto viro cõtraria placuit in collationibus patrum opinio: cur inquam Petro seipsũ extrinsecis aliquot indifferẽtibus ita nuncupatis operibus effingere se Iudeũ simul ac eorũ ceremonijs antiquæ legis addictũ, vel christianos de industria

ſtria diſſimulare mores haud licuit. Neq; Paul⁹ ob id itērea Petrū redarguēdo cōmiſit erratū quinimo fuit opus excellens atq; meritorium ſi quis intentione repræhendentis æquo animo metiatur. Animum vtrinque perpēdas æqua lance, ſi lubet. Amor erga proximum meo Paſtorem gregis vniuerſalem adegit Petrum, vt Iudaizare ſe finſerit, quum alioqui nihil minus foret quam Iudeus, & quod ore fateri non decebat, nec abſque diuinę maieſtatis læſione poterat, vafrè factis extrinſecis callidèque diſſimulauit. Contra Paulus eodem amoris æſtu percitus quod ex apparentibus colligebat meritoque ſuſpicabatur, idipſum chriſtianus amor in Pauli viſceribus æſtuans obiecit Petro, ſimul, & obiurgauit. O mirabile duellum amoris. Alij quicunque deſcendunt in arenam congreſſuri mutuo pariter ac certaturi duorum alterum iniuſtam fouere cauſam omnino neceſſum eſt, quando contingere nequeat, vt extrema duo ſibi inuicem conſentiant. Qui enim certabunt mutuoque dimicabunt, ſi prorſus idem ſentint? Num mutuus vtrinque conſenſus diſſidium pariet. (In vno tantùm amore reperias iſthæc prodigia ſeu naturæ miracula. Petrus hic, & Paulus apertè diſſentiunt. Veruntamen vterque benè ſentit. Vterque prout conuenit, operatur, vterque magnam ab optimo Deo promeretur, atque conſequitur mercedem. Quocirca nec fictè Petrus à Paulo repræhenditur, quemadmodum Diuus exiſtimat Hieronymus, neque Petrus idem vtcunque redargutus à Paulo delinquit aliquodue committit erratum, ſicut opinatur fortè Diuus Auguſtinus de ſimulata repræhenſione Pauli Hironymum laceſſens. Denique Paulus obiurgans Apoſtolorum verticem culpari nequit. Ergo diſſentit alter ab altero, manus (vt aiunt) vterque mutuò cōſerit, durum & atrox vtrinque prælium committitur. Interea neuter ſuccumbit, neuter labitur, vterque ſtat, vterque gloriam adipiſcitur, vterque mercedem promeretur (vt ſacræ paginæ verbis vtar ſemel) immarceſcibilem. O labyrinthum amoris admirabilem. Hic ni meipſum de-

in-

industria continerem, ni mihi ipsi vim inferrem, certò scio (nostra nimis excresceret lateque nimis in immensum diuagaretur oratio.

Num Princeps venationem subditis inhibere possit, aliorum opinio proponitur. *Caput XIII.*

VBi de venatione clericis interdicenda disquisiuimus, quam cæteris concedi precipuè nobilibus vna consuetudo præ cæteris palàm ostendit, proximum erat, vt huic quæsitó connexam dubitationem aliam excuteremus, ni rerum aliarum occasio difficilium impedimento nobis fuisset alioque nostrum iter diuertisset. Ea quæstio sic habet. Num Princeps venationem subditis inhibere vel interdicere queat. Iurisconsulti sanè Doctores aiunt non posse venationem à Principe prohiberi subditis. Huiusce decisionis Decius rationem attulit inquiens. Venatio non pertinet ad ius ciuile quinimò censetur esse iuris gentium. Quò fit vt minimè comprehendatur in cathalago iurium Regalium atque ita Principi minimè competat, nec ab eo queat interdici. Posteriores adijciunt hanc appendicē seu (quemadmodum ipsi loquuntur) fallentiam siue limitationem, nempe Principem ex iusta quapiam causa subditis aliquando venationem interdicere posse: putà si mercatores, artifices, agricolæ, cæterique id genus ob excessum venandi, seu præ nimia venandi opera, mercaturam, agriculturam, artificiumque proprium derelinquerent. Adhac si propter nimiam venandi licentiam imò lasciuiam agrorum (vt sæpe fit) intercederet populatio. Sanè tum Princeps nō modò potest de iure verum etiam eandem inhibere tenetur, quoniam agitur de bono publico, quippe cui præ cæteris consultum iri seu prospectum oportuit. Veruntamen posteriores ijdem qui fallentiam, siue limitationem hanc inuexere, priorem illam

à Decio citatam nuperrimè decisionem admittũt, nempe quod ea, quæ iurisgẽtium esse creduntur, legitimè vel à summo Principe nequeant impediri. Equidem sicuti probo libenter posteriorum illud adiunctum, ita mehercle suppositum Decij quantumuis cęteris approbatũ atq; receptum omnibus, nec possum affirmare nec eidẽ assẽtiri. Quapropter trutina (quod aiunt) id paulò diligentiori venit expendendum, & acrius examinandum. Id enim placitum ab alio priori ducere videatur originem, nempe quidquid ad ius naturæ spectat, id ipsam ab hominibus immutari non posse, neque decere. Nam vbi priorem illam enuntiationem à qua posterior isthæc effluxit, exactè ventilauerimus, & excusserimus, tum alia deinceps nota clarius euadet. Sicuti ius diuinum nec immutari nec moderamen recipere conuenit a iure ciuili, sic ius naturale, quod ita probatur. Moderare seu limitare vel immutare præsupponit maiorem immutantis, moderantis, aut limitantis authoritatem, & eiusdem imperium. At sicuti natura non habet in Deum authoritatem nec imperium, ita ius ciuile, quippe quod merum nudumque visitur hominis inuentũ, naturæ leges præscribere queat, quando legem sancire seu condere, pariter ac promulgare pertineat ad vnum superiorem. Quinetiam iura ciuilia tantò meliora fuerint, quantò naturali iuri multoque magis diuino similiora dignoscentur. At qua ratione ius naturale sicut, & ipsa natura parens iuri ciuili dominatur, & in idem exercet imperium, eadem profectò ius gentium anteire iuri ciuili cõuenit, quamuis dignitate iure naturali sit inferius & ei præstantia libenter cedat. Quapropter inter ciuile ius & naturale, ius gentium exquisitè medium occupare locum abundè constat. Vnde sicuti ius naturæ ius gentiũ pręcedit, ita mediusfidius gentium id idem, ciuilia iura superat, & antecedit.

Quorum intersit leges aut earum regulas limitare vel casus excipere particulares. Caput XIV.

POrro si vera sunt huiusmodi, quemadmodum profectò rem sic habere naturalis ratio (malè tamen exercitata) clarè nos edocet, ridicula prorsus euadit fallentia, siue limitatio recentiorum. Nanque si iuris gentium esse venatio semel admittatur, nec in cathalago iurium comprehendi regalium, dic obsecro quorsum attinet inferre postmodum, hoc non obstãte Principem aliquando iusta quapiam de causa venationem subditis eãdem vetare posse? Nunquid alicuius decreti vel regulæ fallentia siue limitatio basim eandem atque fundamentum adnihilare vel è medio potest auferre? Nam id perinde est, ac si quis hanc regulam iuris diuini, quòd serui non imperent suis dominis sed eisdẽ subditi sint, excipere, & casum aliquem, in quo domini tenerentur obedire seruis, qui sanè casus ex diametro (quod aiunt) fundamẽto legis aduersatur, & cum eodem è vestigio dimicat atque prælium atrox committit, quia sic includit contradictionem, quando seruum imperare domino (quemcunque casum seu quamcunque limitationem aut exceptionem effinxeris nihil refert) vnaque seruum eundem esse, manifestum includant contradictionem vnaque coire nequeant. Conueniens etenim fallentia siue limitatio vel exceptio fuerit huiusmodi. Verbi gratia ius diuinum illis legem tulit, quando, dicat Paulus Apostolus: serui obedientes estote dominis vestris. Hæc regula fallit, quotiens dominus imperat seruo, vt aliquid agat, quod minimè deceat atque conueniat, quodque palàm cum iure naturali vel diuino pugnet. Exempli gratia, si mandaret seruo dominus, vt aliquem in-

interficeret. Hæc etenim exceptio siue (sicut isti loquuntur) fallentia non destruit regulam siue decretum diuinum, quippe cuius radix isthæc visitur, vt iuste dominus imperet, sicut, & serui legis fundamentum, & absis est, vt domino seruus obediat. Hinc exceptiones eorum casuum tantummodò fiunt, qui videlicet è vestigio cum Regina mente dimicant. Quocirca si legis naturæ vel iuris gentium radix ac fundamentum est, imperare iuri ciuili tanquam iuris diuini vices gerant, & illud adfabrè referât, dubio procul nullibi casum reperias idoneū, in quo iuri naturali, vel gentium ciuile ius dominetur, quanuis casum excipere liceat, in quo ciuile ius obedire non debeat iuri naturali, non autem imperare debeat: nisi fortassis aliquid in rusti comminiscaris, quod naturale ius iubere queat, quo casu nimirum ius ciuile non tenebitur parere iure naturali sicque bonam feceris limitationem, seu fallentiam, nec ea dubio procul obluctabitur basi, seu radici iuris naturalis, quemadmodum de iuris diuini nuper exceptione quadam efferebamus. Atqui longè alia ratio est, nec vtrobique militat eadem argumentatio. Nanque ius diuinum propriè non admittit exceptionum aut fallentiam, (vt aiunt) ab hominibus inuectam, quoniam in illud ipsi non habent imperium, sed vnam ab eisdem enucleationem, aut interpretationem admittit, quando ius diuinum hallucinari nequeat sicut, & inferior aberrare natura nequit, quando coacta solùm agat secus ac debeat. Verum enimuerò ciuile ius, vt quod à voluntate mortalium tanquam a propria scaturigine nuper emanauerit atque defluxerit, in errores velut in scopulos nonnunquam impingere potuit. Proinde non solùm interpretationem postulat obscurorum, sed limitationes eorum exigit, qui corrigendi simul ac imperandi potestatem à summo Principe sæculari qui cæsar iure creditur, nacti sunt. Porro quotiens cæsar id agere per incuriam omittit, aut omnino detrectat ac renuit, tum iura pōtificia, vel œcumenicæ synodi, quod ab eo pretermissum est exequuntur. Hinc iura canonica,

nonica sanctiones in iure ciuili nonnullas moderarunt atque correxerunt, quandoquidem id verè spectet ad superiorem authoritatem. Proinde priuati passim legum ciuilium interpretes vtpote subiecti decisionibus, ciuilibus, atque prudentum responsis, quippe qui Cæsaris vices gerebant eumque referebant, iure perperam agere videantur, quotiens decreta ciuilia, seu regulas limitant dicantque. Fallit isthæc regula in hoc vel illo casu: doctores inquam priuati cancellos propriæ ditionis (vt ita dixerim) exgrediuntur, & falcem (quod in adagio fertur) in alienam messem immitunt, quotiens legibus aut regulis iuris vniuersaliter promulgatis quosdam particulares inde casus excipiunt, ni forsitan eas exceptiones, aut limitationes, quas illi ipsi vocitant fallentias, ex alijs textibus iuris apertè decerpserint, vel, clam, id est, corrolariè saltem hoc ipsum inde ratiocinando logica methodo deduxerint. Nam hoc casu non ipsi profectò doctores, sed ipsamet iura ciuilia regalus proprias, atque decreta moderant, & corrigunt, vel (vt adcommodatius vnaque verius eloquar) quibus in rebus eæ regulæ, seu leges locum habeant, decernunt, priuati verò doctores interea locos vndique diuersos (quod interpretis boni munus est proprium) adnotant, & in aceruum adcumulant, quæcunque videlicet ad eius intelligentiam textus faciant, cuius illi fortassis enucleandi prouinciam eo tempore susceperunt. Idem in interpretando iure pontificio penitus (imò magis forsan) erratam committunt, atque plurimùm hallucinantur hoc agentes. Exempli gratia, ius pontificium clericis omnem simpliciter venationem interdicit, quod supra relatum est, ni fortassis alicubi casum exceptum in eodem iure canonico doctores eiusmodi textum limitantes nacti fuerint, quo clericis aliquando venari concedatur. Nam eis licere neutiquam arbitror pro capitis vniuscuiusque vertigine, scilicet efferre simpliciter hoc pacto: Fallit hæc regula, quotiens clerici non voluptatis, at recreationis vel salubritatis, ergo venationem exercent. Nam hoc non

est

est exponere vel interpretari, quin potius moderantis, & corrigentis atque ita superioris, & imperantis cernitur officium. Attende Dij boni quàm bella quamque lepida ratio sit, quæ doctores illos impulit ad hanc exceptionẽ effingendum, nempe quia recreationis aut salubritatis gratia venantur. Admirabile si dijs placet, inuentum ad bonam valetudinem tuendam, scilicet quasi desint alia subsidiá bonæ valetudini conseruandæ deseruientia: scilicet quasi multis alijs destituamur auxilijs quæ vel appositè nõ minus eandem præstent operam: scilicet quasi ludus paruæ pilæ quem dicato Galenus huic rei libello cæteris ad vnum omnibus antepo suit atque prætulit exercitijs, recreare nequeat abunde clericos aut bonam reparare simul ac tueri valetudinem: scilicet quasi proprijs in ædibus, in aula priuata, ruri, vel alibi modò bona fruamur aeris temperie, corporis exercere simul ac animum recreare magis non expediat, quàm instar phanatici per lucos excurrere per deserta loca, denique per inuios (quod accidit sæpenumerò) saltus insequi feras, idq; nonnunquam vitæ non exiguo discrimine: scilicet quasi ludus vnus paruæ pilæ nòn decuplo plus recreet atque salubritati conducat ac mille venationes. Quòd si tantoperè venationes aues, cur non exerces aucupia? Cur non venaris pisces, Nam huiusmodi venationis genera fortassis à iure pontificio non vetantur, ni forsitan opera data quadrupedum venatiouem insectari malis, quòd ea prohibeatur, iuxta illud Poetæ. Nitimur in vetitum semper cupimusque negata. Suspicor de lusu pilæ multò maiores excitatum iri turbas maioraque ludendi semel in animis excitatum iri mortalium desideria, si lege pontificia caueretur, ne pila parua clerici luderent vel hoc supposito, quòd eis affatim vltroque quadrupedum ipsa venatio permitteretur libera. Cæterum hi si fortè magis aueant clericis concedere venationem, quòd ea se magis exhilarari fateantur, vbi voluptatem per se primoque tanquam finem expetunt, non autem id quod reuera plus recreat, & salubritati conducit quodque multò

tò minus eosdem à diuino cultu distrahit & auocat: vbi voluptatem inquam recreationis prætextu laruatum atque personatum, exercitijs multò salubrioribus anteponunt, eadem ratione pariter fortè venia t eis concedendū vt crebrò cum iuuenculis mulieribus garrire seu iocos miscere liceat, idq; non voluptatis quinimò recreationis ergo vel salubritatis gratia, quoniam idipsum (si dijs placet) ab horis canonicis & ab Ecclesię seruitio clericos auocat minus ac ipsa, venatio. Cæterum hoc est absurdum, igitur & eorū fallentia, siue limitatio venit obliteranda.

Proposita quæstio deciditur.
Caput XV.

Redeamus ad institutum. Equidem abolendum esse quod à Decio quanlibet erudito scriptis proditum reperiamus, infirmandumque prorsus crediderim, nempe non licere Principi venationem interdicere subditis hoc prætextu quod ea sit iuris gentium ac ita minimè contineatur in cathalago iurium regalium. Nanque ius naturale plus authoritatis obtinere quàm ius gentium, vtpote confessum ab omnibus vltro subijcimus, scilicet velut à natura parente proximius emanatū. Itaq; iuxta regulam topicam hoc pacto ratiocinamur. Minus videtur, quòd ius naturale primæuum alioquin ab ipsa natura proximè pullulans debeat subijci legibus nō solùm ciuilibus verumetiam Pontificis, quam tamen ab ijsdem ipsis moderetur, limitetur, denique corrigatur, ergo magis multò ius gentium vtpote minoris authoritatis eisdem parebit: Ad argumenta verò superius in medium adducta dicimus naturam integram, inculpatam, & ab omni vitio prorsus immunē nulli subiectā fuisse legi: siquidem ipsamet sibi ipsi lex fuerit; & adcurata viuenda methodus. At vitiata semel incuria primi parentis Adami, forinsecus auxiliū vltro poscit atq; suppetias implorat, Verbi gratia, fornicationē simplicē esse

delictum natura saucia prorsus ignorat velut obscurata pariter ac orbata primæuo lumine. Quò fit, vt exteriorẽ vim atque potentiam sua requirat imbecillitas, quippe quæ viuendi legem, ei præscribat, iuxta illud Pauli: Nesciebam concupiscentiam esse peccatum, ni lex diceret: non concupisces. Hinc meritò lex delicti causa dicitur, quod mehercle venit inteligẽdum hoc pacto, quòd peccati causa sit per accidens ac secundariò, quatenus efficit, vt ab humana tantisper obscurata natura delictum internoscatur. Adeò per se lex primoque non delicti simpliciter, quinimò cognitionis delicti causa per se dignoscitur, quandoquidem suo lumine pellat mentis inscitiã ac densas propria luce tenebras animi disijciat atramque caliginem excutiat. Quàm ob rem ratio Decij quantumuis eruditi, quippe quam omnes (vt intelligo) passim hic insequuntur propria mole carruit. Inquit enim. Venatio iuris est gentium, ergo non compræhenditur in serie iurium regalium, vnde Princeps in eam haud habet imperium. Nam id perinde est, ac si quis ita ratiocinaretur. Fornicari simpliciter iuris est naturalis, idque primæui, quod maiores longè sortitur vires ac ius gentium, ergo multò minus poterit à iure ciuili vel canonico clericis inhiberi vel interdici quàm ipsa venatio. Atqui secundũ allegata superius, ea quæ sunt iuris naturalis vtcunque primæui, maiorem etsi vim nanciscantur, nihilominus à iure canonico (quinetiam à ciuili multotiens) limitãtur, moderantur, cohibentur, denique corrigũtur; ergo magis multò subijci legibus ea conueniat, quæ iuris absolutè gentium censentur: Proinde Rex aut alius Princeps vtpote sortitus imperium in ius naturale nedum in ius gẽgentium venationem ijs interdicere potest, quibus dominatur, sicut & Episcopi clericis, imò de iure tenẽtur, modò videlicet id ex re esse dijudicet & Reipublicæ profuturum animaduertat, putà si palàm intueatur occasione venationis consequi populationem agrorũ, vnde dissidia vel homicidia deinceps oriri queant.

Vnde

Vnde nobilitas primò traxerit originem, aliorum opiniones, & recensentur & exploduntur. Caput XVI.

ALiam propon imus quæstionem, quippe qua semel prout conuenit, enucleata pariter ac decisa, tandem huic libro colophonem imponemus. A. Chain nõnulli generis claritatem siue nobilitatem arbitrantur originem duxisse, quem ob fratricidium patratum eandem amisisse ferunt, quippe quam Abel nobilitatem ab Adamo parente comparatam hæreditario iure quandiu vixit, perpetuò retinuit atque iugiter adseruauit. Ab eis itaque nobilitatis, & ignobilitatis discrimen exordiuntur. Dein absumptis omnibus diluuio. Ne tantummodò superstite cum tribus natis nempe Sem & Iaphet, ijsceptam à maioribus nobilitatem, & retinuerunt, & in posteros propagarum. Cham verò quia nudum irrisit patrem ebrium, ab ea maiorum in eum transfusa nobilitate protinus decidit, patre nimirum ita dicente: Maledictus Cham seruus seruorũ erit suis fratribus. Nõ desũt, qui nobilitatẽ eãdẽ altius repetãt, nempe dicẽtes in hyerarchia cęlesti vel Angelos alijs alios adseuerari superiores ordine pariter ac dignitate: siquidem astra quoq; vel sydera non solùm ordine verumetiam virtute vel potẽtia discrimen ita sortiantur inter se, vt alia modo quodã imperium exerceant atque splendorem alijs impertiantur, imò verò dignitatem. Qualis etenim opaca foret luna, ni solis beneficio tandem euaderet conspicua? Qui posthabita solis vnius ope vel subsidio, propria posset obire munia? Qualia tãdem aut quàm egregia forent, eiusdem opera? Huc accedit, quòd non solùm in pecudibus, verumetiam in expertibus animæ corporibus indiscriminatim omnibus simile quiddam appareat. Quãquam enim in eis minimè reperitur vera legitimaque nobili-

tas, attamen in eisdem deprehenditur imago quædam nobilitatis & expressa (quod dici solet) ad viuum effigies. Verùenimuerò quæ specie differunt multoq; magis genere, nequeant, alijs tanto natura distantibus interuallo nobilitatem aut ignobilitatem impertiri si primã dũtaxat causam excluseris, quandoquidem habitus promiscuè quoslibet cuiusmodi cernitur nobilitas, à forma specifica vel indiuiduali prodire seu proficisci constet. Quòd si fortassis agens impediatur aut plus iusto fuerit imbecillum, eo casu fœtus ita dissimilis euadit nonnunquam, vt etiam reuera sit monstrum, nedum simpliciter appareat. Ergo nequeat ab Angelis atque diuulsis à contagio primi subiecti mentibus originem traxisse nobilitas humana, quanuis earum productio, siue creatio mentium abstractarum humanam præcesserit naturã, quandoquidem homines, ipsæ mẽtes vel abstractæ substãtiæ nusquã produxerint minusque multò genuerint, etsi diuina sic exigẽte prouidẽtia iugiter hominibus opitulãtur, quò sic nimirũ amãdo rerũ omniũ authorẽ, ipsas quoq; res ab eo cõditas, vtpote suæ diuinitatis bonitatisq; participes, vicissim diligãt atq; nõ omnes promiscuè, sed eas tãtũmodò, quæcũque redamare seu capaces amoris ostendũtur, quemadmodũ in libro de amore luculẽter (meo saltẽ iudicio) docuimus Qui enim Deũ dilexeris, si quod ipse vel impẽsè diligit cõtemnas aut amare similiter despicias ac tenuas? Neque potuit in Abel primum cępisse nobilitas, quoniã oporteret Adamũ & Euã primos parẽtes, neque nobiles extitisse nec ignobiles, quæ videtur esse mera fatuitas (vt ita dicã) quãdoquidẽ alterius oppositi participẽ eorũ vtrũq; fuisse necesũ sit. Nã inclinati fuerũt ad bonum necessariò vel ad malũ. Itẽ propẽs fuerant ad vilia peragẽda vel ad excelsa pariter ac sublimia tẽdebãt, quotiescũq; moliebãtur aliquid aut adgrediebantur. Itidẽ absque cogitatione vitã traducere seu transigere non potuerunt. Atqui cogitando meditabantur facilè bona vel egregia secũdũ naturam, aut mala simul ac vilia facilius animo volutabant: seu (more scholasticorũ theologorum

hic

hic verba faciã) intrinsecus fomitẽ, id est, malũ habitũ siue qualitatẽ ad agẽdũ perperã inclinãtẽ gestabant. Vnde (velis nolis) omnino fateri cogeris eos fuisse nobiles aut ignobiles, ergo nõ posuit à Cain & Abel exordiri primũ ignobilitas aut nobilitas, multoq; minus à Sẽ & Iaphet vtpote posteriorioribus tot annorum interstitio.

A primis immediate parentibus primò nobilitatem dein ignobilitatem inchoasse.
CAP. XVII.

HOminẽ promiscuẽ quẽlibet clarũ aut obscurũ, hoc est, nobilẽ, aut ignobilẽ esse palã superiora cõmonstrãt, adhęc Adamũ & Euã homines extitisse primos eloquia sacra testãtur. Vnde necessariò cõsequitur, inchoasse nobilitatẽ ac ignobilitatẽ à primis eisdẽ generis humani parẽtibus. At hic vel suapte spõte quæsitũ emergit vltroque se se offert, an eorum vterque primò nobilis fuerit an ignobilis. Porro nobilitatẽ præcessisse bifariã cõuincim°. Primũ argumẽtũ sic habet. Si primò cępisset ignobilitas, omnino sequeretur haud fecisse Deũ max. omnia valde bona. Quod sequitur est absurdum & exercitatæ rationi nõ cohæret, igitur & quod inde scaturit atque deducitur eliminandum est. Illatio probatur, quia si primi mortalium omnium, quippe quos proximè Deus fecerat seclusa qu uis aliorũ hominũ opera, prius ad mala peragenda fuerunt propensi magis ac ad bona, profectò non potuerunt esse boni, tantum abest, vt hoc pacto valde boni fuerint. Vt enim donemus naturam & essentiam (more Scholasticorum eloqui cogimur.) vniuscuiusque rei cùm ens tùm necessariò bonũ, & aliquid videri protinus, ita mehercle neutiquam inficiamur inter ea quæ sunt absolute pariter ac bona censentur, vel ea ratione simpliciter qua sunt: non inficiamur inquam inter ea, dari magis bonum aut minus. Proinde si primi parentes eo protinus instanti quo Deus eosdẽ cõdidit, fuerunt ad mala vel

etiam ad vilia cùm peragendum etiam meditandam, propensi magis, quàm ad bona vel sublimia, velis nolis hoc casu fuerunt minus boni, quandoquidem extitisse boni magis potuerint, ergo non fuerunt valde boni. Quò fit, vt necessariò consequatur, omnia valde bona maximum Deum haud fecisse: siquidem id propriè simul ac verè bonum valde prædicetur (nec secus intelligi possit) quod melius adinueniri vel esse nequeat. Atqui meliores eosdem potuisse primos parentes reperiri dubio procul si magis ad bona sublimiaque peragenda fuissent inclinati, quàm ad mala simul ac vilia, liquidò videatur notiusque sit, quam vt quispiam vtcunque stupido dissimulari queat. Nanque sicut arbor bona bonos, arbor verò mala malos continuò fructus parit, ita profectò melior meliores, peior verò peiores æque producit. Itaque parentes primi cum essent vt primùm conditi sunt à maximo Deo, valde boni, sicut & alia passim omnia dum primò fierent, necessariò propensionem pro qualitate seu capacitate sua sortiti sunt, non solùm ad bona simpliciter, verumetiam excelsa peragenda valde bonam & optimam, atque ita nimirum per consequens Eua cum Adamo fuerunt ab initio creationis nobilissimi. Verùm inter eam atque nostram nobilitatem plurimùm interest, quia nobilitas eorum ab initio statim erat naturalis, quando tales conditi fuerint, nobis autem nobilitas dignoscitur habitus progenitorum opera parentum in filios transfusus, aut nostra diligentia nostrisque laboribus comparatus. Argumentatio secunda sic habet. Habitus perpetuò priuationem antecedit. Qui enim orbari possis aliqua re, quam nullo vnquam tempore possederis? At nobilitas est habitus ignobilitas autem priuatio, vel habitus eiusdem (vt ita dicam) carentia, sequitur ergo nobilitatem esse non solùm dignitate, verumetiam tempore priorem. Verùm instare poteris ignobilitatem esse non priuationem absolutè, sed agnosci veram nobilitatis contrarietatem. Nanque priuatio simplex haud agit quidpiam,

pu-

putà cæcitas vtpote simplex carentia seu priuatio visiônis, omnino nullas profert operationes, quia nullas habet vires. At ignobilitas quanplura comminiscitur quanlibet vilia vel obscura. Nos autem huic obiecto sic occurrimus. Contrariorum semper alteram altero perfectius inuenitur. Vnde quòd perfectius apparet, habitũ refert, eiusque vices gerit, imperfectius verò priuationẽ iugiter ob oculos constituit atque representat.

Finis libri quinti.

ANDREÆ CAMVTII

PHYSICI OLIM CELEBERRIMI.

DE NOBILITATE LIBER SEXTVS.

Qui parentis primi nobilitatem propria culpa semel amissam reparauerint, quæue fuerit eorum nobilitas. *Caput I.*

VErum enim uerò sicùt ab eis proximè nobilitas inchoauit ita nimirum ignobilitas. Nanque nobiles etiamnum in ignobilitatem hac tempestate ruunt (vt sic dixerim) in eademque quodammodo ferũtur, quin potius aguntur velut in præceps horrendum ingens & ex claris in obscuros degenerant soedidaq; metamorphosi transformãtur ex bellis in obscænos ac turpes nempe quotiẽs indigna quapiam actione, vel

Google

vel operatione quæ nobilitatem dedeceat, vltro seipsos cōmaculant, quasi cæno quodā fœdāt, atq; penitus (vt ita dixerim) conspurcāt. Quid igitur mirū, quòd idē Adamo vel Euæ contigerit? Ergo non arbitrentur Athei sicut & infideles hystoriam primorum parentum esse commēta seu nugas adfabrè confictas ab hominibus plus iusto virtutis quando singulis penè momentis, nedum annis aut mensibus nostram experiamur naturam omnino vitiatam. Nunquid nō mirum est in omni specie præter quā in homine particularia vel indiuidua (quemadmodum Peripathetici loquuntur) quanplura passim offendi perfecta munerisue (quod aiunt) omnibus absoluta? Quinetiam in corporibus inanimatis hoc idem reperias. Agè faciamus inductionē si lubet. In grege pecorū, & equorum vt quanplura reperis indiuidua miris modis absoluta, scilicet in quibus nihil effatu dignum desideretur, ita mehercle, nullum ex his inutile penitus experiaris. At in hominū cætu prçter id quòd inter mille vix agnoscere concedatur vnus aut alter, qui conditiones ad hominem spectātes vel mediocriter obtineat, insuper plerosque videre liceat iudicio non ita multum pecoribus anteire. Sed audi rem admirabilem. Nulla bestia contra naturam molitur vel attentat quidpiā, imò quoduis animal vtcunq; rationis expers appetitum insequitur, quē ei natura parēs indidit (vel vt ita dicam inseruit) nec vsquam præscriptum transit. Vnus homo contra naturam operatur propriam, idque non aliquando sed ferè semper. Adeò iure suspicari queas, an secundum rationē viuere censere debeat hominis opus proprium. Hic expaciari lubet aliquātulum ac hystoriam referre, meo quidē iudicio neutiquā inutilem. Maximilianus Imperator vt erat acutus ingenio magnaque solertia præditus, crebrò quæstiones mouebat non vulgares, quinimò Cæsare dignas. Inter prandendū vbi iam dapes exportarentur, & bellaria deferrent, à nobis percunctatus est, quid causæ fieret, vt homines non semel atq; iterū sed plerūq; prætērito vel deserto rationis iudicio sēsū vnū insequeren-

tur

tur ita, vt iure dubitādi præberetur ansa; nūquid hominem parere sensui, ratione quantunuis exclusa censeatur opus naturale, vel contra naturam, potius; Hic Biesius Belga respondit, ex omnium sententia philosophorum obedire sensui rationem, opus omnino dijudicari præter naturam, imò contra naturam, quando rationalis facultas in homine, potior atque nobilior animæ pars existimetur, quippe quam imperare docet legesque cęteris vtpote facultatibus inferioribus præscribere, quam sentētiam alij merito comprobarunt. Ego verò differēdi gratia (nec secus) contra sic argumentabar. Philosophus in physicis auscultationibus methodum siue normā nobis præscripsit, qua naturales operationes ab eis quæ præter naturam, siue cōtra naturam sunt, dirimere vel seiūgere possimus, inquiens opera naturalia fieri semper, aut saltē vtplurimùm, quæ verò præter naturam sunt, rarò cōtingere. Quin etiam ob id ea vocitantur contingentia, quod rarò, non autem frequenter eueniant. Proinde thesibus hisce præmissis ita ratiocinabar. In hominibus ratio, quippe quam vos Reginam siue dominā appellatis, plerunque paret sensibus & eisdem obsequitur: contra sēsus eidem rationi ferè semper imperant. Ergo iuxta methodum Aristotelicā ratione sensum imperare secūdum naturam fuerit, contra rationem dominari præter naturā. Conticuere omnes intentiq; ora tenebant, vt ait Poeta. Cæsar interea subrisit inquiens: Noster Camutius mirificè fauet sensibus. Tum ego ioci gratia. Cur eis non faueā ac indulgeam, quando nos iugiter exhilarent ac reuera sint boni socij, quemadmodum vulgò saltem receptū est, ratio verò nos adficiat tedio pariter ac morosa vel querula putetur. Ad pensum redeo. Primi parentes vtpote creati valde boni rationem obtinebant adprimè dispositam, neque sensus obstrepebant, quinimò libenter obsequebātur. Hinc Athei vel infideles vbi cōspexerint apertè conspurcatam hominis vnius naturam, minimè verò corruptā, quemadmodum insulsè Lutherus arbitratur, nec id perinde videant in cæteris animantibus, optimo

iure

iure nequeant hanc hystoriam primorum parentum irridere vel despicere: siquidem rationi (probabiliter salté) consentaneum appareat integram aliquando fuisse naturam humanam, & ob insignem aliquã rationem obscuratam atque labefactatam eandem fuisse. Nanque si forsitan id negent ac omnino diffiteantur, continuò fateri cogentur, idque velint nolint, vniuersalem naturã (Quippe quam esse Deum ipsum interpretari decet) cæteris matrem fuisse: Quorsum hæc. Ab initio primus homo temperatissimus extitit, quod in opere vni verò tantum homini fuisse nouertam, atque ita per consequens iniustam extitisse de Amore disquisiuimus. Rationi sensus obsequium præstabãt, ei famulabantur, inseruiebant libenter. At vbi primus idem homo contra naturæ supremum authorem calcitrauit, vbi conditorem suum temnere seu despicere præsumpsit, sané tùm inferiores ancillæ vel famuli, nempe sensus & altrix facultas velut indignati, seipsos opposuerunt rationi quanlibet Reginæ, scilicet vt iniuriam authori naturæ turpiter illatam pro viribus vlcisceretur. Vnde nimirum homo temperatura corporis insigni præditus velut harmonia, concentus ille seu rithmus elementorum adfabrè conspirantium de repente commutatus est in dissonãtiam & in distemperatum, quasi protinus. Quocirca primum quem naturæ possidebat nobilitatis habitum ad bona pariter ac sublimia peragenda concitantem, & inclinãtem amisit, ac in contrarium ignobilitatis tetrum habitum ad vitia nos impellentem sordida metamorphosi lapsus est, harmoniaque corporis & animi labefactata continuã in seipso litem atque partium dissensionem experitur. Adeò mortis interea formidine perculsus atque perterritus quippe quam intemperies innexit, quandiu superfuit, quandiuque in hoc misero corporis ergastulo vitam traduxit, miser cõtinuò fuit ac dolores (à quibus antea fuerat immunis) velut arrabonem futuræ mortis, aliquos perpetuò cùm animi tùm corporis perpessus est.

Quæsito discutiendo colophonem imponit. Caput II.

QVi nobilitas ab Adamo vel Eua primis parentibus originem traxerit, quia deinde propria culpa facti sint ignobiles & obscuri, satis (vt mihi videtur) superque disquisiuimus atque diligenter enucleauimus. Restat, vt explicemus qui nobilitatem propria culpa semel amissam reparauerint. Sanè quidquid amittitur, si reparari debeat, aut eius qui perdidit, viribus proprijs redimi potest, quod euanuit & amisſũ est, vel alienis opus est, ad idem comparandum siue reparandum subsidijs. Faciamus periculum imprimis, an ex seipso primus homo tam exitiali mederi potuerit vulneri. Sicuti febre correptus vel alio vexatus morbo pluries curare seipsum potest, modò mente constet, deinde prudens atque patiens dignoscatur, ita verisimiliter Adamus fortassis reparare nobilitatem amissam potuit, & ad primæuam cùm animi tùm corporis redire, temperiẽ, quãdo morbus huiusmodi fortè medelam admiserit, tãtum abest, vt omnino fuerit insanabilis. Atqui morbus insanabilis vni Deo committi perpetuò consueuit, mentis verò morbi nempe vitia passim à Philosophis curantur, & ipsa nobilitas de qua nunc agitur, si desit, vt humanis (hic secundum hominem loquor simpliciter) adquiri præsidijs potest, ita nimirum ea semel amissa (quomodocunque fatiscat & intermoriatur, hoc loco nihil refert) ijsdem subsidijs planè quibus olim comparata fuerat, reparari posse pariter ac restitui naturalis vtique ratio suadet. Verumenimuerò si medullitus rem ipsam & attentius introspicias, isthæc ægritudo maiores altioresque radices egerat, quàm vt seposito medico vel præterito simpliciter ab ægro quantumuis prudente curari posset. Quinimò si medicus insuper ei præsto fuisset humanus, vtcunque prudens quãlibet eruditus, adhuc

nil

nil efficere potuisset. Nam insanabilis extitit & prauitate cæteris quicunque descripti sunt ab Hippocrate vel à Galeno morbis ita non cessit, vt eosdem insuper ad vnum omnes malitia longo superauerit interuallo, nec alius vllus cum eo malignitate conferri potuerit. Adeò contumax & inuincibilis (vt ita dicam) extitit. Age rimemur atque sedulò scrutemur ægritudinis huiusce magnitudinem. Arbitratur hic vulgus forsitam, eos gulæ simpliciter crimen commisisse, quando vetitas ei simpliciter esus mali videatur: idque veluti per inconsiderationem quasi parum cogitans quid ageret, in illud crimen velut in scopulum impegerit. Atqui secus est, ac insulsè vulgus opinatur. Nanque persuaserat eis vafrè callidus serpens excelsa prçmia, si recusare Dei volebant obedientiam inquiens: Eritis sicuti Dij scientes bonum & malum. Perinde ac si cum eis ita verba fecisset: Magnus Deus iu huiusce ligni malo siue fructu (reuera malum fuit) cognoscens inesse vim sapientiæ veretur, ne vos allecti specie mali vel per incuriam edatis hoc id malum, quia sic eritis (sicut & ipse) prudentes ac sapientes, atque ita planè similes ei fueritis, quod ille vobis forsan inuidet, quoniam ei sic modo quodam saltem eritis æquales. Huic susurro nec adsentiri, nec aures præbuisse faciles debuerant. Adfectarunt enim obscurè saltem hac allecti suasione primi parentes æqualitatem Dei. Quid vobis videtur? Num infantile delictum istud arguraris? An id veniale peccatum absolutè dijudicandum est? Quam ob rem status primorum parentum ob sceleris magnitudinem nec proprijs nec alicuius alius creaturæ subsidijs reparari potuit, quanuis bonitati diuinæ côueniret eandem vtpote non omnino peruersam (vti fuit Lucifer) à pœnis æternis præseruare. Verùm quod opera rerum à Deo conditurum peragi nequit, idipsum benignitas diuina cumulatè suppleuit atque resarciuit. Adeò supra captum omnis creaturæ præterque mentium omnium à subiecto primo quanlibet diuulsatum, vnius amoris

ergo

ergo Deus & homo factus est, & atrocissimam oppetiuit mortem, vt hominem non modò restitueret primæuo statui, verùmetiam ad benè agendum vires adquireret maiores. Adeò plus ex gratia lucri fecit à crimine commisso, quàm amiserit ex eiusdem culpa criminis. O felix culpa quæ talem tantumque nacta est atque promeruit redemptorem.

Quod delictum vnum Adami nobilitatem annihilare potuerit. Caput III.

HAbitum agnosci qualitatem de difficili mobilem peripathetici tradunt. Hoc opere verò nos nobilitatẽ, habitũ esse vel meridiana luce clarius ostendimus. Vnde nimirum logica methodo nobilitatem cuipiã inhærentẽ non nisi difficulter amoueri posse, sicut & ignobilitatem ei contrarium habitum intulimus. Impręsenti non iniuria quęritur, quandoquidem emergere sponte sua quæsitum istud imo nobis vltro se offerre videatur qui delictum vnum Adami funditus euertere potuerit vel expũgere nobilitatem. Accedit, quòd in eo nobilitas eadem quodammodò naturalis fuerit, quia conditus ab optimo Deo fuit nobilis, cũ alioquin ab alijs, quis deinde propagationis longa serie subsecuti sunt, non nisi laboribus exantlatis adquiratur nobilitas, quippe quam simili modo quæsitam in posteros interuentu generationis effundant. Nam ea, quam vlla nunquã pręcessit ignobilitas, neque fomes aliquis ad mala viliaque peragẽda comitabatur veluti quædam altera natura videlicet à vitio quolibet immunis: illa inquam prior Adami nobilitas inscitię vel obscuritatis nescia, quippe cuius ante nũquam fuit particeps, renera multò difficilius obliterari vel extingui potuit. Qui ergo, dic sodes, vno tantùm errato prorsus euanuit, & in contrarium ignobilitatis, & obscuritatis habitum repente commutatur, atque tam admirabili simul ac obscæna metamorphosi trãsformatur?

tur? Iuxta regulam Topicam: si de quo magis & quæ se-quuntur, à fortiori sic argumentor Magis videtur nostra nobilitas vtpote lubrica magis quia fomiti coniuncta, visitur, expungi vel obliterari posse facilius, ac illa primæua primorum nobilitas parentum à quauis macula prorsus immunis, vt quæ radices egerat altiores: videtur inquam rationi consentaneum, nostrum hunc nobilitatis habitum deleri posse facilius multò, quàm ab omni næuo prorsus immunis vel (vt rectius vnaq; clarius eloquar) obscuritatis aut vilitatis cuiuslibet nescia pariter ac verè syncera primorum parentum nobilitas, cum isthæc alioquin nostra nobilitas imbecilla, videlicet ei primæuæ nobilitati collata non nisi difficulter eradicetur & extirpetur, ergo difficilius multò debuit illa deleri tanquam solidior. Item sicut habitus non nisi diuturno labore repetitisque frequenter, per annos forsitan aut per menses aliquot vt minimùm conquiritur, ita per contrarium nō nisi medijs ijsdem obliterandus veniat, hoc est, diuturnorum aut crebrò repetitorum interuentu laborum. Itidem sicuti nobilitas est habitus actionum bonarum atq; sublimium ita dubio procul ignobilitas agnoscitur habitus ad vilia quinetiam mala mortales inclinans: igitur ignobilitas vtpote contrarius habitus sub ea ratione qua dignoscitur habitus, quemadmodum difficulter amouetur (vt experientia iandiu comprobatum est) ita nimirū non nisi difficultas amoueri vel in hominem contrariam qualitate pręditum induci poterit. Ergo qui potuit Adamus vnico temporis momento propemodum in ignobilem ex nobili protinus euadere? Non inutilis nec obscura profectò videatur isthæc dubitandi ratio. Nos verò sicut ea libenter admittimus, quæ nuperrimè dicta sunt ac iure tenemur, nempe non nisi longa temporis intercapedine difficulterque conquiri vel amoueri quenlibet habitum: sicut inquam id ordinariè (quemadmodum efferre passim consueuerunt) fieri concedimus, ita non sēper quin potius vtplurimùm habitus ita conquiri sensim vel euanescere paulatim adseueramus. Nam à com-

muni

muni regula casum hunc excipi volumus, nẽpe quotiens (quod quidẽ sicut in paucissimis ita rarissimè pariter visitur) aliquis non attentat adgrediturue maximam, idque præter omnium expectationem ferè, pariter & actionẽ edit valde raram & omnium penè cogitationem excedentem. Nam eo casu tantum homo sibi ipsi vim infert, vt perexiguo tempore peragat & consequatur illud idẽ, quod ordinariè simul ac laboribus diuturnis efficeret. Hinc aiunt Medici curatrices inter indicationes vnam excellentem æquipollere pluribus attamen imbecillibus (quinetiam eis preferri debere) contrarium quãlibet indicantibus. Vnde corona martyrij quę breui tempore transigitur, lõgis religionis ergo peregrinationibus aut æremi duris tentationibus atque diuturnis, & æquiparatur & anteponitur. Hinc nonnulli toto vitæ curriculo scelestissimi tandem in extremo discrimine mortis ita doluerunt vicem suam, ita pœnituit eos delictorum cõmissorũ, adeo grauiter gemuerunt, tam ardenter eo breui tempore Deum dilexerunt & amarunt, vt æternam ilico vitam promeruerint, perinde ac si diutissimè pœnitentiam egissent, quod quidem (vt interea sanctorũ aliquot exempla subticeam) vna pẽdentis in cruce latronis hystoria nobis vel abundè fidem facit. Adeò primi parẽtes nostri perexiguo tempore nobilitatis habitum adytis atque penetralibus eorum vtcunque tenaciter hęrentem, & amiserunt, & eadem maximi delicti violentia contrarium ignobilitatis habitum inuexerunt. Quod enim excellentius, maius, aut atrocius delictum excogitari potuit quam summi conditoris æqualitatem expetere?

✝

Cur

Cur spiritus hyerarchiæ cælestis vbi semel contra supremum authorem deliquerunt, primæuo statui restitui non potuerint. Cap. IV.

OBiter ac veluti per transennā supra diximus erratū Adami primi parētis & Euæ quālibet execrabile, nihilosecius fuisse modo quodā excusatione dignū, idque propter inscitiā, at spirituū hyerarchiæ cælestis à primi subiecti squalore situq; vindicatorum, vtpote clarissima præditorū intelligentia delictū, omnē penitus respuebat excludebatq; veniā. Verū apud omnes promiscuè cōfessū est non modò Theologos, verum etiā Philosophos, Maximū Deū maximā esse bonitatē ipsā. Quapropter hac thesi suppositâ sic argumentor. Deus est infinitus & infinita bonitas, quæ nullis clauditur terminis, ergo plus benefaciendo, quam creaturæ perperam agendo poterit. Vnde quodcunque crimen spirituum adsignaueris atque produxeris in medium, illud perpetuò remissibile fuerit (vt ita loquar) ac venia dignum saltem de cōgruo, quemadmodum theologi loquuntur siquidem expediat bonitatē diuinam vtpote summam eique cōueniat latissimè semper diffundi, quod bonitati peculiare propriumque visitur, & expaciari. Quam ob rem spirituum ordines vtpote creaturæ, quum finitæ sint, actiones quoque pariter finitas habeant oportet, ac ita per consequens quodcunq; delictū adsignaueris, illud erit necessariò finitū & ab infinita bonitate redimi poterit atq; reparari. Nec obstat, si dixeris erratum creaturæ deprǣhendi mox infinitum, si cum obiecto læso quod infinitum est nempe Deo, conferatur: id inquam non obstat, quoniam hoc pacto quælibet hominum crimina forent infinita nec ab optimo Deo remitti debere. Proinde Lucifer esto concupiuerit æqualitatem Dei idque spontè, data opera, nec ab alio seductus aut persuasus. Sanè delictum illud esse ma-

ximum omnium quæ vel dici vel animo concipi possũt, neutiquã imus inficias. Atqui demus vltro similia talia vel maiora, si maiora dari possent, eundem commisisse: demus inquam hoc libenter, attamen maior etiam num longè diuina fuerit bonitas, quæ singula sic perpetuò cõcludit itaque complectitur, vt interim ipsa à nullo prorsus ente claudantur. Hæc fortassis argumenta compulerunt Origenem alioqui virum in Ecclesia Dei celebrem, vt impios ad vnum omnes vtcunque pœnis adiudicatos æternis aliquando seruatum iri censuerit. Nec interim hæserunt animo tremenda verba Christi Domini seruatoris illa: ite maledicti in ignem æternum. Quocirca pro dissolutione tam perplexi nodi confugiendum est ad cõmunes peripatheticorum hyppotheses. Ad actionẽ producendam non modò vis requiritur agentis, verumetiã passi recipientisque dispositio siue præparatio. Nam in corporibus inanimatis vtpote rerum intelligentiũ præsertim à materia diuulsarum effigiebus & idolis, scilicet à quibus exordiri vel auspicari conuenit, quotiens indagandæ rei cuiuspiam diuinæ prouinciam suscipimus: in corporibus inquam inanimatis perpetuò conspicimus malam passi siue recipientis habitudinem, eo nonnũquã progredi, vt ad effectum imprimendum ab agente seu formam suscipiendam habile reddi nequeat amplius & idoneum. Exempli gratia, semẽ ex quo gigni debeat animal si vitij quàm minimùm in se contineat, à natura corrigi potest, & ad conceptum effingendum erit aptum. Porro si colliquatum fuerit adeò vel corruptum, vt à natura subigi nequeat, sanè tum inefficax redditur, & actionem eludit efficientis causæ, pariter ac eius actionẽ facit irritam. Idem de sanguine quanlibet bono medici scriptum relinquerunt, præcipuè quotiens extra venas funditur. Idem planè cernitur in omnium subiectis artium. Age Transeamus iam ab imagine ad exemplar. Deus maximus iure prædicatur omnipotens, cum alioquin aliqua præstare nequeat, idque neutiquam arguit impotentiam agentis, sed indispositionem eius quod recipit.

cipit. Quapropter etsi Deus (verbi gratia) vult omnes homines fieri saluos, attamen praua quorundam dispositiō particularium impedit, quò minus id quod alioquin anxiè cupit (mihi liceat ita loqui) non adsequatur. At quænam est isthęc praua dispositio? Voluntas adfecta perperam optimo Deo seipsam opponit. Quò fit, vt ipsa quoniam ab entitate vera tantisper abscedit, minus esse mox incipiat, ac prius. Itaq; statim eo casu minus est ac prius erat, & imperfectè magis operatur. Deinde si malè volēdo vel eligendo pergat summoque reluctetur opifici, sēsim ab eo magis atque magis diuellitur, ac ita continuò minus esse desinit minusque participes entitatis operationes depromit. In summa tandem eo miseriæ venit eoque prolabitur entitatis exiguæ, vt subsidio diuino quanlibet potenti reparari vel instaurari nequeat. Ad id minimè primi rerum omnium conseruatoris arguit impotentiam, sed imbecillitatem culpamue subiecti detegit, quod quidem subiectum propria segnicie, vel malitia prolaberetur atque rueret in nihilum velut horrendum præceps, ni diuina prouidentia statim pręsto foret labētique naturæ suppetias ferret. Vt enim donemus diuinā opem vtcunque validam superesse neutiquam posse restituendis hominum primæuo statui voluntatibus, scilicet quotiens propria malitia iam ad extremam cordis obdurationem peruenerunt, ita profectò non imus inficias diuinam eandem potentiam euitare posse, quò minus idem animus vtcunque propria culpa deprauatus prouoluatur atque sponte sua ruat in nihilum. Hinc homines huiusmodi velut extra spem conuersionis omnē positi, diuina iusticia nimirum id poscente, pęnis adiudicantur æternis, vbi sempiternus horror inhabitat. Porro quo duritiies longa temporis intercapedine propria malitia perueniunt homines, eo vel in instanti venerūt prauæ spirituum voluntates: scilicet quoniam benè vel perperam agendo magna plus efficit intelligentia vel in instanti, quam aliquot lustris imbecilla cognitio præstare queat. Cæterum optimus Deus opera data nōnullis gra-

tiam seu rectè agendi præsidium subtrahit, ne quidpiã incassum agat. Proinde si Pharaoni diuinum quidquam cõferre potuisset prẽsidiũ, si nõdũ peruenisset ad extremũ obdurationis terminũ, profectò nusquã eum deseruisset. Vnde cũ esset omnino deploratus cõsultò gratiã subtraxit, atque ita de repente coniectus imò sponte sua lapsus est in reprobum (vt scriptura loquitur) sensum, hoc est, in extremam duritiem impegit, in quam vel adsistente gratia dubio procul incidisset, quanuis paulò tardius forsitan quando nunquam deesse nobis opem diuinam, quandiu conuerti possumus, cùm diuinæ bonitati, quæ necessariò diffunditur ad extremos vsque fines entitatis, tùm humanæ rationi saltem exercitatæ prout conuenit, omnino consentaneum apparet.

Qui nobilitatis habitus ad bona vel sublimia nos peragenda concitet atque pelliceat, cum ad mala patranda fomitem nos inclinantem intra nos metipsos perpetuò circonferamus. Caput V.

THeologi passim malã nobis inesse qualitatẽ ad mala patrãda iugiter incitãtẽ, & inclinãtẽ adserũt, quod quidẽ nos indies experimur, quando magis ad mala, quã ad bona procliues videamur. Hanc porro malã adfectionẽ seu dispositionẽ ipsi fomitẽ nuncupãt, quippe quem a scelere primi parẽtis cõmisso cõtra naturæ totius authorẽ originẽ traxisse prorsus autumãt. Proinee mala qualitas isthęc siue fomes cum hominibus promiscuè singulis insit, siue nobiles ij fuerint aut ignobiles, liquidò videtur omnes indiscriminatim ad mala patrãda potius inclinari quã ad bona per igẽda. Quò fit, vt omnes æqua lãce veniant ignobiles appellãdi. Durus est hic sermo. Ratiociniũ difficile visitur. Altius hic exordiẽdũ est, quãdo mi-

minimè iudiciũ videri plebeũ oporteat, quod hâc litem prout cõuenit, dirimere queat. Vulgò prædicãt hominẽ ad instar mũdi cõditũ fuisse, paruũq; mũdũ eũdẽ vocitãt, nec immeritò quãdoquidẽ exquisitè cũ ipso mũdo similitudinem sortiatur: quod quidẽ cũ à scriptoribus quãplurimis non vulgaribus ostẽsũ sit atq; declaratũ, hic nec in eo nec alterius præconio cuiusquã indiget. Ergo tantũ ea tractemus & adgrediamur, quæ nostro cõducũt instituto. Astrologi docẽt sphærã vnãquãq; cæleste vno tãtũ excepto mobili primo duplicẽ sortiri motum atque ita per cõsequẽs motorẽ quoq; duplicem. Sanè motũ ab oriente in occidentem, motũ raptus appellarũt, propterea quod minimè proprius videatur alicuius orbis particularis, sed omnibus promiscuè cõmunis, etsi proprius mobilis primi visitur, qui dum singulis viginti quatuor horis in gyrum vertitur, ita cæteros orbes nẽpe quos ambit & includit, vna secũ rapit. Vnde tota cælestis machina tẽporis eodẽ spatio vertitur. Atqui motor proprius vniuscuiusq; sphæræ cõtra niti videtur perpetuò quãdoquidẽ in oppositã partẽ propriũ continuò voluat circulũ, & si termin⁹ motionis plurimũ differat. Nã sol exẽpli gratia vni⁹ anni spatio propriũ absoluit circulum, luna verò viginti octo diebus & horis paucis. Alię pariter spheræ proprios habẽt motionis propriæ limites. At quorsũ hæc inquies. Duo sunt in homine principia, nẽpe corporis & animæ, quãdoquidẽ ex hisce cõflatus appareat. Hæc harmonia, hic rithmus, hic mutuus vtrinq; cõcẽtus bifariã turbari vitiariq; potuit. Nãq; vitiata semel vniuersi corporis tẽperie cõfestim animus propria natura quãlibet incorruptibilis vexatur, scilicet quòd similitudinis ratione partiũ vtrobiq; multipliciũ, miris modis ipsa mẽs hominis erga corpus afficiatur, interitui quãtũuis obnoxiũ, quod quidẽ vnus Plato (quod sciã) animaduertit, nec id præsagire vel ariolari nedũ coniectari potuisset, ni diuinũ planẽ sortit⁹ fuisset animũ. Adpẽsũ redeo. Mẽs humana miris adfecta modis erga corpus, auet corporeas percipere species: Id verò nequit absq; corporeis instrumentis quæ

Q 3 sen-

ſeſoria vel organa ſentiẽdi vocitãtur. Quapropter vitia-ta corporis vniuerſi vel particulæ cuiuſpiã temperie, læsũ iri cõtinuò noſtrũ intellectũ naturalis diſcurſus omnino ſuadet, quandoquidem earum interuentu vel adminicu-lo (nec ſecus humana mens iſthæc ſenſibilia quaſi per fe-neſtram luſtret ac intueatur. Quid igitur mirũ, ſi fomes à theologis ita vocatus, quippe quẽ in opere cui de amo-re & felicitate titulus inſcribitur, nos nil aliud eſſe quã vnius corporis malam intemperiem ſiue malam com-poſitionem edocuimus: quid mirum inquam, ſi fomes, id eſt, mala compoſitio vel intemperies corporis, mentẽ vtcunque perennem laceſſat atque iugiter perturbet? Hæc eſt aduerſus humanum ſpiritum pugna carnis con-tinua, cuius totiens cùm in ſacra pagina tùm etiam à patribus orthodoxis fit mentio, de qua Diuus Hierony-mus inquit: carnis continua pugna, ſed rarò victoria. Sa-nè modus hic contagij quo mortales inficiuntur, planè quotidianus eſt; & vulgò receptus. Alio modo primus parẽs noſter in errorem velut in ſcopulum impegit pro-priamque labefactauit naturam. Nanque vitium homi-nis non à corpore, ſed ab animo primum incepit. Vbi enim diuinam æqualitatem adfectauit, & anthori ſeip-ſum oppoſuit, ilico mens humana quanlibet perennis multiplici tamen patium incorporearum connexione (ſic fari liceat in rebus difficilimis) vel adgregatione cõ-flata, ſed tamen admirabili concentu corporis harmo-niam compagemue plurimum exuperante mens inquã humana poſtquam contra proprium conditorem ad in-ſtar muli calcitrauit, à ſuo naturali decore confeſtim di-ſceſſit & vniuerſa partiũ harmonia, quæ prius admira-bilem parturiebat rythmum, diſſentientibus adinuicem ipſis ijſdem partibus in monſtruoſam quandam laruam degenerauit, atque ita corporis vniuerſi particulis litem atque diſſenſionem immiſit. Quò fit, vt ab eo tempore ſemper in humanæ naturæ republica (ſic fieri cõcedatur) lites atque diſſidia fuerint. Adeò non ſolùm inter ſe non conueniunt corpus & anima rationalis, verumetiam

cor-

corporeæ poteſtates pariter ac rationalis facultatis particulæ ſemper inter ſe diſſentiunt: ſiquidem rarò volūtas eligere cupiat, quod intellectus adprimè comprobat, & eligēdū eſſe dijudicat. Quinetiā in fabrica corporis rarò cordis temperies cum alijs viſceribus præcipuit conſentit, quandoquidem experientia teſte ſi iecur calidum fuerit, cor aut cerebrum plerunque frigidum eſt. Item ſi cor humidum offenditur, epar pluries ſiccitate ſua protinus obſiſtit atque non niſi per accidens ac ſecundariò prodeſt. Itidem ferè ſemper iecur plus iuſto calidum in ventriculum immoderatè frigidum impingit. Deus bone quanta qualiſque viſitur in humana natura perturbatio? Iam ad nodi diſſolutionam meipſum accingo. Nobilitatis habitus in humana fabrica motoris proprij cæleſtium orbium vices gerit, fomes verò motorum primę ſphæræ repreſentat. Quam ob rem fomes vtpote motor vniuerſalis ad mala committēda ſingulos ad vnum homines concitans à ſenſibus & ab altrice facultate ſtatim exorditur, vt hac petulantia tumultuque facultatum inferiorum adinſtar ſeditioſæ plebis mentem Reginam in ſuum alliciat atque pertrahat obſequium. Contra nobilitatis habitus non à mēte, ſed à fontibus interioribus vtpote mētis Reginæ cubicularijs (metaphora nobis vbi liceat quod alioquin adriſit Auerrhoe ſaltem in rebus admodum difficilibus) initium capit ac ſubinde pede dētim in potentias inferiores deſcendit, atque ita ſenſim veluti ſeditiones liteſque plebis componens vni Reipublicæ totius paci ſtudet & impēdiò nauat operam. Adeo nobilitatis habitus fomiti, hoc eſt, intemperiei vel prauę compoſitioni ſtrenuè ſeipſum opponit ſpiritui fauet, manus ei præbet auxiliares, atque cum aduerſantibus menti potentijs inferioribus indeſinenter atq; iugiter altercatur. At ignobilitatis habitus ſicuti non ſemper indulget fomiti, quemadmodum nec perpetuò cum Regina mente prælium committit, ita plerunque mentis aduerſario nempe fomiti faciles (vt ita dixerim) præbet aures & eidem ſi nō apertè ſemper, certè clam adſentitur, quā-

do si non aueat mala, certè vilia semper exoptet, expe-
tat, atque præclaris actionibus eadem anteponant.

Difficilimum obiectum excutitur.

CAP. VI.

VErùm esto, nobilitatis habitus in ijs qui progeniti sunt claris parentibus aut propria virtute cõquisierũt eũdẽ habitũ: igniculus inquã ille cũ fomiti perpetuò colluctetur & eius vires imminuat tantisperque retũdat, præterea retrogrado modo progrediatur, quando fomes interuẽtu potẽtiarũ inferiorũ perturbet superiores facultates: cõtra verò nobilitatis habitus à superioribus initiũ capiens infernarũ partiũ tumultus atque seditiones nõ arceat quidẽ aut eliminet, sed tamen interea vel acriter oppugnet, cohibeat, atque pro virili sua coerceat. Esto cõdonẽtur isthæc omnia tãquã inuẽta minimè fortassis cõtẽnẽda. Verũtamẽ vix explicare possis modũ, quo fieri possint eiusmodi. Nãq; progeniti passim à claris parẽtibus, ab eisdẽ velut hæreditario iure trahũt nobilitatis habitum. Proinde quæritur, an ab eorũ intellectu transfundatur in intellectũ nostrũ, an ab earum mente propagetur in corpus nostrum hoc est, in inferiores animæ nostræ potẽtias in carne delitescẽtes ac interitui pariter obnoxias. Quòd si hoc fieri nequeat, subinde venit inquirendum, nunquid à progenitorum carne, id est, à potestatibus eorundem inferioribus animæ, in nos ipsos aliquo modo transfundantur. Exordiamur à primo mẽbro. Non posse talem habitum ab eorum mente deriuari modo quopiam, in eorũ natos inde deducitur, quòd humanus intellectus in procreatione sobolis parentũ semini neutiquã insit, nec è potentia materiæ (quemadmodũ peripathetici loquũtur) efficiẽtis agitatione sensim educatur. Vt enim missa faciamus theologorũ fideiq; catholicæ decreta, vel ipsimet peripathetici qui saniorẽ sortiti sunt mentẽ, vltro cõdonãt atq; libẽter admittũt, in pro-

crea-

creatione fætus accedere deforis humanum intellectum & proprium eiusdē opus cum actione corporea nullum habere cōmercium. Quò fit, vt in eum à progenitoribus proxime nullus transfundi queat habitus. Qui igitur obsecro progredietur à superiori potestate nobilitatis aut ignobilitatis habitus in inferiores animæ natorum potentias? At inquies ex carne parentū, habitus huiusmodi sensim in carnes natorū deduci, quādoquidem eorū mēbra cōflētur atq; coadceruētur cū ex virili fçmine iuxta Galeni sententiam, tùm ex mēstruo sanguine potissimū velut ex propria generandi fœtus materia. Verùm si hoc admittamus, qualis fuerit huiusce nobilitatis habitus à modo procedendi fomitis diuersus atque retrogradus? Præterea qui (dic sodes) habitus contrarij nempe fomes ad vitia concitans, & habitus nobilitatis alliciens & impellens homines ad excelsa peragenda in eodem subiecto scilicet in carne simul hærere poterūt? Hic alti⁹ exordiēdū est, præmittendæq; veniūt pro more nostro theses quædā, nēpe quibus iactis veluti fundamētis exædificare nobis tutò liceat altius. Experiētia cōprobatur, indies, ex parētibus podagricis progenitos podagra facilè corripi. Nā etsi semen à singulis minimè forsitā corporis humani particulis decidere creditur, sed animalis ipso sanguine paulatim in seminis naturam conuerso, formatricis opera virtutis animal producitur, nihilominus in eodē semine potētia cōtineri mēbra passim omnia, quæ fingi vel efformari debēt, nemo peritus & in naturali speculatione prout conuenit, exercitatus ibit inficias. Atqui mēbrorū paulò post efformādorū potētia latēs in semine nō in eiusdē crassiori parte, sed in spiritib⁹ vtpote proximis organis animę dubio procul cōsistere rationi coōsētaneū est: siquidē spiritus proximū atq; præcipuū animæ vehiculū cēseātur, organa verò corporis eiusdē animæ subiecta remota iure putētur. Adeò nōnulli similitudinis occasione decepti spiritus animā esse statuerunt. Audi nouam hyppothesim. Mulier pregnās si plus iusto fortassis aueat edtare fructus aliquos aut animalis particulus, nati frequen-

quẽter cũ eiuſmodi maculis enaſcuntur. Equidẽ huiuſce rei fidẽ abũdè poſſim facere, quinetiã idipſum ob oculos cõſtituere, ſcilicet ceraſæ claram imaginem in fundo vẽtris inferioris mei conſiſtẽtem, quando mater mea pluries teſtata fuerit, ſe tunc temporis cæraſas concupiuiſſe, dum vtero gereret, neque tamen appetitui quantumuis immoderato licuit indulgere propter iminẽtem hyemem, quippe quo tempore fructus huiuſmodi nõ offenduntur. Quinetiam ob ſimiles matrum imaginationes quidam in facie verrucas ſuillæ carni perſimiles geſtant. In ſumma reperias eiuſmodi quanplura, quæ breuitatis gratia prætereo. Rem ipſam iterum adgredior. Hactenꝰ inductione demonſtratiua probatum eſt, idola ſpiritibus tanquam organis animæ præcipuis infixa, tempore generandi fœtus imprimi quoque particulis eiuſdem. Quã ob rem habitus nobilitatis aut ignobilitatis etſi non hæret humanæ menti velut ſubiecto proprio, propterea quòd ipſa mens, corpus quidem ratione ſimilitudinis (quod ante dictum eſt) occaſione multiplicis partiũ adgregationis exoptet & modo quodam (non verè tamen) diligat ſed ipſa tamen vtpote corruptionis, & interitus neſcia, corporis eiuſdem qualitates à ſubſtantia propria procul eliminat: habitus inquam nobilitatis quanquam hærere nequit humanæ menti, nihilominus præcipuo figitur eiuſdem organo nempe ſpiritibus, quippe quibus ad corporea cùm luſtranda tùm etiam peragenda præſertim vtitur. Proinde fixus habitus eiuſmodi ſenſibus interioribus ſenſim ab eiſdem ſpiritibus, velutà propria ſede, ac pedetentim (vt ita loquar) certoque quodam ordine progreditur ad ſenſus exteriores, vtpote facultates animæ ſenſibus interioribus appoſitè ſubiectæ atque deſeruientes. Ergo licet vulgus id minimè capiat, verſatis attamen in altioribus diſciplinis impoſſibile neutiquam appareat ſeminũ atq; mẽſtruorũ ſpiritibꝰ inſidere nobilitatis habitũ pręſertim animalibus ita vocatis à Galeno ſpiritibus, videlicet in cuniculis & (vt ita dixerim) antris cerebri deliteſcẽtibus ſimul ac in tenuiori parte cerebri, ſicut

ſicut & ante ſeminis partibus hærebāt tenuiorib⁹. At inquies forſitā. Quo modo nobilitatis habitus inhęret ſpiritui mēſtruorū pcipuè verò ſeminis virilis vtpote ſpeciei ſeu formæ vices gerētis vel eiuſdē tenuiori parti, ita nimirum intemperies ipſa vel prauæ compoſitionis impotentia, ſcilicet fomes ita vocatus à Theologis, eiſdem ſeminis haud dubiè ſpiritibus adhæret, & in eis tanquam in domicilio proprio commorantur. Quò fit, vt etiamnū id eodem luto (quod aiunt) obuoluamur, quandoquidem in eodem ſubiecto nempe ſeminis eiſdem ſpiritibus, vel eiuſdem tenuiſſimæ parti duos è veſtigio pugnantes habitus nempe nobilitatem atque fomitem admittere cogamur. Atqui contradictio quæ nos laceſſit, è medio tollitur hunc in modum. Fomes à theologis vocitatus quippe quem in libro de amore nos, intemperiem, ſi pariter ac mala compoſitione eſſe docuimus, immediatè ſedem obtinet in craſſioribus potiſſimùm humanæ fabricę partibus. De bona vel mala compoſitione non eſt, quòd quiſquam ambigat, quando nulla prorſus reperiri queat in ſpiritibus compoſitio. Verùm intemperies ſicut in ſolidis particulis ita pariter in ſpiritibus offēditur, quod vna febris ephæmora palàm oſtendit, quæ non aliunde quàm ab vna ſpirituum intemperie proficiſcitur. Cæterū vt donemus temperiem ac intemperiem inſidere ſpiritibus atque ſolidis humanæ fabricæ ſicut & brutorum particulis, ita mehercle non inficiamur eaſdem nempe temperiem ac intemperiem vtpote proprias atque peculiares corporum corruptibilium adfectiones, hiſce corporibus conuenire minus multo quæ minus habent (vt ſic dixerim) corporeitatis, quam eis quæ corpoream magis redolét naturam. Porro ſapere minus naturam corporis vnum ſpiritum pręſertim animalem, quippe quem ſolam lumini Galenus adſimilat, in dubium vocare nemo ſanæ mentis auſit, quandoquidem vniuerſi natura, ſpirituum opera potiſſimum vtatur, quotiens incorporea, putà mentem humanam, corporibus adnectere vel copulare ſatagit. Adeò ſpiritus humani corporis præſertim

tim

tim animales à Galeno vocitati naturā ita præ se ferunt in corporeā, vt eiusdē ab eruditis quāpluribus participes omnino credātur. Ad pensum redeamus & epilogo breui, quæsito colophone imponamus. Intemperies & mala compositio, nempe vocatus à Theologis fomes, ad mala patranda concitans homines, crassioribus præcipuè corporis partibus habet sedem. At nobilitatis habitus humanæ fabricæ partem solummodò tenuissimam præcipuè spiritus occupat, præsertim animales ita nūcupatos à Galeno. Quam ob rem hic habitus & fomes diuersas nanciscuntur partes distinctaque sortiuntur subiecta. Nanque licet particulis cerebri tenuioribus atque spiritibus insit fomes, attamen presentia nobilitatis habitus efficit, vt in ea parte corporis quàm minimum operetur. Adeò contraria scilicet in actu remisso vel in eodem subiecto collocatum, nullum omnino putetur absurdum, aut inconueniens.

Nunquid ex nobilissimo quis in ignobilissimum euadere queat. Deinde num ignobilissimus migrare possit atque transformari semel in hominem nobilissimum. Caput VII.

AT num quispiam nōn ex nobili simpliciter sed ex nobilissimo transire migrareque possit, in ignobilissimum, hic nobis cōsultò perpendendum est. Habitus difficulter submoueri nemo est, qui nesciat. Proinde si difficilimum est nobilitatem simpliciter deleri vel adnihilari, quid obsecro de summa nobilitate tanquam inueterata magis censendum putas? Huic obiecto fieri satis posse paucis confidimus. Bifariam expungi potest habitus quilibet. Primò longa temporis intercapedine frequentatis atque reiteratis in contrarium actionibus: siquidem eo modo cassari delerique possit habitus, & eius-

eiusdem sensim introduci contrarietas, quo videlicet habitus idem ante conquisitus fuerat. At ille prior longa successione temporis agendo comparabatur, igitur & eodem modo demoliri potest, & contrarietas ita paulatim induci. Secundò quispiam exiguo tempore vim sibi ipsi maximam inferre potest, quæ longi temporis actiones vtcunque sedulò continuatas abundè supplere queat. Sicut enim inter indicationes nuncupatas à medicis curatrices, vna sæpe multis præfertur (nedum æquipolleat) aut æquiparatur, propterea quòd maiorem aut ęqualem obtineat vim atque potentiam, ita profectò contingit in habitibus conquerendis vel demoliendis. Item sicut aqua confertim adspersa vel affatim epota vel hoc supposito, quòd minoris agnoscatur quantitatis, multò magis affligit, ac longè maior eiusdem frigidę quantitas longo tempore, simul ac paulatim deglutita, sic humanę passim actiones violentę in habitibus conquirendis momento nonnunquam plus efficiunt, ac repetitę longo temporis interstitio pluries. Itidem sicut in ciuilibus actionibus vnicum delictum magni momenti pluribus exiguis vtcunque non solùm ęquiparatur & ęquipollere creditur, verumetiam pręferri sępe consueuit, ita nimirū in cęteris habitibus conquirendis atque dissipandis euenire solet. Nanque multa furta pauci momenti cedunt vnico prępotenti. Verbi gratia si furetur quispiam escas aut pecunię quantitatem exiguam pluries, is ita delinquere non creditur ac ille, qui mille ducatus vna vice sustulerit. Nam morti fures adiudicantur, quotiens habitum furandi contraxisse vel adquisiuisse pręsumuntur, alioqui minimè suspēderentur. Vnde qui magnam pecuniarum quantitatem seu magni precij merces, quemadmodum monilia lapidesque diuersi generis preciosas occultat, & furatur, hoc ipso quòd agredi vel patrare maius audeat scelus, optimo iure censetur habitum furandi maiorem adquisiuisse mentemque magis occubuisse, pręsertim si magna furandi difficultas magnaque vafri-

fricies atque calliditas accesserit in hoc turpi facinore committendo, quandoquidem astutia maior atque facinoris difficultas altiores habitum egisse radices, & inueteratum esse magis palàm denunciet. Adhæc crimina quæ maiestatis læsę vulgò nuncupantur, eandem ob causam acrius & acerbius castigãtur: siquidem actionis magnitudo siue difficultas quemadmodum in bonis atque laudabilibus actionibus maiorem promerentur laudem, & generosiorem animi deliberationem atque constantiam indicant, ita per contrarium in sceleribus committendis crimina læsæ maiestatis vocitata maioré obstinationem, animi pertinaciam atque deliberationé perpetuò male faciendi nobis impendiò non insinuant quidem imò palàm attestantur. Atqui sicut nobilissimus transformari potest in obscurissimum hominem, nedũ in ignobilem simpliciter, vtique rationi prima fronte saltem consentaneum videatur, ex obscurissimo nedum ex ignobili simpliciter aliquem in hominem euadere posse clarissimum atque nobilissimum, quando contrariorum eadem disciplina seu lex existimetur. Veruntamen res longè aliter habet ac nobis prima fronte se offerat. Ad construendum aliquid requiri multa, ad demoliendum autem vnum sufficere, Logici nos edocẽt, quod alioquin in artibus mechanicis petitum atq, decerptũ fuisse videtur. Aedificãdorum ædium periti norunt, quã difficile sit exædificare vel construere, quum alioquin omnium hominum imperitissimi peritissimis architectis in demoliendo deuastandoque quod operosè summaque pariter industria constructum est, ne latũ (quod efferri vulgò consueuit) vnguem cedere velint. Itaq; nobilitatis habitus adquisitio constructioni persimilis visitur, quando multa pariter ac egregia requirantur, vt nobilitas vtpote pretiosa res comparari possit. Ad cogitanda verò mala sicut & ad eadem peragenda paucis duntàxat exceptis casibus, nempe quibus a trociorem lõgè pœnam ij promerentur, qui talia committere præsumunt: Ad mala inquam cogitanda siue patranda cum ad eadẽ

vltro

vitro fomitis interuentu quasi rapiamur atque detrudamur (vt sic dixerim) ita labor haud effatu dignus conspicitur, vt insuper magna ex parte delectationem & amenitatem quandam in hisce peragendis experiamur, quãuis vbi commissa fuerint, confestim ab eis patratis mærore (lancinnante nos metipsos conscientia) subinde cõsequatur, tametsi non desunt, qui vicem suam à facinoribus vtcunque detestabilibus commissis ita non doleant, vt insuper lætentur atque gloriëtur, quasi præclari quidpiam egerint. Accedit quòd ijdem si fortassis exequi nequiuerint, quod iamdudum animo conceperant, grauiter ingemiscant, & iniquo admodum animo ferant, quòd impediti fuerint, quò minus agere perperam eis licuerit tantum abest, vt conscientiam tortorem in bonis asperrimum extimescant. At ij planè deplorati sunt, & insanabiles, & in reprobũ sensum (vt sacra pagina pronuntiat) si non coniecti certè de proximo conijciendi veniũt, ni protinus resipuerint atque confestim ad seipsos redierint, quandoquidem hoc casu planè credantur extra seipsos velut in horrendum præceps quoddam excurrere. Quò fit, vt similes vbi semel aut his admonueris, prognostico solo dimittendi veniant, quemadmodum de morbis nullam admittentibus omnino curationem Galenus enuntiat. Quam ob rem ex obscuro nedum ex obscurissimo quenpiam in clarissimum euadere, nedum in simpliciter nobilem, homini plane videatur impossibile, quanuis ex nobilissimo migrare seu transformari queat in obscurissimum, & ignobilissimum.

†

Quo

Quo casu quispiam obscurissimus vtcunq; possit in clarissimum atque nobilissimum euadere. Caput VIII.

ATqui non multò ante nostra tempora contigit rusticos aratro deserto non ita multò post in magnos euasisse Principes idque propria virtute præclarisque gestis. Primus etenim Sfortia Mediolani Dux fuit aliquando rusticus vitamq; transigebat rusticam, quippe cuius nomen excidit è memoria. Is a milite quodam inuitatus atque cohortatus aratrum deserit, militiam insequitur, egregiè se gerit. A paucis annis vbi multa strenuè fuisset exequutus, quę priuatus miles pręstare poterat, paucis quibusdam pręficitur militibus. Admirationi cępit esse plerisque, quod intrepidè prudenterque gereret omnia. Paulò post in Imperatorem militum aliquot putà ducentorum aut trecentorum eligitur. Consueta pugnandi norma clarior in dies euadit. Longè plurium habenas, verbi gratia, duorum aut trium millium incipit moderari. Feliciter omnia succedunt. Eo tempore celeberrimo Venetiarum inseruiebat dominio contra Mediolenses, à quibus nescio quam ob causam expulsus exulabat. Allecti virtute tanti ducis. Veneti suaque prudentia freti protinus eriguntur in spem occupandę Mediolanẽsis vrbis. Proinde Sfortiã in sũmũ totius exercit⁹ Imperatorẽ eligũt. Hui⁹ auspicijs obsidetur Mediolanũ. Post multos menses itineribus vndiq; circunseptis, nẽpe quibus in vrbẽ inuehi vel importari cõmeatus poterant, inedia pressi Mediolanenses deditionem parant atque moliuntur. Verùm spe frustrati conseruandę libertatis vbi iugum imminere necessarium animaduerterent atque Venetos (vt fit) capitaliter odissent, nec adduci possent, vt eius imperio (nisi fortassis necessitate coacti) colla subderent, consilium ineunt, & Sfortiam vtpote suum alum-

alumnum quantumuis exulem in suũ eligunt Principẽ; & hostis Imperatoris animum ita sibi ipsis deuinciunt. Sfortia conditionibus acceptis eorum interuentu legatorum, in vrbem triumphans apparatu magno ciuium electus Princeps ingreditur. An egerit rectè vel perperã, hic in controuersiam id vocare non ausim, hoc tamen ex hystorijs colligimus, scilicet eũ in eo Principatu præclarè seipsum gessisse. Qualis porro sit ea Prouincia, non solum Vrbs verum etiam orbis penè totus nouit. Adeò nos vno tantùm exemplo videamur ostendisse nihil impedire quò minus aliquis ex obscurissimo successu temporis in clarissimum atque nobilissimũ euadere queat, tametsi rarissimè visuntur huiusmodi. Sed quid obsecro dicemus de viris vitę sanctitate cõspicuis alioquin ex obscura stirpe progenitis? Si qualitas intrinseca vel habitus exantlatus longo tempore laboribus adquisitus ad bona simul, & excelsa concitans hominem, & alliciens atque ita fomitem aduersarium coercens, eum qui prius fuerit obscurus, nobilitat, quisnam obsecro sanctis viris nobilior & illustrior? Omnium sanè nobilissimi iure credantur vitæ sanctitate conspicui, quando præstantiorem illustrioremque possideant habitum ad sublimia nos erigentem maioremque sortiantur vnitatem atque consensum animi partium, quæ quidem vnio nimirum extrinseca diuinitatis ope vel subsidijs, intemperiei corporis & eiusdem prauis dominatur adfectibus fomitemque iugiter compescit ac sedat tantisper quamuis eundem expungere vel adnihilare nequeat. Adeò perfecti sanctique longa tentationum pugna carnem ita domuerunt atq; prauum fomitis habitum, quippe quem delictum primi parẽtis inuexit, vt contra spiritum ab eo tempore videlicet quàm minimùm ea spiritui restiterit, ac ita deinceps ijdem sancti difficulter raroque vel oblatis vltro frequenter occasionibus ad veterem redierunt hominem, quemadmodum sacra pagina pronunciare consueuit. Ergo nihil vetat quò minus ex obscurissimo nedum ex ignobili simpliciter quispiam euadere possit in clarissimum nedum

in simpliciter nobilem, quod quidem è vestigio cum eis pugnare dignoscitur, quæ nuperrimè proximo capite retulimus. At ita conciliandę veniunt hæ decisiones, nepe quòd virtute propria, hoc est, solis naturæ viribus qui primò fuit obscurus, adipisci potest illustrem habitum fierique nobilis vtcunque, sed tamen clarissimus atque nobilissimus euadere nequeat, ni deforis insigne quodpiam auxilium accedat, quod vires humanas vtpote suapte natura languentes & imbecillas ad huiusce dignitatis apicem fastigiumque promoueat. De Sanctis quod in similes excrescere nequeant absque diuino fauore forinsecus adueniente, nullus inter Christicolas ambigit. quin etiam apud eos constans opinio visitur, quòd potestates atque Principatus omnes non nisi diuina prouidentia mortalibus obueniant, iuxta illud. Omnis potestas à Deo est. quapropter non omnis Princeps nobilis est, quod omnes ad vnum (saltem ex his, quos perlegi) qui de nobilitate scripserunt hactenus autumant, quod quidem hoc postremo huiusce operis libro diuinis freti subsidijs delucidè commonstrabimus. Vnde ratiocinium huiusmodi (meo saltem iudicio) nihil concludit: Hic est Princeps, Rex, aut Pontifex, ergo nobilis: nihil inquam huiusmodi probat illatio, quandoquidem ob scelera populi Deus quanlibet ipsa bonitas procuret erigi pastores aut Reges idque, vel opera data (quod aiunt) qui sint ignobiles vel eo ipso tempore videlicet, quo Principes, Reges, aut Pontifices vtcumque legitimè creati dignoscuntur.

Quid vafrè Sathan imponat nobilibus.
Cap. IX.

SErpēs antiquus humani generis hostis adinstar astuti Ducis militum, quotiens certamen init cum hominibus excelso pręditis ingenio, non oscitanter, aut quasi per incuriam imò versutè nimis eosdem adoriri tendat. Proinde nobiles vtpote magnanimos vno clagitatis

ritatis nobilitatisue tuendæ prætextu frequenter in æternę miseriæ foueam (vt sic dixerim) conijcit. exempli gratia, priuatis militibus (proh dolor) vlciscendum esse persuadet, quasi pertineat iniurias vlcisci potissimum ad nobiles, atque hanc esse magnanimitatem fucatis eiusmodi per bellè depingit colorib᷈. Virtus quo magis circa difficilia versatur eo maior velà Philosoho dijudicatur, cuiusmodi sunt magnaminitas, atque magnificentia, siue fortitudo, quæ præcellentes ostenduntur in Ethicis virtutes idque potissimum vnius occasione difficultatis At vlcisci præcipue graues iniurias præsertim à nobilib᷈ atque potentioribus illatas, quæ nobilitatem obscurant, quippe cui debetur honor, tantum abest, vt probro veniant adficiendi vel obscurandi: graues inquam iniurias vlcisci difficilimum apparet sicuti reuera difficilimum est, & hoc pacto clarescere nobilitas visitur, quotiens illatum, dedecus (iniuriam enim esse dedecus vltro supponunt) velut caliginem nobilitatis habitum obscurantem & ei tenebras offundentem, audacter vel summo discrimine mortis repellunt. Hæc Serpens lenocinia dapum nobilibus mandenda siue triturãda scilicet vno prætextu virtutis obtrudit quippe quo vitij genere præ ceteris Prouincijs vna miserè conflictatur Italia. Dic sodes, qui continuò nobis insusurrãti faciles bono genio non præbent aures, nempe condonare graues iniurias præcipue propter Christum dominum decere viros fortes, & hanc esse reuera fortitudinem atq; magnamitatem excellentem? Alloquamur in pręsentiarum Atheistas & infedeles. Nonne Plato diuinus vtcunque religionis christianæ nescius iniuria quempiam adficere, vilissimum atque sordidissimum esse solidis comprobauit rationibus? Nunquid non ex eodem authore colligitur iniuriam æquo animo sustinere pariter & contumelias despicere magnanimi fortisque viri proprium videri? Interea callidus idem humani generis inimicus lentam ac viscidam in os Principum offam inijcit, nempe Tyrannicum illud Cæsaris dicterium: Si

violandum est jus, imperij gratia violandum est, scilicet quo susurro vtrunque pestilenti, demum occasione data frequenter & arces & vrbes occupant, quippe quas vbi diutissimè per vim retinuerint, tandem allegant in mediumque producunt longi temporis præscriptionem, aut si fortè nondum tempus annorum viginti vel triginta præterierit, aiunt id eis licuisse iure status conseruandi, quanquam a iure ciuili multoque magis à iure naturali primæuo, vel iure gentium dissentiat, & eisdem hoc ipsum obluctetur. Amabo quis adeo perfrictæ frontis hanc status legem inuexit, aut commentus est turpiter? Si Lucifer aut Sathan seipsos in homines vel angelum lucis transfigurarunt, nunquid possent hoc enuntiato quidquam obscænius eloqui vel effingere seu detestabilius expuere, excreare, vel euomere? Turpis est (inquies forsitan) hic loquendi modus. Atqui turpibus tyrãnicisque dicterijs turpia pariter verba congruunt, scilicet vt suum patella (quod est in adagio dignumque nanciscatur operculum.

Aynes præfecti generalis Iesuitarum in oecumenica Synodo Tridentina mirabilis diabolicæ fraudis detectio. Caput X.

ATtende lector inpræsentiarum admirabilem diabolicæ fraudis calliditatem in æcumenica synodo Tridentina. Mirus Episcoporum corda feruor inuaserat disquirendæ veritatis huius articuli: Nunquid Episcoporum residentia propriæ diocœsis pertineat ad ius diuinum vel ad Pontificium siue canonicum. Nanque si iuris diuini censeatur, haud fuerit potestatis hominũ nẽpe summorũ Põtificũ amouere propriũ Episcopũ a sua diocæsi, quod alioquin sæpenumerò faciũt ijdẽ summi Pontifices, quandoquidem Episcopis aliquando residentiam interdicant, & eos eligant in legatos, quippe quos

in

in diuersas prout ex bono reipublicæ Christianæ futurū dijudicant, prouincias transmittunt ad magnos Principes, vt negotia Christianæ religionis tractent, quemadmodum olim fecisse Petrum apostolum, Clementem, ac Linum & sic de singulis, rationi consentaneum videtur. Quinetiam hoc semel dato prima fronte saltem, necessariò consequi videbatur, omnium beneficiorum siue redditUum collationes Ecclesiasticorum, non ad Romanum Pontificem Petri successorem legitimum, sed ad vrbis illius Episcopum pertinere, in qua redditus illi fuerint Ecclesiastici, quos beneficia vocitant. Equidem eo tempore prius quàm Ecclesia quidquam hoc in negocio de residentia definiret, curaui tractatum excudi, cui de residentia Episcoporum titulus inscribitur, in quo residentiam esse iuris diuini, sic edocuimus, vt interea non solùm collatio redditUum ad Romanum spectet Pontificem, verumetiam Episcopum eundem teneri parere Romano Pontifici: siquidem obedientiam & obsequium eidem præstare, non minus iuris esse diuini censeatur (imò magis forsitan) quàm in vrbe proprium Episcopum residere. Quam ob rem Aynes Iesuuitarum præsul ad Episcopos in summo templo vrbis Tridentinæ verba faciens in hanc sententiam apposité disseruit. Hostis humani generis pro varietate hominum quos tentat, varias adstruit insidias atque diformes comminiscitur technas, quandoquidem exculta disciplinis ingenia pariter ac elaboratæ vel exercitatæ mentes longé maiores expostulent tentatoris conatus, vt seducantur, & in prauas trahuntur opiniones. Porro Serpens antiquus, quia sibi rem agi cum eruditissimis, & ad bonum Christianæ totius reipublicę publicum propensis vnaque vigilantissimis Pastoribus animaduertit, callidissimè propterea vel vno prætextu pietatis persuadere nititur, vt in primis excutiant sedulò, num Episcoporum residentia iuris diuini censeatur, quia si iuris diuini fuerit, opera Pontificis inde distrahi, diuelli, vel impediri non poterunt, quò minus

gregem indesinenter continuoque pascant. Attendite, Patres, diaboli vafritiem qui pietatis hoc pretextū pascēdi gregis, membra distrahere nititur à proprio capite. Nam ita singuli passim Episcopi, summi pastoris obediētiā detrectare pariter ac eludere poterunt. Verum enim verò malorum omniū, quæ cōtingere possunt in Ecclesia Dei quo nam obsecro detestabilius, aut magis perniciosum animo concipi potest, quàm à capite membra diuellere? Nonne Diabolus in omnibus hæresibus quanquam inter se perpetuò dissentiunt, semper tamen in hunc vnum collimat scopum, vt Ecclesiam Christi domini reddat acephalam? Atque hæc de callidis diaboli susurris, nempe quibus hominibus præcipuè nobilibus & excelsò præditis ingenio frequenter imponit ab Ayac. Iesuuitarum præsule dicta sufficiant.

Quæ sint omnium creaturarum ignobilissimæ. Cap. XI.

INter nobiles creaturas quænam præ cæteris nobilissimæ dijudicētur, inter philosophos atque theologos per bellè conuenit, scilicet eas videri, quorum natura primi subiecti, quod materia prima vocitatur, cōtagium (vt ita dixerim) atque deformitatem effugit. quò enim magis accedunt res deformitati, eo viliores & obscuriores euadunt, Vnde nimirum substantiæ penitus à primo subiecto diuulsæ deformitatis vtpote cuiusuis ac vtilitatis expertes meritò nobilissimæ censentur, & quò magis accedūt authori primo formositatis indiscriminatim omnis vberrimo fonte, dubio procul eo magis clarēt atque nobilitātur. Hinc in hyerarchia cælesti Dionisius Areopagita mentium separatarum adsignat discrimen pro varietate functionum vniuscuiusque; quod quidem eis non nisi reuelationis interuentu potuit innotescere. quandoquidem ea sensum penitus & lateant, & effugiant, atque ita naturaliter nostrorum

opera

opera studiorum addisci nequeant. Itaque satis inter Peripatheticos atque theologos de nobilioribus creaturis quænam eæ sint, in genere saltem conuenit nempe quòd eiusmodi iure putentur à squalore lituque primi subiecti vindicatę mentes diuinæ, quippe quarum Deo proximiores præstātiora passim obeunt munia, Deoque magis fruuntur, nobiliores iure cæteris existimantur Veruntamen quæ creaturarum omnium ignobilissima veniat adpellanda, non perinde conuenit inter ipsos: siquidem Peripathetici videantur innuere, quinetiam attestari palàm in forme, pariter ac deforme subiectum primum protinus, censeri vilissimum & ignobilissimum quæcunque natura constant omnium. at hæ omnes promiscuè substantias intelligentes nobilitate cæteris anteire, quæcunque sunt. Equidem crediderim (vt quod sentio fatear ingenuè) substantias intelligētes liberi præditos arbitrij prærogatiua si perperam agere satagant, & eodem abutantur arbitrio: crediderim inquam eas informi subiecto primo longè defermiores atque ita per consequens ignobiliores existere, quod ita probatur à simili. Sicut homo ratione passim abutens peior, deformior, & ignobilior est pecude, quia contram propriam agit naturam, bestia verò secundum naturam operatur, quidquid operatur, ita mediusfidius idem homo vel Angelus eadem ratione prorsus, materia prima quantumis tetra longè fuerit ignobilior quando subiectum primum suapte natura tale dignoscatur. Probatur hoc idē, quia quicunque de industria vilitatem atque deformitatem eligit ac induit & propria substantiæ connaturalem pulchritudinis claritatisuè clamidem (vt sic dixerim) exuit, is propterea poenam meretur, quia fædius non hallucinatur propriè quidem, sed vltro pro viribus abertare contendit: At quod existit propria natura tale, sicut materia primò nec hallucinari, nec erratum committere potest, Ergo minime detestandum culpandumque veniat, quod adpareat deforme, quinimò probandum, quia quidquid est, illud secundum naturam est;

intelligens verò substantia vel opera datā, deinc contra naturam, contraque pariter eiusdem authorem naturæ velit esse vilis ac deformis. Quam ob rem etsi dum in viuis est homo quantumcumque sceleratus, attamen etiā-num non intelligentibus nobilitate præfertur: siquidem adhuc in eo statu reperiatur, in quo resipiscere pariter ac primæuo simul & connaturali suo decori possit restitui; nihilominus vbi migrauerit hinc, & pœnis adiudicatus fuerit æternis, ac ita callum nequitiæ semel obduxerit; quo casu reparari nequit amplius, quinimò deformis perpetuo futurus est, vbi inquam ex humanis abscesserit primo subiecto quanlibet informi simul ac eodem iure deformi protinus obscurior, obscænior, & ignobilior euadit. Cæterum vt in hyerarchia cælesti visitur alius alio clarior ac nobilior, ita nimirum in hoc tetro rugiter, & infami dæmonum vnaque malorum hominum cætu seu hyerarchia pro qualitate pariter ac moltitudine delictorum alter altero censetur obscurior, & ignobilior. Ergo Lucifer atque Sathanas omnium absolutè creatarum rerum obscurissimus, infelicissimus, ignobilissimus, vnaq; misertimus existit. Adeo turpium facinorum difficultas magnitudoque scelerum quomodo Phalaridis nobilitata prædicatur crudelitas à Tullio, sicut & scortum nobile dicitur, quia notum est, & insigne, vel nobilis homicida cognominatur aut insignis latro: atrocium inquam excellentia seu magnitudo scelerum patratorum haud reuera nobiles reddit homines, quinimò per antiphrasim ij nobilitatis nomenclaturam sortiuntur haud secus, ac si quis eosdem orbi passim & vrbi (quemadmodū dici solet) infames notissimos prædicaret. Adeò nobilitatis isthæc à contrario sensu denominatio, maiorem indicat atque denuntiat infamiam, tantum abest, vt ignobilitatē simpliciter significet, quando possit ignobilis esse quispiam ac probus.

Famosi

Famosi paginæ sacræ textus interpretatio noua detegitur. Caput XII.

ECclesiastes 10. capite scriptum inuenimus ad verbū: Beata terra cuius Rex nobilis est. Hunc locum ita declarant, cuius Rex erat nobilis, antequàm esset Rex. Nam vt primùm Rex declaratur pariter, ac legitimè talis depræhenditur, ilico nobilis efficitur idque vel hoc (si ita lubet) supposito, quòd ante baiulus, lanio, seu claudus fuerit sutor. Ad hanc opinionem fulciendam continuò subijciunt eorum nonnulli non iniocundam Amasis Aegiptiorum Regis hystoriam, cum ex Aristotele libro 1. Polyticon: vltimo capite, concisim ac breuiter, vbi de Amasi sermonem habuit, qui de pelui loquutus est, de quare nonnihil æque tetigit Plutarchus in conuiuio septē sapientum. At huiusce rei fusè meminit Herodotus, qui diligenter refert hāc hyctoriā inquiens (nō ita multo ante finem lib. 2.) Regem Aegiptiorum eūdem Amasim oriundum alioquin ex plebea gēte, inter alia multa, quæ possidebat, aureā habuisse peluim, in qua tam ipse quàm omnes conuiuæ semper abluebant. Is ex ea pelui confracta statuā Dæmonis & fecit & in appositissimo vrbis loco confestim erexit, quod simulachrum adeuntes Aegiptij venerabantur. Id Amasis residens aperuit Aegyptijs cōuocatis, ex ea pelui scilicet in qua totiens euomere, pedes abluere pariter ac inmingere consuesset adfabrè factam fuisse statuam, nempe quam illi tantoperè suspiciebant atque venerabantur. Proinde subintulit se peluis instar esse factum qui si antea fuisset plebeus, impræsentiarum nihilosecius (ita enim tunc ad eos loquebatur) Rex foret, atque ita traduxit Aegyptios atque pellexit, vt æquum ei seruire censerent. Hæc illi satis adpositè retulerunt, vt Regem legitime creatum necessario clarum esse (quicunq; tandem ille prius fuerit nihil refert) nobilemque concluderent. Ego vero non satus mirari possum

res

res(vt illi prædicāt) ita prorſus habet, qui loco citato Solomō haud ita protulerit: Beata terra cuius Rex ante nobilis fuit. At inquit idem cuius Rex nobilis eſt. Ergo ſupponit actu poſſe quenpiam eſſe Regem, qui nihiloſecius erit ignobilis, vel eo ipſo tempore, quo Rex eſt, alioquin textui vim inferre cogeris, ac velut ictu funis ab eo (quod illi ſanè factitat) extorquere vel inuito, quod alias forſan animo nunquam concepit. Porro textum ita ſimpliciter intelligi debere paulò poſt hoc eodē capite probabitur. In præſentiarum expoſitionem hanc quanlibet ab omnibus receptam promiſcuè conuellamus. Hæc loquendi phraſis, hicue dicendi modus, aptum idoneumq; magis dijudicari nobilem ad moderandas prouincias, & ad imperādum ac ignobilem, neceſſariò ſupponit. Nā ſi terra cenſetur beata, quæ Regem nanciſcitur nobilem, ergo per contrarium infelix venit eadem exiſtimanda, ſi regem ſortiatur ignobilem. At quum eiſdem relatoribus, qui ſic interpretantur, quilibet vt primum Rex legitimè creatus eſt, confeſtim ac neceſſariò nobilis eſt, interpretatio protinus euadit ſuperuacanea. Nanque ſi nobilitas natura ſuapte vim ſeu facultatem obtinet, vt Regno felicitatem adferat, id omnino quicunque Rex ille fuerit, antequàm eſſet Rex; modò Rex in præſentiarum legitimè creatus agnoſcatur, eandem habebit vim ac idem præſtare poterit, ſcilicet quia præditus eſt ea virtute, quæ felices imperio ſuo prouincias reddit, quando nobilitate fruatur atque iugiter potiatur. Qui enim efficiens verum nec impeditum, in materiam ritè præparatam agens non producet effectum proprium? Adeo debuiſſet ita fari Salomon: Beata terra quæ habet Regē, quando Regem habere penes eorum interpretationem, idem planè ſit, quod habere nobilem præſidem atq; moderatorem. Ergo Salomon hoc loquendi modo (velis nolis) duo nobis indicat. Primò nobilem vtpote propenſum ad bona pariter ac ſublimia, non ſolùm animo concipienda vel adſiduè meditanda, verumetiam obeunda: nobilem inquā nobis indicat ſuapte natura ſcilicet quatenus

tenus est nobilis, semper egregias moliturum atque præstiturum actiones, quippe quarum adminiculo vel interuentu Regnum illud nempe, cui nobilis præerit, felix atque beatum euadet, ac ita per contrariũ si forsan ignobilem ei præesse contingat, infelix erit ea terra siue Regnum illud, quoniam ignobilis ille, qui moderabitur, eã prouinciam, quatenus ignobilis est, hoc est, propria natura semper cogitabit vilia, sicuti quæstum vnum (exempli gratia) præferet actionibus egregijs. Inde pullulabit iniustitia, promouebuntur ad dignitates perfidi, deinceps quanplura id genus impendebunt huic miseræ prouinciæ discrimina. Quapropter infelix erit ea terra. Cæterum id venit intelligendum hoc pacto, quod id nõ necessariò vel semper, at vtplurimùm ita fieri consueuerit: siquidem accidere possit, vt ignobilis egregiè Rempublicam adseruet atque moderetur, eandemque beatam, hoc est, felicem reddat, sicut & nobiles non nunquam vbi semel in Reges euaserunt, Respublicas destruxerunt, & easdem infelicissimas nedum beatas reddiderunt, quanuis id rarò contigisse compertum habeamus. Age redeamus iam (si lubet) ad Regnum adsumitur ac promouetur, ferè semper Regnum illud infelicitatem experitur maximam experientia teste: quod quidem ob hanc vnã rationem (meo saltem iudicio) fieri consueuit, quoniam ignobilis natura propensus est sicut ad mala plerunque, sic ad viles perpetuò (nedum plerunque vel vt plurimũ) actiones obeundas, quod sępenumerò iam dictum est. Contra verò nobilis, vt mala rarò cogitat, ita nimirum sublimia semper & meditatur & strenuè pariter adgreditur. Quam ob rem ignobilis vtcunque legitimè Rex creatus quoniam intrinsecè qualitatem & habitum illũ velut suauè igniculum quẽdã ad bona præsertim excelsa concitãtẽ, & impellẽtem (quãdo nil aliud agnoscatur esse nobilitas) minimè gestat neq; possidet, neutiquã esse nobilis, nec iure dici queat. Adeò dignitatẽ cũ ignobilitate regiã (quod omnibus discriminatim hactenus per clam imposuit) coire nonnunquã posse neutiquã ambigimus.

Quos

Quos verè diuinus Plato regios intellexerit homines. Caput XIII.

ATqui Reges ignobiles, quod enunciatum, alij contradictionem includere (falsò tamen opinantur, homines minimè sicut esse reuera, sic nec iure dici regios oportet, neque conuenit, vel hoc dato quòd legitimè sint electi Reges: sicuti per contrarium regius homo cum dici tùm esse queat, qui priuatus alioqui dignoscatur ac nulli prorsus imperet, Quapropter æquum censemus, vt impręsenti, qui regius homo verè sit aperimus. Plato verò diuinus inter infideles modò quis tamē chiistiana fide destitutus nomenclatura siue titulo diuinitatis insigniri vel communiri queat: diuinus inquam Plato iugiter elaborauit, vt regium hominem nobis non solùm delinearet, & obscurè modo quodam adumbraret, verumetiàm vt eundem ad viuum (vt afferri consueuit) exprimeret. Primò statim ab infantia iubet eum pro captu corpus, & animum exercere custodis disciplinæ prudentis, idque præsertim in primarum disciplinarum rudimentis. Hæc nostra tempestate censemus præcepta grāmatices quando primùm homines eloqui deceat, quàm seriò rerū intelligentiā, vel in adgredi in foribus aut in ipso limine (quod dici solet) eandem salutare. In adulescentia demū similes addicit Philosophię, vel (vt ita loquar) emancipat. Iuuentam actionibus quę passim in Republica geruntur egregijs, deuincit. Hos vbi peruenerint ad ętatem consistetiæ (sic à medicis vocitatam) & ad senium, hortatur vt humanas pręsertim egregias præ cęteris actiones, cum naturali simul ac morali (quam Aristoteles Ethicam appellat) adfabre simul ac adpositè conferat, atque ita cùm ratione tùm experiētia quasi duobus ritè crucibus (quod Gal. in arte medica faciundum admonet) securè tutoque sensim obambulet atque progrediatur. Hosce Plato non solùm homines regios verumetiam viuas leges appellat, adseritque nihil aut certè quàm minimùm commodi

modi præstare mortuam legem absque viua. Ego verò crediderim vna tantisper seposita vel posthabita lege viua mortuam obesse potius, quàm prodesse, quãdo prauus mortuæ legis intellectus officiat mirifice, tantum abest, vt administrandæ iusticiæ suppetias adferat. Institutioni Platonis hominis Regij siue legis viuæ, tantùm hoc adderem, vt quo tempore rebus naturalibus condiscendis operam nauat, simul ac ethicis cum percipiẽdis, tum exercendis indulget, vna quoque theologiam christianã quippe cui philosophiam omnem inseruire tanquã Reginæ conuenit, ac decet amplecteretur, idque non anxiè, exquisitè, vel adamussim, quando tempus haud suppetat ad omnia lustranda, sed pro cuiusque captu. Principibus etenim exiguo labore scilicet aliorum opera, si vellent ab immoderato venatione tãtisper luxuque diuersarũ rerũ præcipue ciborum varietate temperare vel seclusa librorum simul, & authorum lectione solùm audiendo quasi per iocum plurima liceret eis condiscere, quæ cæteris denegantur à fortuna, vel (vt verius eloquar) à diuina prouidentia, quando nullam in humanis rebus dari fortunã in cõfesso sit apud classicos omnes præcipuè Christianos authores. Adeò diuinũ Hippocratẽ protulisse cõstat Galeno relatore, nihil à casu vel à fortuna cõtingere, quãquã expertẽ eos fuisse christiani luminis abũdè compertũ est.

Alter eiusdem loci iuxta versionem aliam nouus intellectus. Caput XIV.

BEata terra cuius Rex nobilis est. Alij vertunt, cuius Rex est filius nobilis. Scilicet quoniã propria virtute nõ autẽ natura nobilis, aut nũquã aut certè vix toto vitæ curriculo rudem ignobilitatis clamidem (vt ita loquar) integrè vel examussim abijcere vel exuere potest. Adeò supersunt nõnullæ semper ignobilitatis obscuræ saltẽ reliquiæ, scilicet quæ similem hominẽ præsertim in dignitate regia cõstitutũ regioq; sceptro munitũ (quãdo nullus eũ eo casu repræhẽdere p̃sumat vel audeat) ab excelsis

quan-

quanlibet inuitum actionibus auocent atque iugiter distrahant, quòd nimirum adquisitus ille nouus (etiamnum antiquo bellum gerente) nobilitatis habitus, altas ita nundum firmasque radices egerit, quin occasione semel emergente, quæ veteri videlicet ignobilitatis habitui nundum euulso radicitus opituletur atque subsidium ferat; quin inquam eundem nouum claritatis adquisitũ nuper habitum priores obscuræ sensim obrepentes reliquis non sint profligaturæ vel in exilium missuræ, quando tam in humanis actionibus quàm in omnibus promiscuè functionibus obeundis naturalibus vnaquæque res ad suã defacili remeet imò quasi postliminio redeat naturam. Cæterũ etsi vita prorsus immaculata vel ab omni labe penitus immunis, scilicet quatenus id humana patitur imbecillitas, perexiguo tempore veteris (vt scriptura sacra loquitur) hominis habitum vtcunque rugis ac næuis refertum immutare potest, attamen quæ rarò contingunt exempla particularia, minimè trahenda veniunt in communem vsum, quod quidẽ vnum Pij quinti Summi Pontificis exemplũ nostra tempestate vel manifestò nos edocuit, qui cum ex obscura foret alioquin gente progenitus, in ea dignitate Pontificia nihilosecius admirãda præstitit, imò superauit omnes ex nobili quãlibet stirpe progenitos. At in religione prius ille tamen obsoletã (vt ita dixerim) per annos ante plurimos ignobilitatis clamidem attriuerat atque penitus abiecerat. Nam in conquirendo verius nobilitatis habitu plus efficit vna religio scilicet immaculata paucorum annorum interstitio quàm laruatos (nobis hic ita fari liceat) vel personata sæculi nobilitatis effigies plurimis annorum lustris efficere vel præstare queat. Verumenimuero casus eiusmodi particulares raroque contingentes in consequentiam minimè trahendi veniant.

Hic

Hic admiranda de nostri libertatis arbitrij prærogatiua referuntur. Caput XV.

QVemadmodum vna Dei prouidentia iugiter efficit, vt non solum imperfecta magis ac perfecta cōducant quanuis id minime propria natura sed ex accidenti præstent: ita nimirum eadem efficit nonnunquam vt mala vel suapte natura (scilicet quo modo naturam sortiri potest malum) talia nobis ex accidēti magis prosint. At quorsum hæc inquies? Homo si non deliquisset contra naturę supremum authorem ei nunquam fortassis naturam æquare nedum superare licuisset angelicam idque iuxta illud: Minuisti eū paulo minus ab Angelis. At patrato facinore quanlibet grandi commissoque cōtra supremum authorem scelere multo plus ex collata conditoris benificio iugiter gratia conquisiuit virium ac ex cōmissa culpa prius amiserit. O fœlix delictum cuius occasione genus humanum maiorem benefaciendi maioraque præstandi consequutus est, & occasionem & robur. Si non deliquisset homo, forte semper angelica natura fuisset inferior, iuxta illud. Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Ad quod in curia nostra semel amissum fuerat, id vna Dei benificencia non solum cumulate resarciuit, verumetiam maiores nobis longe suppeditauit vires. Adeo quod nostra per incuriam temeritas amisit, vna cumulatius diuina benignitas adauxit nedum simpliciter sarcinerit. Quorsum hæc? Alias hoc est ante lapsum primi parentis homo fuerat omnium intelligentiū natura postremus, & inferior iuxta illud: Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Impræsentiarum vero potestatem habet vnius Christi Domini collato nobis beneficio conferendi supremos hyerarchiæ cælestis ordines, modo laborare non pigeat modoque iugiter Optimū Deū simul ac (vt par & æquū est) amare viribus integris haud pigeat. Adeò non iniuria (secundum hominem loquor sim-

simpliciter) fraus diabolica dolet vicem suam atque vehementer discutiatur, quod propria culpa connaturalē amiserit pulchritudinem quodque corporibus emancipatis mortales homines suæ libertatem consequēdæ gloriæ nacti fuerint occasionē. At quorsum hęc? Homo qui prius angelis omnibus natura fuit inferior occasione patrati facinoris contra naturæ totius authorem eiusdem authoris collato iugiter beneficio vim consequutus est, vt nō solum Angelis absolute vel simpliciter verumetiā supremis hyerarchię cęlestis ordinibus nempe Cherubin & Seraphin ita nuncupatis ęquari possit, idque modo laborare non pigeat modoque supremum authorem impense, iugiter, ardenter & (vt vno verbo dicam) prout conuenit ardenter amare nedum diligere simpliciter, haud pigeat, pręcipue quum pręter Euangelicas adhortationes ipsamet natura nos ad id agendum extimulet, incitet, & pene cogat nedū simpliciter hortetur ac moneat. Quinimo si natura carnis vna mentis libertati rebellis ab ea mentem inclinatione propria non distraheret cōtinuaq; pugna nos non impediret, & quasi necessario ferremur in vnum Deum, sed tamen interea quam minimum foret hominis meritum.

Finis libri sexti.

A N.

ANDREÆ CAMVTII

PHYSICI OLIM CELEBERRIMI.

DE NOBILITATE

LIBER SEPTIMVS.

Discriminis causa sexus vtriusque, nempe maris ac fæminæ docetur. Caput I.

Caeterum ad indagandam exprimendamque nobilitatis (vt Scholasticè loquar) essentiam rei quæ de agitur, natura postulat, vt imprimis qui similes nati parentibus oriãtur, aut dissimiles primũ discutiamus, id quod fieri nequit, ni sexus vtriusque maris ac fœminæ, prius differentiã explicemus. Id quod initio hic desũpto nimirũ adpositè cõsequemur, Natura quę delitescit in semine maris, præcipuè marem

constituere satagit, eidem vtpote consimilem. At vbi sanguinem menstruum ob inopiam caloris excoquere (quod sæpenumerò contingit) aut euincere non potest, nec in suam peculiarem deducere speciem, tantisper saltem necessariò superatur atque subigitur. Atqui maris contrarium est fæmina, contrarium inquam non ea ratione, quâ dignoscitur substantia, sed quatenus alterum mas, id est, potens est, alterum verò fæmina depræhenditur, hoc est impotens, quando non aliter fæminæ mas opponatur, ac posse videlicet opponuntur & non posse. Quanquam (vt Philopono placuit) opponuntur quoque mas ac fæmina quatenus tales, quãdoquidem productio maris, eiusq; productionis seu generationis frustratio (cum blesis balbisque mihi balbutire liceat) fæmina dignoscatur. Itaque mas eatenus principium quoddam & causa est, & propriè mas est, quatenus aliquid potest, fæmina verò quatenus haud potest: siquidem potentiæ simul ac impotentiæ ratio iure sic distribuenda veniat, vt alimẽti decoquendi facultas vltimi, vel adsit (vt in maribus) aut desit, vt in fæminis, nam id alimentum vltimum esse Philosophus arbitratur, in sanguine præditis ipsum sanguinem, in exãguibus verò, quod sanguini proportione respondet. Porrò quoniam natura semper exhibere consueuit organa, quibuscunque facultatem aliquam impartitur, sicut & instrumenta nunquam alicui suppeditat aut tribuit, quin eidem subinde facultatem elargiatur & condonet, ne videlicet moliri vel attentare quidpiam incassum existimetur: proinde fæmina partes, ex eiusdem præscripto naturæ simul, & organa sortitur, quibus a mare discrepet, non enim quauis parte mas est (inquit Philosophus) aut fæmina, quo modo nec videns aut audiens. Maris nanque genitura principium in se, tale continet, quo moueat, & vltimum alimẽtum in animali concoquat. Feminæ vero semen (Philosophus enim sanguinem menstruum nuncupat semen) materiam tãtummodo suppeditat. Subdit: Quotiens itaque masculinum semen vincit ac superat, ad se ducit: vbi verò superatum

ratum & euictum est, in contrarium abit, hoc est, in corruptionem, nam fæmina maris contrarium est, quippe quæ alimenti sanguinei cruditate pariter ac frigiditate describitur. Verumenimuerò quanquam primum degenerandi principium est procreari fæminam (id quod antea Plato docuerat) minimè tamen ea monstrum censeri debet, quod à natura nimirum intendatur quippe cuius, haud primus quidem (sicuti mas) vt secundarius planè Scopus dignoscitur, nempe propter necessitatem vnam, vt adseruetur species. Id quod euenire conspicitur, quotiens à menstruo semē vincitur masculinum, aut ob ætatem iuuenilem senilemue, vel aliam id genus causam, ob id fæminam concipi gignique necessum est. At produci monstrum, quia non intenditur à natura, nequaquā est necessarium, etsi per accidens necessum est. Porro sententia Philosophi seu placitum, quo fæminam, quālibet masculo quouis esse frigidiorem, & humidiorē adstruit, id sanè aliquam à nobis poscere (ne dicam extorquere) videtur interpretationem. Nanque plurimas passim intueri licet fæminas, multis masculis multò calidiores vnaque sicciores, quando cor iecurque sortiantur, epate simul & corde masculorum plurium longe calidius atq; siccius, nam corporis habitus vniuersi temperies, horum viscerum, vtpote caloris natiui fontium insequi consueuit. Id quod haud perpetuò quidem, veruntamē magna saltem ex parte contingere nobis inaudiendum est. Etenim accidere potest, vt virtus formatrix, quo tempore videlicet efformando fætui quanlibet calido vel succo prorsus indulget: fieri potest inquam vt ea materiæ portio tunc temporis, ex qua coalescere debet vna vel altera corporis eiusdem particula, iusto frigidior aut humidior depræhēdatur. Proinde quemadmodum inter præcipua membra contingit vnum esse calidissimum in sua specie pariter ac siccissimum, aliud verò contrarijs adinueniri cōtrarij qualitatibus præditū quid amabo vetat, quò minus hoc idē in cæteris vel minimis vniuersi corporis cōspiciatur particulis? Quā ob rem famellas ad vnam om-

ites (nullam enim excipi vel excludi velim ab hoc theoremate) quouis masculo frigidiores offendi simul ac humidiores adseueramus, idque non absolutè quidem aut simpliciter, sed in organis duntaxat, quæ natura generandis fœtibus addixit.

Cur alij similes parentibus oriuntur, alij dissimiles. Caput II.

IN concipiendis itaque fœtibus necessum est, nedum simpliciter expediat, marem fœmella calidiorem offendi, saltem (quod nupertimè docuimus) in mẽbris genitalibus. Veruntamen præter id, commoderationẽ quoq; seu conspirationem (vt ita dixerim) adinuicem intercedere conuenit: siquidem omnia quæ natura vel arte fiũt, efficiantur aliqua ratione, ne moliri naturam temere quidpiam aut incassum, adseuerare compellamur. Calor nàque si valde superet, exsiccat humorẽ, si plurimùm deficiat, non cõcernit (inquit Philosophus) id est, nihil prorsus efformat, aut saltem illud idem adfabrè non effingit vt delineat. Quò fit, vt ad rem condendum, omnino mediocritatem adseruari conueniat & expediat, haud secus ac in ijs, quæ igne coquuntur (inquit ille) sicuti plus ignis deerit, iusto minus haud coquit, ac ob id quod agitur, minimè perficitur: ita nimirum euenit in coitu maris ac fœminæ, quandoquidem è medio sublata commoderatione nihil agatur, aut certè quod agitur, non absoluatur, sed mancum euadat ac mutilum. Vnde multis eodẽ Philosopho relatore (cui quotidiana suffragatur experiẽtia) cùm fœminis tùm maribus euenit, vt coniuncti gignere nequeant, seiuncti verò queant. Adhæc in generatione, vel sterilitatę, vel fœminæ marisque procreatione minoribus natu, vel maioribus hæ contrarietates existunt. Adeò quæ forinsecus accedunt, haudquaquam per se propriaque natura, sed animalium immutando temperiem vires procreationi suppeditant aut obsunt, è medioque

dioque generationē auferunt. Huiusmodi censentur aeris alimenta, regiones, & alia id genus, nam crudas aquas ac frigidas, aut sterilitatem, aut partum efficere fœmineū adposite pariter ac scitè scriptum reliquit Aristoteles. Hę profectò cum quidam generent, alijs verò generatio nō succedat, omnino causæ fuerint. At eædem præterea causæ sunt, vt & alij parentibus prodeāt similes, alij dissimiles: & alij patri, alij matri cùm toto corpore, tùm singulis partibus: & parentibus magis quàm suis maioribus, & his potius quàm quibusl:bet, ac mares patri magis, fęminæ matri: alij nulli consanguineo similes euadant, verūtamen homini similes: quidam ne homini quidē, sed mōstro iam similes agnoscantur. Qui enim suis parentibus similis non est, quodammodo monstrū est, quādoquidē in hisce natura modo quodam è proprio genere discesserit, cæperitque degenerare tantisper. Initium itaque primū degenerandi fuerit, generare fœminam & nō marem. Neq; tamen mōstruosa visitur isthæc leuis degeneratio, quemadmodū nullo cōsanguineo (nedū proprijs parētibus) nullo modo prorsus procreari cōsimilē, quādo (quod paulò ante retulimus) id intēdatur à natura, quippe cuius haud dubiè si non primus, certè secundarius agnoscitur Scopus propter speciei conseruationē, atque ita per consequens per se, non autem per accidens necessarius. Quocirca principio hinc desūpto veluti cominus dimicatur, rem ipsam adgrediamur. Siue fœtus effingendi materia propria statuatur vnus dūtaxat fœmellæ sanguis mēstruus, quod Aristoteli placuit: seu præter illum, genitale maris quoque semen, vna cum semine fœmineo (qualecunque semen illud extiterit) veluti seminalibus particulis, ita nuncupatis adcommoda maceries omnino requiratur, quod Galeno vehementes adrisit: neutrum siquidem placitum officiat instituto nostro, quomodocūque tandem authores hi classici dissentiant, nusquā attamen inficias eunt, à mare speciem, à fœmina verò maceriem suppeditari. Quam ob rem genitura maris vtpote principiū efficiēs, quoties adamussim excocta mēstruis

illabitur, ipsisque probè comiscetur, pro sua forma primùm agit, id est, talem in menstrua mole speciem effingit, qualem in se ipsa possidet. Quare si vincit ac superat, & marem efficiet, non fœminam, & similem ei qui generat, non autem matri. Si non superat, pro ea sanè qua nō euicerit facultate, defectum faciet.

Quot in ipsa genitura facultates offendantur. Caput III.

PEr omnium ora circunfertur enuntiatum illud: Nemo dat, quod non habet, & à cunctis promiscuè pro confesso recipitur, vtpote proloquium à Græcis axioma nuncupatum, velut ex naturæ poenu (mihi liceat ita loqui) vel ærario nuperrimè depromptum. Quapropter iuxta præscriptum axiomatis eiusdem, genitura maris in sanguine menstruo neutiquam plures delineare vel adumbrare poterit imagines aut idola, quàm quot ipsamet in gremio (sic loqui concedatur) sinuque proprio cōtinet. Atqui semen humanum quatuor obtinet formas, nempe animalis, hominis, maris, & indiuidui. putà Socratis aut Petri. Quare totidem inerunt eidem semini facultates. Prima est, qua sibi quod generatur, simile reddere potest in specie, quando gignat hominem, sicut & equus equum. Secunda facultas est, qua genitum efficere sibi consimilem in sexu conceditur, quæ speciem insequitur, quando qui generat, masculus dignoscatur. Tertia est, qua genitum in cōstitutione seu dispositione mēbrorū effingere sibi consimili potest: sibi inquam aut alij cuipiam ex consanguineis quippe qui sanguinem coniūcti quodammodo vices gerūt eius, qui generat, nā isthæc huius effectus, nempe quòd & consanguineorum & generantis idola vel effigies ad eandem pertineant facultatem, legitima pariter ac germana videtur esse ratio, quanuis eam haud expresserit alicubi Philosophus. Porro facultatum huiusmodi quædam genituræ propius insunt,

sunt,quædam remotius. Etenim missa facere iubet,idq; consultò,quæcunque genitali semini per accidens inesse conspiciuntur, quemadmodum esse grammaticum aut vicinum,velut instituto nostro nihil conferentia. Nanque generans (exempli gratia) Socrates est,& mas.& homo,& animal. Veruntamen harum quatuor facultatum,quæ videlicet inesse facultati per se conspiciuntur, præcipuè magisque proprium est mas. Secundum verò Socrates. Tertium homo. Postremò tandem animal. Quam ob rem si contuleris hæc adinuicē, in generando valet magis,quod proprium est ac particulare, videlicet mas. Secundum in hac serie locum occupat indiuiduale discrimen, putà Socrates, vtpote differentia mari proxima.Tertium locum sibi vendicat homo. Quartū animal nam homo propius accedit ei,quod proprium est ac animal,quanquam vtraque remota visuntur. At quorsum hæc, inquies forsitan. Quod vniuersale est, generat quidem,vt animal,& homo,non inficior. Veruntamen in generando potius est, quod particulare cernitur, nempe mas & Socrates. Nanque sicut vniuersale gignit particularibus inexistens, ita nimirum idem vniuersale, progignitur in particularibus. Id quòd adfabrè Philosophus hac ratione communiuit inquiēs: Particulare enim substantia est,scilicet magis multò, quàm genus aut species. Quod enim gignitur (inquit) etsi quale quid est,putà calidum aut album,tamen hoc quidquam est,idq, substantia est (inaudienda venit hic protinus isthæc appendix) maximè propriè. Nanque licet homo vel animal in vniuersali substantiæ sint, nihilominus homo vel animal fieri nequeat album aut calidum: siquidem accidentia non vniuersalibus,quinimò particularibus insint substātijs, quippe quas optimo iure Philosophus in prædicamentis,si cum vniuersalibus cōferantur, cum appellari, tùm esse reuera magis intrepide substantias adseuerauit. Cæterum generandi facultates, nempe quarum omniū semini motus insunt, aliæ actu, aliæ verò potentia tantū insunt, cùm semini, tùm generanti primùm ac præci-

puè, scilicet à quo semen ipsum emanat atque proficiscitur. Semini porro generantis facultates insunt actu, quia quod actu concluditur in generante, motum eius actu sicut & facultatem, idem generans in semen seu genituſ effundit. At generanti dubio procul actu facultates insunt procreandi marem, & eundem in constitutionem membrorum sibi consimilem, ad hæc hominem, & animal, cùm & ipse generans actu talis depræhendatur. Atqui maiorum similitudines, quanquam insunt actu nepotibus generantibus, videlicet ab eisdem descendentibus, ac instar surculorum inde pullulantibus: veruntamē quia generantis minimè propria visuntur isthæc idola, quin adscititiam potius, hoc est aliunde deducta pariter ac adquisita, proinde non actu, sed potentia facultates eorum in generante veluti sopitæ quodam modo feriantur, atque delitescunt, atque ita subinde trasfundūtur in genitale semen. Id quod apposité nimirum Philosophus hisce verbis expressit inquiens: Quam ob rem ex facultatibus insunt eiusmodi seminibus, omnium motus (scilicet actu, nam paulò ante quatuor hæc enumerauit, nempe marem, Corisco similem, hominem, & animal) Maiorum autem propria, nepotum insunt semini potētia, hæc Philosophus. Rationem porrò proximè subintulit inquiens: At propinquius perpetuò quod particulare est, particolare autem dico Coriscum & Socratem, hactenus ille. Verùm inde perpendenti confestim elicitur, quatenus inter eas quatuor, quæ actu generanti facultates insunt, ordo quidam elucet: siquidem in Socrate (verbi gratia) facultas generandi consimile sibi ipsi, videlicet in propriorum constitutione membrorum, sub ea ratione scilicet indiuiduali qua Socrates est, vicini oratque propinquior potentiæ, seu facultati progignendi marem cōperiatur, (quæ primum iure locum sibi vendicat) quàm sit hominem procreandi facultas: sicut & hominem gignendi vis atque potestas, remota minus agnoscitur ea potestate, quæ est generandi animal. Adeò facultatum earum, quæ generanti actu insunt, aliæ magis insunt

actu,

actu, aliæ minus. Eodem iure per contrarium inde nobis deducere liceat, quatenus earum quæ potentia facultatum insunt, aliæ propinqua magis insunt potentia, quædam vero potentia magis remota, cùm generantibus, tùm eorundem seminibus insunt. Etenim genituræ (verbi gratia) similitudinis Aui facultas potentia quidem inest, sed tamen ea potentia vicinior atque propinquior multò fuerit actui, quàm facultas procreandi similitudinem Abaui. Qua ratione tritaui similitudo tanquam remotior ab actu iure magis existimabitur in potentia seminibus inesse, quàm Aui, vel Abaui. De facultatibus ergo quæ genituris insunt, quot numero sint, & quæ actu quæue potentia tantùm insint: adhæc quænam earum actu magis, quæ verò potentia magis insint propinqua vel remota, generatim in præsentia disquisimus.

Digressio pulcherrima. Caput IV.

PEr amæna philosophiæ viridaria, per campos abditarum causarum (vt ita dixerim) eliseos expaciari paulisper lubet. Chorus Interpretum Aristotelis propemodum vniuersus, cum Galeno non eminus, quinimò cominus hic manum (vt aiunt) conserit, & aduersus eum eiaculatur tela vibrantia. Quidquid Galenus (inquiunt) in duobus de semine libris moliatur aduersus Aristotelem, quidquid in ijsdem mussitet, quascunque technas adstruat, euitare nequit profectò, quin semen fœmineum ab eo confictum, omnino dignoscatur infœcundum, vtpote spiritibus orbatum atque fluxile prorsus & aqueum. Esto sit idonea pro cõformandis consarcinandisq; mẽbris, quæ seminalia vocitãtur materies, quod vel impẽdio Galenus adseuerat. Vt id admittamus vltroq; cõdonem* seclusa qualibet morosa

pro-

proteruia, precipuè cùm isthæc rationi consentanea sint, & apparentibus quàm maximè consentiant, quāuis huiusmodi Philosophum tāquam humanæ fabricæ sectionis imperitum latuerint: vt hæc inquam illi cōcedamus, ita mehercle nequaquam imus inficias, idem fæmineum semen vnà cum sanguine menstruo, quauis actione destitui. Nanque si qu piam agendi vi præditum foret, aut seclusa virili genitura procrearet hominem, aut saltem animal, quod nusquam visitur, ergo marem, aut in constitutione membrorum (exempli gratia) Corisco consimilem multò minus efformare poterit. Id quod hunc in modum fulcitur. Difficilius, momenti maioris & operosum est magis effingere discrimen sexus, putà marem, aut membrorum indiuiduam effingere similitudinē, ac hominem promere vel simpliciter animal. At hæc præstare nequit fæminea moles, siue seminalis genitura statuatur siue sanguis menstruus, ergo minus multò poterit elargiri quod operosum est, magis atque difficilius. Itaq; cùm generandi facultates tantummodò quatuor, nempe marem, Coriscum, hominem, & animal, nobis ariolari, nedum adinuenire concedatur, & harum facultatū, nullam prorsus fæmineum semē sortiatur, mediusfidius inde (velis nolis) deducitur, genituram eandem fæmineā actionis cuiuslibet expertem diudicari. Verumenimuerò si penitius introspexeris abdita secretioraq; naturæ mysteria, siue deum delubra, quemadmodum Idololatræ prophani loquebantur, lōgè aliter sensisse Philosophum comperies. Id quot vt commodius innotescat, axiomata siue theses natura suapte vel promiscuè cunctis obuias, velut antesignanos in ineundo prælio præmittamus. Nil erogare vel impartiri potest alij quidpiam, cuius ipsum particeps ante non fuerit. Ad hęc nihil in seipso similitudinem alterius gerit, ni productio ab eo fuerit, aut eandem ab alio quopiam susceperit, aut hoc ipsum illi contigerit à casu. Thesibus hisce consultò suppositis, quæ proculdubio proloquia sunt, erigo demonstrationē hunc in modum. Generans qui fęminę concubitus in-

terueniu

teruentu copulatur, supposito quod ei nullo consanguinitatis aut affinitatis vinculo sit coniunctus, nullā eiusdem in seipso gerat omnino similitudinem, atq; ita per consequens neque similitudinis alicuius facultatem: nec ea fœmina, similitudinis eiusdem maris cum ea congredientis vllum obtineat vestigium quanlibet obscurum (nam ita se rem habere supponimus impręsētia) ea profectò neque similitudinis eiusdem maris vllam possidebit facultatem siue potentiam. Ergo neutrum eorum elargiri seu pręstare conceptui poterit alterutrius idolū aut effigiem, quippe cuius in seipso nullam prorsus recōditam habeat facultatem, idque iuxta suppositas dignitates (à neothericis ita nuncupatas) nempe quas nuperrimè veluti pręludia quędam pręmisimus. Quare si mas in constitutione membrorum vniuersi corporis matri persimilis efformetur, dic amabo, qui generās id impertiri poterit conceptui, cuius omnino dignoscitur expers? Item si conceptus patri matris, aut Auo materno similis euadat, an hanc similitudinem in genituram patris veluti causam efficientem opis huiusce, reijciendam arbitraris? Itidem dic sodes, quodnam absurdum aut inconueniens emergit, si conceptui, fœminæ genituram siue menstruum sanguinem indere suam ipsius effigiem in consarcinandis membris, intrepidè simul ac audacter efferamus? Ergo nouarum auidi rerum plus iusto, iure videantur, quicunque dissidia quærunt inter classicos authores, quandoquidem ex hac excussione vel disquisitione manifestò colligatur, voluisse Philosophum fœminæ genituram obtinere facultatem generandi seu procreandi membrorum similitudinem in concipiendis fœtibus. Itaque valeant, qui menstruum sanguinem agere nihil prorsus autumant.

†

Nodi reconditi dissolutio.
Caput V.

ETsi Philosophus innuere videtur prima fronte, facilius agnosci similitudines vniuersales progignere, scilicet hominem & animal, ac particulares: nempe sextus discrimen, hoc est, marem, aut fæminam, atque consimilem generanti membrorum compagem. Adhæc inter similitudines hasce particulares operosa magis atque difficilior esse videtur generandi facultas, quæ patris effigiem in delineatione, seu compage membrorum consistentem exprimit, ac ea quæ marem effingit. Porro quanquam it sensisse Philosophus videtur, longè tamen aliter ipsa rei natura medullitus introspicienti nos edocet. Id quod exéplo simili fortassis persuaderi queat. Proiectus lapis excurrit velociter per aliquod spacium, haud secus ac ferrea vel plumbea pila, quam eiaculatur bombarda, scilicet ob impetum ignis conclusi quærentis exitum. At vbi tantisper eiusmodi cæperit impetus remitti, motus vna quoque sensim imminuitur, atque paulatim deficit, & proinde lapis aut graue quoduis aliud corpus tum sua mole concidit & quiescit. Ergo simile quidpiam imagineris in effingendis fœtibus euenire. Formatrix nanque vis, ab initio semper (vtpote validior) adgreditur opus ipsum strenuè. Quocirca primum alimoniam in propriam vertendo substantiam, subinde conceptum efformat idoneum, quando facultas altrix in omnibus promiscuè viuentibus (interitui videlicet obnoxijs) aliarum facultatum indiscriminatim omnium basis atque vehiculum dignoscatur, nam Philosopho relatore conceptus viuere primùm incipit vita plantæ. Dein diuina virtus eadem (hac enim insigni nomenclatura Galenus vim formatricem non iniuria decorauit) sensiles potentias ordine mirabili quodam indit.

indit, ac imprimis organa tactui deseruientia veluti summè præ cæteris necessaria delineat adfabrè, simul ac paulò post absoluit integrè. Mox demum instrumenta motui peragendo seruientia pedetenti & adumbrat, & pro temperamenti qualitate tentat absoluere. Prætereà quæ prius effinxerim veluti callum obducens indurat sensim, atque solida reddit, quò superesse queant edendis functionibus obeundisque munijs, præcipuè sensuum interiorum: quippe quorum occasione plurimùm elaborat in cerebri construendis ædiculis, quæ conceptacula ventres, Hippocrates ille magnus vocitat. Hi nanque si non primaria sedes, atque domicilium rationalis potestatis (quod Galeno plurimùm adrisit) iuxta ac sensilis facultatis, certe saltem interiorum sensuum, qui proximè rationi famulantur, cerebrum seclusa quauis dubitatione manifestò præcipuum deprætenditur organum. Adeo quemadmodum interiores, ijdem sensus in operando cerebri ventribus vtuntur, licent in corde tanquam in proprio domicilio consistant, si decreta Philosophi mordicus tueamus, ita rationalis anima sensibus ijsdem veluti mancipijs aut (vt adcommodatius efferam) fidelibus à secretis vtitur cubicularijs, quinimò plerunque (proh dolor) eis abutitur, quandiu degit exulis instar in hoc infelici, tetro, simul, & opaco miseroque corporis ergastulo. Sed quorsum hęc? dicam succinctè pro viribus. Ab initio vis diuina formatrix, vtpote valida depingit (vt ita dixerim) & adumbrat organa iugiter altrici potestati deseruientia, tùm sensibus, tam interioribus, quàm exterioribus: quò ventura non ita multò post Regina facultas intellectris ędes ingrediatur adpositè constructas, & ornamentis decoratas, in quibus habitare queat, propriaque simul obire munia. Vis itaque formatrix vbi sedem altrici potestati primùm, deinde sensili motricique construxit adcommodam, continuata seriè seipsam ad generationem sexus, atq; totius corporis habitus cõformationẽ accingit indiuiduũ. Verũ eam aliquando

velut

velut itinere longo lassatam concidere, nec vlterius pergere seu gradiri posse contingit, ad instar eiaculatæ vel excussæ pilæ, vel proiecti lapidis, quem paulò ante narrauimus. Quare seruata vel ad vngue(quod passim efferri solet) similitudine, quanquam longè difficilius est vniuersalia generare, scilicet animal, & hominem, ac particularia nempe marem aut Corisco similem exempli gratia; nihilominus ea quanlibet operosa magis atque difficiliora multò facilius euocantur in lucem à generante validò vires integras adhuc obtinente, quàm huiusmodi particularia quantunuis natura suapte faciliora, scilicet ab eadem vi formatrice quidem vt prius, veruntamē defessa iam ac imbecilla propter laborem diutinum gigni producique queant. Quam ob rem si vires fortè generantis in suo robore iugiter persistant, non modò generabit animal, & hominem, at eundem insuper & marē, & omnino sibi ipsi consimilem in constitutione mēbrorum effinget. Porrò fit nonnunquam, vt præ imbecillitate facultas formatrix aliquid altrice vi (quæ rudibus organis contenta cernitur) præditum efformet, neque tamen vlterius ob imbecillitatem pergere queat. Id quod in mola genita pluries visitur. Quinetiam organa nonnunquam cùm sensili, tùm facultati motrici deseruientia vel mutila vix conficit, deinde fessa plus iusto lassataque tandem euanescit spiritibus vtpote sensim exolutis, ita vt quæcunque pertinent ad efformandos cerebri vētres, proximè deseruiētes cùm interioribus omnibus ad vnum sensibus, tùm præcipuè cogitatrici potestati, quæ videlicet immediate magis famulatur, obsequiumque præstat intellectui, nequeat attentare vel adgredi nedum absoluere, quo casu nimirum plantám, & animal solummodò generat, non autem hominem. Adhæc sæpissimè fit, vt plantam, animal, & hominem effingat, sed tamen interea marem procreare non possit, quia videlicet euicta diutino labore tandem succumbit, ante quam particulares differentias attingere nedum adgredi valeat. Eadem ratione si paulò validior extiterit, etiam efficiet ma-

rem,

rem, at eundem sibi consimilem in habitus delineatione totius corporis minimè conformabit. Hinc sæpenumero mas quidem generatur, at generanti nequaquam similis in ipsa membrorum, indiuidua constitutione.

Qua cessante solutoque propter imbecillitatem generantis motu, quod ad sexus discrimen attinet, adhuc superesse queat facultas generandi sibi consimilem in constitutione membrorum. Caput VI.

IN præsentia nouus è similitudinis trunco pullulat germinatque surculus minimè contemnendus. Ex Philosophi decretis liquet proximam generandæ similitudinis differentiam, ad sexum pertinere, secundam autẽ ad membrorum cõstitutionem: haud secus ac inter vniuersales differentias, ea propinqua magis est, qua Socrates (verbi gratia) generat hominẽ: remota verò magis, quã generat animal: remotissima tandem (quãquam huiusce discriminis Philosophus haud meminit) qua plantæ similem, hoc est, compositum vi duntaxat altrice præditũ effingit. Quare si formatricis imbecillitas impedimento est, vetatq; quo minus à Corisco (liceat exemplis vti doctrinæ gratia clarioris) generetur mas, mehercle multò minus delineare membra totius corporis habitus, atque sibi ipsi constituere poterit consimilia. Probatur illatio. Quæ proportio visitur magis ad vniuersale, minus eadẽ omnino fuerit eius quod particulare minus cernitur, si cum particulari magis conferatur. Atqui natura formãdo semper auspicatur ab vniuersali magis, atque ita sensim ad vniuersale minus progreditur: siquidem hominis conceptus primùm vita plantę viuat, ac animalis: & animalis prius quàm hominis, atque ita semper exorditur ab vniuersali magis, sẽsim progreditur ac pergit ad vniuersale

uersale minus. Adeò naturam à remotissimis auspicari perpetuò differentijs, & accedere paulatim ad propinqua magis liquidò videtur, idq; nimirum adseruata proportione, quippe quam incolumen iusta ac inuiolatam obseruari decet, & equum est. Quam ob rem inter particulares differentias, primùm attētare tenetur habitus vniuersi corporis effigiem atque similitudinem, vtpote minus particularem, atque ita minus indiuiduo generanti propinquam, scilicet ac eam, quæ desumitur à sexu, veluti differentiarum omnium eidem generanti proximam. Quocirca si vis formatrix ob imbecillitatem, atque defectum, adinstar emissæ pilæ vel proiecti lapidis, in itinere (mihi liceat ita loqui) succumbit & exoluitur. vt verbis vtamur Aristotelicis: rationi consentaneum est, generātem deficere prius ac magis in effingenda membrorum compage sibi consimili, quàm in procreādo mare: quemadmodum in producendis vniuersalibus, quando generans hominem producere nequeat, qui non sit animal, nec animal, quod altrice non fruatur potestate. Contra verò mola producitur altrice vi prædita, quæ nō est animal, sicut & planta: dein animal gignitur, quod non est homo. Quid ergo sentiendum hoc in arduo negocio? Sanè diuina vis illa, quæ fingit ac efformat in sanguine mēstruo primò temperiem altrici vitæ conferente, secundò structuram organorum sensui tum motui commodam, postremò talem partium omnium commoderationem, quæ non solùm animal vtcunque perfectum simpliciter, verumetiam hominem deceat: diuina vis, inquam illa, quæ fingit, quotiens isthæc admiranda promit opera, nō vni duntaxat aut alteri, sed omnibus inest promiscuè seminis particulis, vndiquaq; laborat, vbique gliscit, vbique ludit (vt ita loquar) viresque proprias veluti gestiens exerit: nempe vis eadem quia species vniuersales huiusmodi, siue differentias menstruo sanguini primùm indere satagit, quæ structuram suo iure poscunt elaboratum, vnaque multiplicibus organis velut ediculis adpositè distinctam. Verum sexus discrimen, atque totius musculo-

rum

rum, habitus indiuidua delineatio seu conformatio, cùm hæ dignoscantur adfectiones non speciei, sed indiuidui propriæ, sub ea ratione, qua particulare quodlibet hoc aut illud cognominatur: hæ generationes inquam seu constitutiones haud proinde multiplicem, operosamque constructionem instrumentorum postulant. Nanque dum fœtus primò similis plantæ fit & animal, deinceps confestim, hoc est, eodem tempore finguntur omnia membra, quæcunque spectant ad plantam, animal, & hominem: & inter hominis membra necessariò connumerantur ea, quæ genitalia nuncupantur, id est, quæ procreandæ soboli deseruiunt ob adseruandam continuò speciem. Verumenimuerò quotiens huiusmodi membra construuntur, si portio menstrui sanguinis illa probe comperiatur attemperata: adhæc vis ipsa formatrix minimè lassata defessaque cernatur, quinimo valida susperstit adhuc: eo casu mediusfidius non modò cōcinnè finget eadem genitalia, verumetiam ea iam genita mox foras extrudet ac inuertet, atque ita marem efficiet. Sin autem inibi remittatur innatus calor, ac veluti defatigatus itinere longo concidat, animumque (mihi concedatur ita loqui) despondeat: aut intrepidè quidem (vt ita dixerim) & audacter vtpote validus in opere iam instituto pergat quidem calor idē, at ea fortè portio menstrui sanguinis, ex qua coalescere conuenit, & expedit huiusmodi genitalia, fortassis iusto dignoscantur humidiora, ficciora, frigidiora, calidiora, vel glutinosiora siue crassiora, quam vt inuerti forasque protrudi queant, quamuis efformationi configurationique simpliciter obsequium præstiterint, atque manus (vt adpositè metaphora ludam) præbuerint auxiliares: Si fuerit inquam ea portio sanguinis vsque adeo subacta perperam, vt opifici quanlibet valido prout conuenit & expedit, omnino non obtemperet, mehercle tum conceptus euadet in fæminam. Atqui membrorum indiuidua configuratio secus habet. Nā vtcunque ritè disposita vel attēperata musculi

materies existat, si vis eadem effingens langueat ac torpescat, nec operi nouo confingendo superesse queat: eo casu sanè quasi bonis vltro cedens, quòd soluendo minimè fit, id quidquid est oneris velut reijciens in vnam fæmelleæ genituram (mihi rursus hic adfabrè metaphora iocari liceat dilucidioris doctrinæ gratia) renuit ob impotentiam. Quò fit, vt fæminea genitura viribus huiusmodi prædita, multò liceat vtplurimùm imbecillioribus adgrediatur opus ipsum, nempe quod exequi semen haud potuit, nam hoc loco nomenclatura seminis perpetuò masculi semen intelligimus. Atqui supposuimus ante genituram fæmineam, omnino nullam possidere similitudinis eius facultatem, quæ visitur in generantis delineatione membrorum siue constitutione totius corporis habitus. Proinde musculis iam conformatis, vel (vt melius loquar) in ipsa conformatione pergentibus; si fortè vis efformatrix, quæ ludit in ea duntaxat portione sanguinis huic functioni destinata, velut eius figuræ seu speciei subiectum adcommodum: si particulas inquam illas, nempe musculos, vis eadem effingens huic muneri quidem abundè nequaquam superfit absoluendo: siquidem defessa lassataque gradiri, nedum festinare nequeat vlterius, atque ita propter imbecillitatem remittatur, concidat, soluaturque motus eiusdem ac euanescat, nec ob id similitudinem generantis aut effigiem, musculis ijsdem impertiri queat, mehercle tum genitura fæminę quanlibet exigua vi prædita, quoniam semine propter colluctionem diutinam concusso quassatoque validior est, vtpote recẽs: mẽstruus inquam sanguis cùm in seipso similitudinis eius, à quo nuperrimè prodijt, saltem in delineatione, seu configuratione musculorum obtineat facultatem, nec ab imperio seminis vtpote propter defatigationem collapsi prohibeatur, aut inhibeatur, quò minus in materiam adcommodam probeque separatam proprias exerat eiaculeturque vires: menstruus inquam sanguis eo casu matris effigiẽ delineando, musculis vniuersi corporis habitus elargitur. Quare fætus etsi mas

oritur,

oritur, atque ita generanti similis in differentia sexus, in habitu corporis toto nihilosecius, aut aliqua ex parte nonnunquam, non patri, sed matri persimilis euadit: scilicet quia vis effingens, & valida satis extitit in genitalibus efformandis, & materiem nacta fuit obsequentem. At in consarcinandis deinde musculis tantisper forsitan defecit mancaque fuit ob laborem diutinum, ac mutila, vel materiem (quod sæpe fit) sortita fuit inobedientem. Mala nanque subiecti dispositio proinde matris impediet imaginem ipsis indendam imprimendamque musculis ac impsummet generantis idolum; quandoquidē vtrobique ratio militet eadem. Etenim ipsa vis formatrix mutila simul ac deficiens in causa est, vt quod operis, huius reliquum est, hoc est, quod agendum & absoluendum hoc in negocio superest, committatur atque relinquatur: hebeti quanlibet genituræ fæmineæ: quæ nihilosecius vtpote recens, nescia laboris ac integras licet natura suapte sortita vires imbecillas: ob id inquam ea si generantis eidem facultati, quod ad musculorum delineationem attinet, lassatæ videlicet ac defessæ conferatur, vtiq; validior optimo iure denominari potest. Adeo supplere liceat ei, quod vis labefactata generantis absoluere nequit, idq; tanquam illius vicaria. Quapropter fæminea genitura sicuti præ nimia debilitate vel inopia virium, neque stirpem siue plantam, nec animal, nec hominem, neque marem seu discrimen sensus efficere potest, ita nimirum similitudinem vnam in delineatione seu cōfiguratione musculorum in ambitu structuræ corporis vniuersi consistentem adumbrare, simul & exprimere pariter ac oculis obijcere potest, scilicet quoniam hæc omnium similitudinis differentiarum facillima dignoscitur. Itaque vis effingens vbi strenuè se gesserit in fabricanda stirpe, mox animali, dein homine, postremò tandem hæret aliquando tanque fessa lassatique laboribus exantlatis: perinde ac si propter lassitudinem nō audeat attentare vel adgredi particularem hanc differentiam vtcunque similitudinum omnium expressu facillimam,

mas, quippe quarum particularium adhuc ea quæ musculorum delineationibus incumbit lõgè facilior agnoscitur. Vnde genitura fœminea facultatem hanc vnam obtinet, ad opus vtpote descendentem exiguo labore, quandoquidem ipsa quoque perexiguas imbecillesque vires admodum possidere passim existimetur.

Cur fætus non patri vel matri similes prodeant, sed progenitoribus aliquando patris aut matris. *Caput VII.*

MAxima quæstio nobis vltro se se offert enucleanda, quippe quam Philosophus obscurè nimis pertractauit: nempe qui sæpenumerò fætus prodeant similes non parentibus, ac eorundem progenitoribus, putà proauis, Auis, aut etiam abauis atque tritauis nonnunquam, idque paternis aut maternis. Equidem operæ pretium arbitror hoc in negocio præmittere legitimam Aristotelicæ sententiæ cuiusdam intelligentiam. Inquit enim: Coriscus, & homo, & animal est, sed propinquius homo quàm animal. Subdit: generat autem & quod particulare est, & quod genus est, sed magis quod particulare, hoc enim substantia est, hæc ad verbum Aristoteles. Porro nos hoc ænigma sic interpretamur. Vniuersali, hoc est, vniuersalis natura, id est, quæ communis est singularibus pluribus, ita tamen vt in solis offendatur particularibus isthæc inquam vniuersalis natura generat quidem, at non sub ea ratione, qua dignoscitur vniuersalis, id est, non sub ea ratione, qua recipitur in Intellectu, qui facit eam vniuersalem ex particulari: siquidem hoc pacto sapiat atque præseferat accidentis naturam, quinimò verum est accidens, quando nil aliud omni-

no

no ſit, quàm naturæ ſimilitudo ſiue conceptus, aut imago vel effigies (quacunque vtaris voce, parum refert, modò ſuperſit integra rerum intelligentia) quod vel euidenter hac ratione fulcitur, quod id genus vniuerſalia ſubſiſtere nequeant, quod ad ſubſtantiæ neceſſariò naturam pertinet, nam & ſubſtantiæ ſimplices, ex quibus compoſitæ coaleſcunt, ſubſiſtant ſaltem in ipſis compoſitis, quorum dignoſcuntur partes, cùm alioquin vniuerſalia, nempe rerum ſimilitudines inſint Intellectui, non tanquam partes, quinimò velut accidentia tantùm, atque ita nullo modo ſubſiſtere dici queant, ac propriè denominari ſubſtantiæ non poſſint. Id quod à paucis admodum percipitur, & à nobis in opere de Humano Intellectu libro quarto fuſius explicatum eſt, ad quem locum conſultò lectorem remittimus. Idipſum hoc loco quæ proximè ſequuntur Ariſtotelis verba, manifeſtò nobis indicant, quando dicat: Quod enim gignitur, etſi quale quod eſt, hoc tamen quicquam eſt, idque ſubſtantia eſt, proinde ac ſi ita loqueretur: Quod enim gignitur, etſi naturam in ſeipſo continet vniuerſalem, vt quæ non aliam ob cauſam vniuerſalis vocitetur, quàm quod in pluribus ea reperiatur indiuiduis: veruntamen ſub ea ratione qua generat, minimè cenſetur vniuerſalis, imò particularis. Id quod hunc in modum deducitur. Gignere ſpectat ad vnam ſubſtantiam, quemadmodum in libris de phyſico auditu luculenter oſtenſum eſt. At ſubſtantiæ proprius effectus dubio procul eſt ſubſiſtere, quod autem vniuerſale eſt, ſcilicet quatenus eſt tale, nec ſubſiſtere, nec accidentibus ſubijci poteſt, quæ pariter agnoſcitur ſubſtantiæ propria functio, non erit igitur vniuerſale (niſi fortaſſis impropriè loquendo) ſimpliciter ac verè ſubſtantia, ſed hanc potius nomenclaturam adipiſcitur, quòd ſubſtantiam referat, quando conceptus rerum agnoſcantur vmbræ vel ſimilitudines. Hinc vniuerſalis ipſa ſubſtantia non quod ſimpliciter, ſed cùm hac

adpendicem: quale quod adpellari consueuit. Proinde genus aut species, hoc est, vniuersalis natura substantiæ, siue sit magis vniuersalis, siue minus, ea quidem generat, non quod apta vel idonea comperiatur in pluribus offendi particularibus (scilicet ob quam rationem vnam vniuersalis nomenclaturam sibi vendicat) quinimò propterea quod ea subsistat atque vehiculum basisq; cernatur accidētium, præterea, quod huius, aut illius indiuidui planè censeatur, adhæc, non quale quod absolutè, sed manifesto (quemadmodum Philosophus efferre consueuit) hoc quicquam sit, & propriè substantia diudicetur. Hoc Philosophi placitum satis impræsentia mihi ipsi videor explicasse. Restat, vt pro discutiendo quæsito tam difficili, nempe quod ab initio capitis huiusce proposuimus; restat inquā, vt aliud eiusdem Philosophi theorema siue decretum hic adductum explicemus. Inquit enim: Quam ob rem ex facultatibus insunt seminibus eiusmodi omniū motus (proximè subintulit) maiorum etiam propria, nepotum seminibus insunt potentia: sed tamen propinquius semper, quod particulare est, particulare autem dico Coriscum, & Socratem, hęc Philosophus. Hic non de facultatibus ipsis primariò, sed de motibus, qui videlicet ab ipsis facultatibus proficiscuntur, emanantque sermo est. Nanque semini facultates inesse, præter id, quòd pluries retulit insuper naturalis ipsa ratio vel exercitata mediocriter, id euidenter edocet, quando virile semen (quod verè simul ac propriè semen dicitur) effingere primùm animal, mox hominem, deinde marem, postremò generanti, putà Corisco similē abundè constet. Adeo iuxta vulgatissimum axioma cunctis promiscuè notissimum, nil alicui quidpiam impartiri queat, cuius facultatem in seipso non obtineat. Atqui cum in coronide textus efferat, propria maiorum seminibus nepotum inesse potētia, tacitè supponit alia prius enumerata, non potentia, sed actu seminibus ijsdem. Id quod paulò infra palàm expressit inquiēs: Insunt autem motus alij actu, alij potentia actu insunt motus eius, qui

gene-

generat & vniuersalium, vt hominis, vt animalis: potẽtia verò insunt motus fœminæ & maiorum, tam in patre quam in matre, mutatur autem transiens in opposita. Hæc Philosophus. Interpretes hic aiunt, actu motus generantis inesse, quia semper insunt, modò videlicet amoueantur impedimenta: motus autem fœminæ ac progenitorum insunt potentia, quia non sufficit in hisce differentijs excitandis impedimenta submouere, verùm insuper iuuentia siue conferentia quædam requiruntur. Quare non iniuria disquirunt. Si motus maiorum potẽtia seminibus inest, à quonam efficiente deducetur ad actum? Auerrhous ait, motus progenitorum, qui seminibus insunt potentia, tunc ad actum deduci cùm agentis actio non vincitur quidem, aut superatur à menstruo sanguine, veruntamen ea tantisper iusto visitur imbecillior. Si nanque vires obtineat integras, fœtum vtique progignet patri consimilẽ. Si vincatur à menstruis, quod ad hanc differentiam attinet, euadet matri similis. Si verò non superetur, sed tamen interea quàm minimùm in robore deficiat exiguamque iacturam perpetiatur, sanè conceptus eo casu maiorum patri alicui similis efformabitur. Verumenimuerò non declaratur hisce verbis, à quonam efficiente deducatur ad actum isthæc maiorum aut fœminæ potentia. Quapropter Albertus quem eruditi quidam hic insequuntur, efficiens esse quidpiam extrinsecum autumant, nempe cum esculenta, tùm poculẽta, tùm etiam temperiem nos aeris ambientis, quippe quæ sicut & alia quædam id genus nonnulla, rentur seminibus, maiorum similitudines aut menstruis inditas, ac in ijs vtrisque quodam modo delitescentes veluti sopitas ad excitare simul ac in actum euocare. Quinetiam imaginātur adsimilandi vim inhærere seminibus ob exuperantiam, (vt illorum hic semel verbis vtar ob victoriã seminis in menstrua: menstruis verò vim opinantur insidere propter inobedientiam, resistentiam, siue rebelliõnẽ quandam, vt ipsi loquuntur. Adhæc huiusmodi quæ proximè retulimus extrinseca tales è potentia, maiorum

ſimilitudines ad actum impellere vaticinantur, ariolanturque potius quàm probent, occaſione ſimilitudinis vnius. Porro quam ij maiorum ſimilitudem ineſſe velint aeri nos ambienti, temporibus anni, cibis ac potibus, atque alijs id genus, nec ariolari nec imaginari poſſum nedũ id intellectu percipere concedatur. Item ſi maſculinum ſemen (quippe quod vnum propriè ſemen eſt) euincere menſtruum quidem admittatur, ſed imperfectè tamen id operetur, eo caſu (inquiunt) fœminæ vel maiorum accerſet idolum & effigiem. Atqui dic obſecro, quidnam in lucem euocat expergiſciturque maiorũ ſimilitudinẽ, ſi nihil intro vel foris viſitur eiuſdem effigiei vel idoli cõpos, quod actu talẽ obtineat in ſeipſo vim atq; poteſtatẽ. Itidẽ qui menſtruorũ inobediẽtia ſiue rebellio (quemadmodum ipſi loquuntur) ſeminis ob reſiſtentiam eludens imperium, in habitu corporis totius aut eiuſdem particulæ cuiuſpiam, effigiem progenitorum fœminæ, ſepultam irretitamque potentiæ cuniculis excutiet, ſi (quod nuperrimè progenitorum ipſius generantis effigie vel idolo dictum eſt) nuſquam adparet efficiens aliquod ad id opus aptum aut idoneum?

Nodus hic difficilimus explicatu.
CAP. VIII.

SAnè Philoſophus hic obſcuriſſimè loquitur. Adeò ſobriè nimis intra cancellos vniuerſales continet ſeipſum, & ob id iure claudicant interpretes cuperem profectò Philoſophum hoc loco præſertim, paulò latius expaciari. Etenim inſtitueram prius eiuſdem enodare verba, ſimul ac adcuratè ſedulo perpendere. Verùm hoc negocium à Philoſopho nequaquam abſolui, ſed inſtar Palinuri Virgiliani nos ab eodem in medijs derelinqui fluctibus; pro comperto ſatis habuimus, alio deflexímus calamum, & è parentis naturæ latibulis eruere vel expiſcari veritatem pro noſtra virili ſtatuimus, deſumpto hinc ini-

initio. Maiorem lucem, si non extinguere, saltem obscurare pariter ac hebetare minorem, proloquium est vsq; adeò promiscuè cunctis obuium, vt omnem elimìnet respuatque probationem, quando sensus id apertè conuincat atque clarius ipsa luce meridiana commonstret. Quare fortassis inde liceat à simili nobis elicere, motum vehementem atque concitatum impedimento esse minori remissiorique motui, quò minus à sensu percipiatur. Hinc fures ante quàm adposite cultello marsupia siue crumenas præcidât, ne motus incisionis per exiguus percipiatur, atque ita dolus detegatur, alium præmittunt sodalem, qui marsupij dominum trudat, concutiat, atque pertransiens impellat, vt ita demum ille sibi crumenam præcidi minimè percipiat. Itaque thesibus hisce præmissis velut antesignanis vnaq; totius ædificij fundamentis, intrepidè negocium quantumuis arduum adgredior. Vis quæ similia generanti membra totius corporis habitus efformat, supposito quòd ei sanguis menstruus haud obluctetur, quinimò se tractabilem offerat, atque ita subigatur, & euincatur à semine: vis inquam eiusmodi quanquã impedita nusquã vtpote nacta materiã, in quã agat, obsequentẽ, exteriori seclusa qualibet offensa, si iusto forsitan imbecillior extiterit, ita vt ob vnam imbecillitatem delineare nequeat, adfabrè membrorum extrinsecam superficiem sensibus expositam: nempe quia seminis motus, quod ad hanc attinet similitudinis differentiam, hebetatur, euanescit sensim, &(vt Aristotelico more verba faciam) soluitur: sanè tum expergefacta similitudinis Aui potestas, quæ validiori generantis motui cedere cogebatur, & ob id intro sopita delitescebat, quasi despondens animum, hoc casu tandem emicat vtpote non impedita repagulis amotis, in aciem (vt sic dixerim) alacritèr descendit, ac strenue proprias exerit vires. Quam ob rem fætus non generanti, sed eius patri similis euadit. Porro si potestas, Aui similitudinem effingens quoq; ruat ac velut in præceps abeat, aut iusto saltem hebetior offendatur, ac ita

demum

demum huic functioni superesse nequeat: eo casu mehercle detegitur Abaui potestas, vt quæ similiter ociari prius cogebatur: siquidem in semine motus Auitæ similitudinis vt plurimùm vires obtineat maiores, ac potentię seu facultatis motus Abaui. Quòd si vis Abaui pariter ob vnam imbecillitatem exoluatur, mox Tritaui motrix facultas assurgit, atque fætui proprium indit effigiem, qua deinceps ob eandem rationem (vt fit) labefactata, transitus in sequentem antiquioris progenitoris abire consueuit. Cæterum aliquando cōtingit, vt abolitis motibus ad vnum omnibus, in semine virili similitudinem imprementibus, nemini similis progenitorum suorum conceptus oriatur, & hominis tantummodò sortiatur imaginem extrinsecam: sicuti nonnunquam animalis tantùm aut stirpis retinet speciem. At inquies fortè, volutamur etiamnum in eodem cæno, versamur adhuc in ambiguo. Etenim hactenus nundum se se offert efficiens aliquod, nempe quod hasce potestates iandudum enumeratas in actum eliciat. Interpretes enim quidam ad cibum, potum, anni tempus, aerem ambientē, ac ad alias id genus res non naturales, à Medicis ita vocatas, velut in asyllum aut ad sacram anchorā confugiunt, quemadmodum ante retulimus. Verumenimuerò nos eiusmodi commenta tāquam ludicra proximo capite sustulimus. Equidem similes effectus, nempe vires ipsarum similitudinis differentiarum intro latentes, ad actum deducere, consultò reijci velim in vnum motum, velut in proximam causam. Motui nanque si non iure proprium ac peculiare, profectò saltem inseparabile cernitur, excitare velut ex alto sommo vires corporum intro latentes, & ad actum (vt peripatheticè loquar) secūdum, hoc est, ad opus deducere, nam id Philosophus liquidò videatur indicasse, quando dicat motum adesse veluti vitam omnibus naturà constantibus, etsi longè aliter cum Græci tum Latini locum hunc interpretātur. Quocirca priores licet motus, ad instar proiecti lapidis exoluantur atque paulatim euanescant, veruntamen hisce concussionibus

aliæ

aliæ facultates aliarum similitudinum, quanlibet sopitæ, sed tamen integris viribus deinceps excutiuntur sensim & euocantur ex vmbraculis (quod passim efferri cõsueuit) in solem: idque haud secus ac ferrum collidens lapidem inde solet ignem elicere, molis alioquin in eo cõposito minimę, quãdo corporibus hisce multò plus aliorum ac ignis insit elementorum. Id quod vni referre tenemur acceptum motui. Cæterum consideratione dignũ arbitror, hic potentiæ nomenclatura, nequaquam inaudiendum esse, meram actus absolutè priuationem, quin potius actum imperfectũ. Id quod hactenus nemo (quod sciam) alicubi scriptum reliquit aut oretenus explicuit. Etenim hoc ipso potentia remota discerni videtur à propinqua, quòd hæc quàm minimum, illa verò plurimũ actus obtineat, vtpote syncero vicinior actui. Proinde quotiens efferimus aerem aut aquam esse leonem in potentia vel hominem, voce dubio procul abutimur potentiæ: ni fortassis potentiæ nomenclatura passiuam intelligamus potentiam, quo modo videlicet primum informe subiectum esse omnia dicimus in potentia, nimirum quòd omnium suscipere queat species rerum corruptibilium. Atqui Philosophus adseuerans in prę sentia, semini potentiam similitudinis inesse patris atque progenitorum, haudquaquam passibilem huiusmodi visitur in subiecto specierum omnium expertem, sed actiuam intelligit potentiam, hoc est, facultatem aut vim, quippe Philosophus actum primum vocitat, tantum abest, vt mera nudaque credatur esse priuatio quouis actu prorsus destituta. Quare facultas eiuscemodi iure censetur actus quidam imperfectus. Id quod perbellè per inductionem fulciri queat hunc in modum. Plantarum semẽ putà persici, terra tectum humente germinat & alitur, idque nulla penitus interiecta temporis intercapedine. Quocirca non solùm potentia, verumetiam actu dignoscitur anima præditum altrice. Idem omnino venit sentiendum de singulis promiscuè plantarum seminibus, quandoquidem in omnibus eadem ratio militet. Ve-

rùm

rùm age, faciamus periculum, an animalium quoque sit idem iudicium. Sane Galenus frequenter exemplo stirpium, animalibus pariter idem euenire, non auguratur quidem, aut coniectatur, quinimò corrolarium infert ita tutoque colligit, vt insuper præsumat se demonstrare. Veruntamen omissa nos id genus argumentatione videlicet à simili petita, seriò demonstrare tentemus hoc idē. Masculinum semen vim in seipso cōtinet formatricem, & sanguini mēstruo facultatem impartitur altricem, quod ipsa palàm experientia nos edocet, idque semota posthabitaque tantisper classicorum authorum censura, consequitur itaque semen animatum esse: siquidem alij quidpiam erogare nusquam admittatur, cuius id quod elargitur, aliqua ex parte saltem particeps haud fuerit vnde semen actu vim altricem possideat omnino necessū est, sed tamen imperfectā. Verùm de sensili quidnā pronunciabimus? Nanque fætus præsertim humanus, per dies aliquot vna duntaxat viuit altrice potentia. Proinde si genitale semen organa pariter adpositè constructa pro sensilibus functionibus offenderet, eodem temporis momento dubio procul vna cum ipsa vegetatrice, sensilē quoque potentiam condonaret. Itaque præstolatur tantisper, quòd ea vis operosa magis instrumenta postulet ac ipsa vegetatrix: haud secus ac acquisita sensili potestate, diuina formatrix eadem in semine delitescēs, in dies aliquot differt fætui motricem inserere, ne quidpiam moliatur incassum, quando motus operosa magis adhuc organa poscat, ac ipse sensus: sicut & ratio Regina forinsecus accedens præter aliorum casus interiorum sensuum longè diligentius extructas, insuper viti requirit cogitatricem à secretis ancillantem eidem mentioni.

Spi-

Spinosus hic alius annouetur scrupulus.
C A P. IX.

Difficilimus iterũ hoc loco surculus è trunco superioris considerationis pullulat atque modo quodam erumpit adprimè curiosus. Iuxta supposita semen haud dubiè fuerit animatum, quandoquidẽ in seipso singulas animæ facultates obtineat, idque non aliter ac ipsorum interuentu vel adminiculo spirituum, quorum suffragijs agit, quidquid agit. Hinc in dubium velut in ius vocant, num animati sint spiritus? Nemo hactenus acu rẽ (quod passim efferri solet) attigit, nemo nos adhuc exemit ex hisce plexibus. Quare sudandum tantisper, vt ad veritatis culmen peruenientes ociemur tutoque tandem conquiescamus, ac eadem fruamur veritate. Cum animaduertant eruditi, spirituum adminiculo functiones animæ singulas peragi, quemadmodum & eosdem hanc ob causam ad singulas huius reipublicæ corporis animalis effundi seu distribui, confestim eosdem animatos censeri debere suspicantur. Vbi verò nusquam ali spiritus eosdẽ conspiciunt, ac ita per consequens altrice potentia destitui, mutãt illico sentẽtiã. Ni fortè spiritus ali fingas quo modo videlicet ignem impropriènutriri pronũtiamus. At quoniã eosdem ali forsitan probari potest sicut & rationi magis consentaneũ, & mordicus idipsum Medici tuentur, vt id absq; controuersia cõdonemus, ita nimirũ eosdem haudquaquam sentire pronunciabit quispiã, ni fuerit omnino proteruus atq; perfrictæ frõtis. Itaq; qui spiritus vim elargiri sensilem queant particulis, quã in seipsis haud possideãt, haud coniectari nedum scire possumus, nã eosdẽ orbarì muneribus huiusce sensilis facultatis attestatur experientia. Rursus vbi legerint Auicennam adseuerantem, præcipuum instrumentum animę primumque subiectum agnosci spiritũ sanè tũ ancipites ambiguique transuersum aguntur, nec in quam inclinent

net partem, satis norunt. De semine difficultas eadem emergit ob adductam paulò ante rationem. Omnes ferè seminale genituram sicut, & spiritus aiunt animam non actu, sed potestate tantùm obtinere. Verùm id esse monstruosum inuētum ita probamus. Quidquid impertitur alicui, vim aliquam actu, necessariò possidet eādem actu, saltem eo momento temporis, quo tribuit illam. At spiritus, qui vocitantur à Medicis animales, condonant actu particulis sensum ac motum, ergo (velis nolis) ijdem actu vim sensilem atque motricē possident, & actu dici debent animati, non autem potentia, nam iuxta sicuti vulgatissimum, ita verissimum quoque proloquium nihil alicui quidquam exhibet, quod in seipso non possideat. Etenim si potestate tribuit, hoc eodem quoque potentia duntaxat fruitur ac potitur. Sinautem actu vim aliquam elargiatur, hanc eandem actu pariter possideat omnino necessum est. Quam ob rem, id eis nimirum perclam imposuit, quòd enuntiationes hasce, nempe destitui sensu quidpiam, vnaque possidere facultatem sensilē, existimauerint interse manifesta includere vel implicare contradictionem. Ego verò similes enunciationes ita nō diffidere crediderim, vt per bellè mutuò coire queāt. Id quod hunc in modum comprobamus. Ad obeunda numia compositi cuiuslibet duo requiruntur, nempe facultas & organum, modò videlicet eius generis operis, quæ postulet instrumentum, nam simplicia corpora minimè poscunt organi præsentiam, vt probè suas edant functiones. At quorsum hæc? Proponam in artificialibus exemplum adcommodum. Manus ligna secat, sed tamen non absque securi. Intellectus humanus ædificat vel (vt adpositè magis eloquar) homines ędificāt, at non seclusis instrumentis. Ita nimirum semen ac spiritus vtcunque fruantur actu sensili pariter, ac altrice potentia, seu facultate (nam hic voce potentiæ non priuatione actus, quinimò facultatem ipsam, hoc est, actum primum intelligimus) attamen sentire nequeunt, ni præsto sint eisdem organa sensationi seruientia. Quapropter

propter vt primùm spiritus ac eisdem interuentu genitura seminalis, vtpote præditus actu, nedum potestate, solummodò facultate sensili, quæ nuncupatur anima sensilis adipiscitur organum ad id adcommodum, illicò sentit. Hinc absurdè nimis (meo saltem debili quanlibet iudicio) plures forma distinctos inter se confingunt spiritus Authores etiam classici nedum ipsi neotherici: putà visorium, audibilem, odorabilem, tactilem atq; motilē, quando sufficiat vnus abundè spiritus, ac superesse queat obeundis hisce munijs omnibus. Nanque spiritus idem numero, nedum specie, si deferatur ad oculum, intuetur; sin ad aurem audit: sicut & ad linguam & fauces gustat, ad singulas delatus carnis cutisque particulas tangit, & ad nares olfacit. Quinimò contentus idem in cerebri cōceptaculis imaginatur, cogitat, aliaque pergit obire munia sensuum interiorum: idque nimirum haud secus ac manus ipsa, quæ vocitatur organorum organum, pro diuersitate videlicet instrumentorum, diuersas promere consueuit operationes. Hinc cerebrum sentiendi vi quantumuis actu præditum, nihilosecius haud sentit, quia destituitur organis. Id quod vafrè seu perclam imposuit Matheo Curtio præceptori meo, quippe quem iudicio cunctis neothericis anteponi quanuis paucos emiserit in lucem partus. Cæterum ex hac inuenta veritate, quæ nemini fortassis hactenus, aut certe paucissimis illuxit, hisce freti subsidijs vltro pernici cursu feramur ad densitatem diuinæ vnitatis (vt ita dixerim, quando desint voces ad id exprimendum) idētissimam: erigamur inquam ad rimanda scrutandaque sublimia rerum altissimarum arcana perpaucis obuia. Diuus nanque Hieronymus in epistolis, ab vno diuinitatis lumine diuersos (imò cōtrarios etiā) admiratur effectus prodire seu proficisci, quod nos in opere, quod inscribitur de sapientia fusè pro virili nostra sumus executi. Verū vt expergefacti semel velut ex alto somno naturæ totius exemplar & admiremur, & velut attoniti tandem obstupescamus, inferioris naturæ contemplemur opera, quæ videlicet exemplaris illius

lius idola dignoscuntur & imagines, in quibus diuersa pluries ab vno cernimus emanare. Patet hi latissimus philosophandi campus. Galenus nanque spiritus vitales in corde genitos ab animalibus natura seu specie distinxit, quem posteriores insequuntur, quippe quos cerebrũ & excipit, & iugiter excoquit. Ego verò crediderim, si penitius viscera naturæ velimus introspicere, vitales ab animalibus non discerni specie, quinetiam omnino vel actu possidere facultates. At id in pręsentia non cõmunimus argumentis, tùm quia receptui canendum esse, iusto fortassis longior digressio nos disputandi quantũuis auidos & monet & hortetur: tùm præcipuè quòd id quæsitum nostræ contemplationi nihil, aut certè quàm minimùm conducat.

Philosophi contextus explicantur. CAP. X.

Itaque ratiocinijs in medium adductis è rei natura petitis, ad veritatem indagandam, superest, vt Philosophi cõtextus, diligẽti (quod aiũt) trutina rãtisper expẽdamus, quò magis atque magis elucescat veritas. Inquit enim: Soluũtur autem motus, qui creant, in propinquos. Verbi gratia, si motus eius qui generat, soluatur, primũ differentia minima transibit in motum patris, mox in Aui, atque deinceps ad hunc modum in cæteros consimiles. In fœminis quoque transitus fit. Motus enim concipientis in motum soluitur matris. Si non in hunc, in eum qui Auiæ, eodemque modo in superiores. Hæc ad verbum Philosophus. Porro quàm obscurè quanquam diminutè loquatur, luce meridiana clarius patet. Sicuti nanque solui motus in propinquiores verum esse cõstat, ita demum explicari debuerat efficiens huius euentus operisq; causa: siquidem exoluto motu generãtis quo ad similitudinis discrimen, quod in habitu corporis adparet, inquirendum restat, quidnam sit illud, quo propin-

qui

qui progignit effigiem. Sanè Philosophus hic mancus agnoscitur ac mutilus. Item si non minimo discrimine, sed effatu digno soluatur huiusmodi motus, exprimenda venit causa, quæ videlicet Aui promat idolum, aut Abaui, si fortè maior extiterit exolutio: vel etiam Tritaui, & sic de singulis, quousque vis adsimilandi expaciari potest. Itidem ait concipientis motum in matris transire motum si differentia sit minima: si non in hunc qui Auiæ, eodemque modo in superiores, exprimere profectò causam debuit, harum effigierum efficientem. Id quod minimè præstitit. Auerrhous hic implicatur, atque (quod ante retulimus) tergiuersatur. Albertus verò sicut & alij, qui sequuntur eius vestigia, supplere studens Philosophi defectũ ait, in exigua solutionis motus differentia, propinquioris effigiem emicare, propter similitudinem cibi vel potus, aut alius rei non naturalis, quæ potest intercidere. Si verò maiori differentia generantis eiusdem motus exoluatur, fieri transitum auguratur in Auum, dein Abauum, ac ita de sequentibus, quousque vis tetenderit effingens, idque pariter ob cibi similitudinem, aut alius rei non naturalis, quippe quæ per accidens intercidere potest in generatione, scilicet quæ iuuare vel conducere potest, ad generationem alicuius maioris. At Dij boni quid commune cernitur esculentis atque cæteris rebus non naturalibus, cum similitudine corporis habitus extrinseca? Mera somnia sunt isthæc, atque mediustertius (vt ita dicam) ludicra prorsus inuenta. Verum sequentia perpendamus Philosophi verba. Inquit enim: *Potissimum igitur ita natura fert, vt qua mas, & qua pater, simul & superet & superetur, parum discriminis est. Quapropter vt simul eueniat vtrunque, nequaquam est difficile, Socrates enim vir talis quidam est.* Hæc ille. Verùm haud me latet ita ferre naturam, vt qua mas, & qua pater, simul & superet, & superetur: siquidem apertè conspiciam oriri conceptus quandoque generanti similes, cum in se-

xu, tùm etiam in configuratione corporis; aliquando matri potius, in vtraque differentia persimiles nonnunquam autem partim vni, partim alteri: hoc inquam me neutiquam fugit, at quod fiat id ab effingente potestate, cuperem anxiè mihi diligenter explicari. Id quod abundè nos nuperrimè declarasse confidimus, ni philaphtia forsitan vtpote pessima meretrix, & adsentatrix, quæ perpetuò perfricta fronte (quod aiũt) vafrè nobis insidiatur, mihi perclam atque turpiter imponit, & illudit. Prosequitur Philosophus: Quam ob rem mares magna ex parte similes euadunt patri, fæminæ matri: simul enim in vtrunque distenditur, opponitur autem fæmina mari, mater autem patri, discessus autem in opposita fit. Hæc Philosophus. Proloquium in physicis auscultationibus exarratum, hic ad memoriam venit adpositè reuocandũ, nempe functiones eas naturæ censeri siue naturales operationes, quæ si non semper certè saltem vtplurimùm peraguntur: non naturales autem rarò producuntur, vel (vt adcurratius eloquar) accidunt. Hinc aliud, si non axioma, saltem positionem elicere possumus, nempe naturalium operum, eo magis censeri naturalia, si conferantur ad inuicem, quæcunque crebrius eueniunt: contra quæ minus proferuntur in lucem, naturalia minus diudicari. Quare cùm nati frequentius & mares, & patri similes conspiciantur, quàm alicui progenitorum ex parte generantis, inde colligimus, nasci marem atque patri consimilem, opus dignosci magis naturale: quanquam effingi fæminam, aut marem non patri generanti, sed eiusdem progenitoribus oriri consimilem, naturæ pariter munus agnosci minimè diffitemur. Id quod alio ratiocinio, propter quod, à Logicis nuncupato fulciri potest hunc in modum. Quæ validior est facultas, & cuius motus inest actu semini pluries in lucẽ edit opera propria, magisque per consequens creditur esse naturalis, ac ea quæ propria rarius obire munia consueuit, & semini duntaxat inesse potentia dignoscitur, adhæc imbecillior alia visitur, secundum naturam. Ergo naturale magis

uti-

vtique fuerit, nasci marem, atque patri similem, ac fœminam oriri, vel patris eiusdem generantis progenitoribus vtcunque similem. Eadem ratione si, qui sunt in potentia motus in semine conferantur adinuicem vna cum eorundem facultatibus, scilicet à quibus emanant: seclusa dubitatione qualibet,& vis,et motus Aui propriũ parturiens idolũ,naturales fuerint magis, ac vires Abaui (simul,& earundem virium motus) aut progenitorũ vires ac motus adhuc magis distãtium effigiem, hoc est, similitudinem vel ad viuum (vt sic dixerim)exprimentes,quandoquidem vtrobique prorsus militent nuper in medium adductæ rationes. Vnde nos innixi pariter eidem scipioni (quod vulgò consueuit efferri) deducimus, existimari iure magis naturale,fœminam generanti,quã eius matri similem prodire:sicut & Auię similitudo,quę nonnunquam adparet conspicua, magis naturæ consentanea diudicatur, effigie progenitorum ex parte matris aliorum, vtpote magis à naturæ foco laribusque distantium, vt in re nimis abstrusa doctrinæ gratia clarioris metaphora ludam. Proinde mares magna saltẽ ex parte patri similes existunt, fœminæ verò matri. Nam à patre(quemadmodum attestatur Philosophus)facilè transitur ad natum,quia pater mas est,ac talis mas. Similiter à matre discescus facilè fit ad natam, nam cùm ipsa mater & fœmina sit, & fœmina talis, hoc est, circumsepta talibus accidentibus indiuiduis, multò facilius cõceptui (modo se non opponat impediendo generantis motus) communicat ea, quæ sibi ipsi propria sunt magis, atque hoc est nimirũ, quod hisce verbis indicasse videtur Philosophus scilicet. Simul enim in vtrunque distenditur, quippe quæ verba sunt admodũ obscura vel perplexa. Quemadmodum enim opera naturalia vel semper aut plerunque peraguntur; non naturalia verò non nisi raro:sic naturalium operum,ea quæ magis naturalia sunt, & facilius fiunt & frequentius. Cæterum transitus, quẽ hic Philosophus discescum adpellat, in opposita fieri debet. Id quod à physicis auscultationibus petendum est,

vbi mutationem omnem à contrario in contrarium, non autem à quolibet in quodlibet fieri vel impendio nos edocuit: siquidem id esset temerè frustraque fieri, naturam autem nil incassum attentare, sed omnia moliri propter finem, ac velut in Scopum cuncta dirigere, vel cumulate luculenterque comprobatum est in ijsdem physicis auscultationibus. Itaque transitus eiusmodi siue discessus cùm sit mutatio, iure fieri debet ad opposita. Verùm opponitur fæmina mari, pater verò matri. Quapropter à matre in patrem, & à fæmina in marē, discessum, id est, transitum fieri necessum est. Vi nanque similitudinis pater vtique deberet progignere natum sibi consimilem in omnibus. Veruntamen vbi motus eius facultatis euanuerit atque conciderit, à simili transitus fit in dissimile, quod suum est oppositum.

Particulæ sequentes enucleantur.
Caput XI.

SVbintulit proximè: Sed si motus qui est à mare superarit, qui verò à Socrate est, non superarit, aut hic euicerit, ille non: ita euenit, vt mares matri consimiles, fæminæ verò similes patri generentur. Hæc Philosophus. Vbi probauit, à mare fieri discessum seu transitum in fæminam, & è contra: nunc adsignat rationem, cur mas oriatur sæpe matri similis, fæmina verò patri, inquiens. Si motus, qui à mare est, id est, si facultas (à qua motus proficiscitur) adsimilatrix, nempe qua mas aptus est, adsimilare sibi fætum in sexu, superauit, scilicet vim fæminæ trahentem ad oppositum, hoc est ad sexum fæmineum, vtpote generanti dissimilem: qui verò à Socrate est, id est, facultas, adsimilatrix autem, qua Socrates est aptus adsimilare sibi fætum in hac indiuidua Socratis essentia, non superarit, videlicet fæmellę virtutem iugiter ad oppositum trahentem essentiæ Socratis indiuiduæ, hoc est, ad eiusdem Socratis dissimi-

similitudinem: aut hic, scilicet motus qui à Socrate est, superarit, ille non, qui est à mare, non superarit: sanè tùm euenit, vt mares prodeant matri similes, quatenus motus maris haud superat motum fœminæ: verum fœminæ similes patri gignuntur, quatenus Socratis motus, hoc est, patris euincit ac superat. Concipientis nanque motu superante motū generātis in differentia sexus, motu verò generantis vincente motum fœminæ concipientis in similitudine indiuidualis essentiæ, nascitur fœmella patri similis. Adducit subinde ratione, cur nati nō parētibus quinimò progenitoribus prodeāt similes inquiens: Sin autem motus adseruetur maris, Socratis verò soluatur in eum, qui patris, eo casu mas erit Auo similis, aut alicui cæterorum ex maioribus superioribus, prout solutio tetenderit. At si qua mas est, euincatur superetur que, fœmina similis matri potissimū prodibit. Quòd si motus hic exoluatur, eo casu matri matris adsimilabitur, aut alicui superiorū pari ratione. Hæc Philosophus, nempe quibus verbis nos instruit in præsentia, scilicet vt intelligamus, cur nati similes euadant progenitoribus. Porro diximus alias in superioribus, & hoc idem hic succinctè doctrinæ clarioris gratia repetimus, plurimum intercidere discriminis inter solui motū alicuius facultatis, ac motū eūdē vinci: siquidem eo casu propriè vincatur, quotiēs ob inobedientiā &(vt ita dicā) ineptitudinem, atque malū temperamētū, aut crassitiē, aut lētitiē seu viscidítatē nimiā, sāguis mēstruus obsistēdo plus potest, quā agēdo semen præstare queat vtcunq; validū atq; prout expedit, attēperatū. Atqui fęminea genitura probè temperata, nec vitij quidpiam sortita, sic vt agenti nullatenus obsistat, nec ei sit impedimento, quò min⁹ pro arbitrio (mihi liceat ita loqui) fingat efformetque fœtum, sed tamen contingat idem illud semen, iusto tātisper imbecillius offendi: sanè tùm etsi per omnia sāguis menstruus illi præstat obsequiū, quādo nō obluctetur eidē semini, veruntamen seminis eiusdem motus ob imbecillitatem, nihilosecius ad instar proiecti lapidis

V 3 (quod

(quod antea diximus) labafcit,hebetaturque fenfim, & infecto negocio tandem concidit, atque hoc eft nimirũ (meo faltem iudicio) quod Philofophus indicat, cùm dicit folui motum,hoc eft,euanefcere fuapte fponte fenfim ac paulatim. Neq; enim hoc cafu proprie vincitur,quãdo victoria certamen fupponat, nos autem hic velut confeffum vltro fupponimus obfequium in omnibus illi præftare materiam, nempe fæmineam genituram fiue menftruum fanguinem. Hic Ariftotelici decreti fenfus cum interpretes latuerit, eos mala tranfuerfum egit intelligentia,fimul ac effutire coegit,motus maiorum (de quibus nuperrimè citatis verbis ex profeffo difquirit Ariftoteles) qui feminibus infunt potentia, tandem ad actum deduci, pariter ac fubigere generantis motus, actu femini quaulibet inexiftentes, idque nimirum (vt ipfi rentur) propter fimilitudinem cibi, potus, aut aliarum rerum non naturalium, quæ fimilitudo facultatibus maiorum, vtcunque res non naturales longo cedentibus interuallo,potentijs facultatibufque parentũ, actu feminibus inexiftenti:quæ res inquam non naturales (vt illi falsò rentur) robur eifdem potentijs maiorum fuppeditant adeò, vt fubigere vel obfcurare poffint parentũ facultates, atque hæc illi perperam comminicifcuntur. Atqui Philofophus hic minimè protulit: Si motus Socratis vincatur, aut fuperetur, nam eo cafu non Auo paterno, vel alicui maiorum alijs patris euadet fimilis natus,fed matri, vel alicui matris progenitorum. Propterea dixit: Si motus Socratis foluatur,quo cafu non fuperatur aut vincitur, quinimò fuapte fponte propter imbecillitatem corruit. Interea verò facultas alia maiorũ alicuius emicat emergitque, fuapte natura quantumuis imbecillior,atque vires exerit proprias.Porro fi petieris à quonam euocetur in actum efficiente, cùm ea femini tantum infit potentia,protinus refpondebo, non à potu, cibo, vel alijs iandudum id genus enumeratis in actum elici(quod illi falsò comminifcuntur) fed ab vno duntàxat motu, quippe cuius proprium ac peculiare munus

agnoſcitur, ad agendum excitare vires mixtorum natu-ralium atque ſimplicium. Id quod Ariſtotelem fateri cõpulit, eundem motum eſſe veluti vitam omnibus naturâ conſtantibus. Exoluto nanque motu prioris facultatis vtpote vegetioris atque validioris; cõfeſtim expergecta tunc primùm velut ex alto ſomno, conſurgit emicatuè proxima vis latens ac poteſtas, & in aciem quaſi dimicatura deſcendit, vnius opera motus excitata: præcipuè cum ea, cæteris collata remotioribus,quę continuata ſerie conſequuntur,facultatibus, fortior atque validior dignoſcatur, vtpote minus ab actu perfecto diſtans. Itaque valeant,aut (quod ex re magis fuerit) aliquando reſipiſcant, quicunque maiorum poteſtates, ac eorundem motus, qui ſeminibus generantium inſunt potentia, deduci tandem ad actum ac vincere motus generantium, ſeminibus actu quanlibet inexiſtẽtium ſtolidè nimis arbitrantur, idque propter ſimilitudinem accedentem à cibo, potu, dein aere circumfuſo, vel ab alia re quapiam id genus non naturali forinſecus accedente generantibus, quando rebus eiuſmodi nullum prorſus inſit generantis at concipientis veſtigium ſimilitudinis: adhæc iuxta vulgatiſſimum vnàque veriſſimum poſtulatum, nil alij queat impartiri, quod in ſeipſo nec actu, neque potentia, hoc eſt (quemadmodum antea nos interpretabamur) actu quodam imperfecto non obtineat. Addit Philoſophus.

Contemplationi ſimilitudinis indiuidualis Author colophonem imponit. Cap. XII.

Addit Philoſophus: Idem motus quoque partium eſt. Sæpe enim aliæ patri, aliæ matri, aliæ maiorũ alicui ſimiles conſtituuntur. Inſunt etenim & partium motus, alij actu, alij (quod ſupra diximus) potentia. Hæc ille, quibus verbis cauſas adſignat ſimilitudinis in partibus, cùm in ſuperioribus ob oculos rationem ſimilitu-

dinis in toto constituerit. Cæterum in euocanda similitudine progenitorum ad actum; in partibus ipsis, quæ potentia similiter inhærere seminibus existimantur, delirant rursus atque palàm cæcutiunt interpretes: siquidem hosce partium quoque similitudinis motus; potentia quanlibet eisdem seminibus inditos, accessu rerum non naturalium, euincere pariter ac subigere motus generantis. actu semini quantumuis inexistentes augurentur ariolenturque potius, quàm vt probabili cuipiam rationi, nedum scientificæ semel innitantur. Aiunt enim accessum hunc rerum non naturalium vsq; adeo motum fouere maiorum, huiuscemodi suffragijs allectus, in lucem vltro velut scænam prodeant. Quasi verò non naturales huiusmodi res à medicis ita nuncupatæ, quod non habent, & cuius minimè participes offenduntur, natis erogare queant: quasique modo quopiam alio, quàm vnius interuentu motus, hisce delineandis progenitorum similitudinibus opitulari ferreque suppetias queant. Postremò Philosophus epilogo breui complectitur, quæcunque hactenus hoc in negocio diligenter excussit inquiens: Omnino autem sunt suppositiones, vna quidem quam modò diximus, motus inesse alios potentia, alios actu: altera degenerare quod superatur, in oppositum: tertia transire in motum proximum id, quod soluitur: & si minus soluitur, in propinquum, si magis, in remotiorem distendere, demumque ita confundi, vt nemini suorum euadant similes, at commune solummodò relinquatur, vt homo sit, quippe cuius rei causa est, quòd cõmune particularia omnia cõsequatur, Homo enim vniuersale est, Socrates, pater, & quęcũq; est mater, particulare est. Hæc Aristoteles. Porro duarũ suppositionum intelligentia satis patet ex superioribus, nẽpe motuum, alios inesse potentia, alios actu: secũdò quod superatur, in oppositum degenerare. Verum suppositio tertia poscit altiorem indaginem. Etenim in hac tota particula Philosophus epilogo breui tres hasce complectitur theses, antea multis explicatas verbis, atque validis

dis

dis comprobatas ratiocinijs. Tertiam vtpote difficilem adgredimur, quæ sic habet. Quod soluitur, in motum transit proximum. Addas hanc adductam in medium in superioribus, appendicem à Philosopho differentia minima, quò sensus reddatur integer, atque ita legis: Tertia (nempe suppositio siue thesis) transire in motum proximum, hoc est, solui differentia minima, id est, vna duntàxat differentia, quandoquidem vna pluribus collata, iure vocitetur minima. Quam ob rem hic minimi voce, non intelligit per comparationem ad id, quod maius cernitur, sed ad ea, quæ numero plura dignoscuntur collatione facta. Mox intulit: & si minus soluitur, id est, vt ego quidem interpretor) supposito quòd iã exolutus agnoscatur motus generantis, quoad differentiã propriæ similitudinis particulæ tantummodò, qua ratione dicitur minima differẽtia, quoniam vnica visitur, & non multiplex: si solutio motuum vlterius tendat atque progrediatur, aut minus soluatur, id est, aut motus exolutio contingat, quo ad secundam tantummodò differentiam, qua ratione pronũciatur hic minus solui (hoc est, exolui) motus, atque ita fætus erit Auo similis. Prosequitur Philosophus: si magis (videlicet soluatur) in remotiorem distenditur, hoc est, si pluribus effigierum similitudinumque differentijs exoluantur motus, quàm duabus, quarum proxima visitur Aui, propinqua minus autem Abaui: sanè tùm in remotiorem abit, siue (vt Aristotelico semel vtar verbo) distenditur, (sequitur) demumque ita confundi, vt suorum nemini similes euadant. Omitto sequentia veluti clara. Porro doctrinæ gratia clarioris, pro arbitrio diuersis vtar vocibus, proinde ac si Philosophus verba faceret hunc in modum: In summa succinctè repetentes quæcunque superius fusè scriptis prodidimus de similitudinũ differẽtijs, ad capita tria dũtaxat cũcta reducimus. Primũ, in esse motus, alios actu, alios potentia: secundum, degenerare in oppositũ quod superatur: tertium verò, trãsire quod soluitur in motum pro-

proximum, qui motus est Aui, siue patris eius qui generatur: siquidem hebetat motu similitudinis generantis, in arenam recens descendit (vt ita dixerim) Aui motus illi proximus quo videlicet ad hanc primam similitudinis differentiam generantis, vtpote minimam, hoc est, non multiplicem, sed vnam tantùm atque simplicem, nam isthæc minima, simplex, vnicaue simul ac prima visitur solutio, videlicet paternę similitudinis in auitam. Porro si motus aliarum similitudinis differentiarũ soluatur minus, id est, si non minima fuerit solutio, cuiusmodi censetur ea, quæ est patris in Auum, quæ iure dicitur minima, veluti simplex & vnica: si fuerit inquam exolutio motus non minima, sed minor dumtàxat, vt quæ dudum præcessisse minimam vltro supponat: Sanè tũc ea secunda solutio tendit abitque non in proximum, scilicet in quem immediatè prima transierat, quin potius in propinquum, qui ei proximè succedit. Vt enim exoluto propter imbecillitatem siue labefactato generantis motu, quasique defesso: motus eiusdem opera suscitatur similitudinis auitæ motus alter, minor quidem ac infirmior motu paternæ similitudinis secundum naturam: veruntamen propria natura fortior atq; potentior motu similitudinum aliarum, quæ consequuntur: sicut inquam colliso generantis motu, succedit ei proximè motus Aui, ita nimirum Aui motus idem, si fortassis ob impotentiam indere fœtui nequeat, propriæ facultatis propriam similitudinem, sed exoluatur & euanescat, eo casu transitus fit in Abauum, quippe quæ non minima, sed minor solutio censetur: Id quod obscurissime Philosophus hisce verbis indicauit: Et si minus soluitur, in propinqua (videlicet soluitur) si transit. Si verò numerosior, magisque multiplex euadat solutio, scilicet vt non solũ exoluantur, patris & Aui, verumetiam Abaui motus mehercle tum in remotiorem solutio pergit, putà in Tritauum, quippe cuius motus iuxta naturæ præscriptum, Abauo succedit, velut impotenti. Nam & si priorum, & antecedentium motus facultatum, posterioribus est firmior

mior ac potentior secundum naturam, nihilominus ob infirmitatem ac imbecillitatem, priores cedunt posterioribus, & ad instar proiecti lapidis, aut eiaculatæ pilæ per bombardam ferreæ propter ignis violentiam quærentis exitum, adeo remittuntur motus & euanescunt sensim, vt quotiens vi similitudinis destituuntur propriæ videlicet imprimendæ, hoc tamen interea lucri faciant, quòd illo motu suo quantlibet imbecillo, proximiorem facultatem proximè subsequentem, vtpote subsequentibus alijs robustiore secundum naturam, ad motum impellant atque quodam modo trudant. Id quod Philosophus idem (vt antea) pariter obscurissimè nos edocuit his verbis admodum perplexis: Si magis (videlicet soluatur) in remotiorem distendere. Scilicet perinde ac si verba faceret hunc in modum: Si magis numerosa seu multiplex exolutio motuum in sequentibus differentijs subsequetur, in remotiorem distendere, demumque ita confundere, vt suorum nemini similes oriantur, sed commune solummodò relinquatur, vt homo sit: quippe cuius rei causam esse docet, quia commune particularia quæuis promiscuè consequitur. Homo enim vniuersale est, Socrates, pater, & quæcunque est mater, particulare est, nam eadem in sequentibus ratio militat.

Quorundam interpretatio reijcitur, & particulæ sequentes exponuntur. Cap. XIII.

Hic satis mirari non possum, grauem quorundam interpretum imposturam, quando contextum Aristotelis palàm demoliantur, ac attestari, quod penitus abominatur, velint. Tantam enim eius verbis vim inferunt, vt omnia subuertant. Vbi nanque Philosophus tertiam explicans differentiam ait, transire in motum proximum, quod soluitur, exponunt illi rursus hanc vocem: soluitur, id est, vincitur, vt sit sensus huiuscemod verborum quæ sic habent: Transire in motum proxim

id.

id, quod soluitur, id est, (vt pluries ante dictum est) vincitur. Subdit: Et si minus soluitur, id est, (vt interpretantur ipsi) superatur ac vincitur in propinquum. Si magis (videlicet vincitur, vt ijdem inculcant) in remotiorē distēdere, demūq; ita cōfundi, vt nomini suorū prodeat similis, & quæ sequuntur. At hæc è vestigio cum ijs pugnat verbis, quæ nuperrimè præmisit, quādo dicat, secundam agnosci differentiā, degenerare in oppositū quod superatur: tertiam verò transire in motum proximum id, quod soluitur. Quam ob rem si solui fuerit vinci vel superari (quod idem est) nullum omnino poterit adsignari discrimen inter primam atque secundam differentiā. Si nāq; quod superatur ac vincitur degenerat in oppositum (quę prima visitur differentia) dein idem rursus quod vincitur, transit in motum proximum, id profectò proinde est, ac si ita pronunciaret: Quod superatur, & in oppositum degenerat, & in motum transit proximum. Vnde præter id, quòd erit vna differentia tantum, & non plures, vt aperte Philosophus adserit, insuper hic loquendi modus includet in se contraria: siquidem in motum transire proximum, huic enunciato penitus aduersetur, quod in oppositum degenerare docet, nam quod oppositum est, omnino remotum est, & remotissimum opponi proximo, notius est, quàm vt à quopiam vtcunque versuto dissimulari queant. Quapropter semotis hisce plexibus veluti repagulis, quæ nos præpediunt, quò minus ad veritatem indagandam rerum adeo sublimium festinemus, succinctè breuiterque repetimus ea, quæ nostro conducunt instituto. Quod superatur ac vincitur, non aliam ob rationem in oppositum degenerat, quàm quod ius amittat suum (vt ita dixerim) ac illud in victorem, cui cedit vtpote victus, transferat, idque nimirum iure belli, metaphora mihi ludere liceat. Id quod Auerrhous in re difficili tantùm admittit. Proinde genitura fæminea victrix, vt quæ virile semen strenuè subegerit, quod ad eiusmodi corporis habitus vniuersi, vel alicuius

cuius particulæ similitudinem attinet effingendam: victrix inquam genitura fæminea veluti triumphans, aspernata virilis censura seminis, ipsa fœtui siue conceptui leges præscribens, atque sanciens in hac idoli vel simulachri differentia, musculis omnibus aut quibusdam cutique pro virili sua propriam indit, ac inserit effigiem. Vbi verò semen haud superatur à sanguine menstruo, scilicet hoc supposito quòd ei tanquam domino fabricæ vel opifici præstet obsequium, obediat, atque nullatenus obluctetur, vtpote benè temperatus, simul ac probè subactus: sed tamen interea semen ipsum sua sponte veluti defessum aut lassatum, attentet quidem pro viribus effingere membra nuper efformata, generanti consimilia: veruntamen præ imbecillitate nimia, mouendo delineandoque labascat, hebetetur, & omnino tandem concidat: eo casu mehercle motus ille paternæ similitudinis, antequàm occumbat, sopitam facultatem patris eius, qui generat, vtpote vires habentem integras, vnaque cæteris quæ subsequuntur, potestatibus fortiores atque validiores, excitat, ac (vt ita dicam) ad operandum vel inuitas trudit. Ad hæc si fortè motus ille patris eiusdem generantis, in eandem impegerit inopiam virium, nec auitæ pariter imprimendæ vel infigendæ similitudinis (vt fit) superesse nequeat, eodem iure proximam Abaui, facultatem inuitam ad operandum, excitat, & mouendo compellit. Id quod de cæteris, quæ subinde consequuntur continuata serie potestatibus intelligi velim. Age, sequentem Philosophi particulam expendamus, in qua rationem adsignat eorum, quæ nuperrimè produxerat in medium, faciamusque periculum, an ea quæ retulimus expungat, & obliteret (sic fari concedatur) aut nostro (quod speramus) instituto potius faueat. Inquit enim: Causa autem vt motus soluantur est, quoniam omne agens patitur, etiam à patiente, vt quod

secat,

fecat, hebetatur ab eo, quod fecatur: & quod calefacit refrigeratur, ab eo, quod calefit. Denique quodcũque mouet, excepto primo motore, mutuò mouetur aliquo motu. Verbi gratia, quod pellit, repellitur quodammodo, quod premit reprimitur. Hactenus porro dilucida cernuntur Aristotelis verba, vt vel vltro quanlibet reijciãt, atque respuant interpretationem. A quæ sequuntur proximè, lectorem attentum poscunt atque desiderant: Interdum etiam ita fit, vt quod agit, perpetiatur magis, quã agat: & refrigeretur (scilicet magis) quod excalfacit, & calescat (scilicet magis) quod frigefacit. Quandoque autem nihil facit, quandoque minus quàm ipsum affectum est. Hæc ille. Quibus verbis nimirum, adamussim quid sit solui motum, aut superari, seu vinci patefacit. Nanq; quidquid in aliquod subiectum agit, haud dubiè necessariò perpetitur vicissim, quando præditum illud ijsdem plane qualitatibus offendatur. Veruntamen inter agẽs ac perpatiens illud discriminis intercidere necessariò consueuit, quod agens, aut perpatitur magis agendo, quàm agat, ob validam perpatientis colluctationem siue resistentiam, aut minus. Primo sanè modo igitur atq; vincitur agens à passo. Quò fit, vt hoc casu quia superatur, passo nullatenus imperet, quinimò cedat, eidem obediat, atque famuletur, putà cibus quidem agit in calorẽ innatum, at euincitur ac propriam (vt sic dixerim) exuẽs clamidem nempe speciem, degenerat in oppositum, hoc est, in non cibum, quando veratur in substantiam corporis, ab eodem calore videlicet excoquente. Sin autem minus perpatiatur agẽs quã agat, subiecto perpatiẽti dominatur. Interea in venit distinguẽdũ. Nã aut quã minimũ imperat, quo casu nimirũ agẽtis motus hebetari, seu (more loquamur Aristotel.) solui, vel (vt clari⁹ eloquar) exolui deficere paulatim consueuit, ac fine constituto frustrari siue destitui: aut plurimùm perpatienti dominatur, & validum in illud durumque (quod efferri solet) exercet imperium: non ita tamen vt demoliatur atque tyrannidem exerceat. Quare natura proprias hoc casu functiones

nes adgreditur feliciter, ac optatam attingit metam, quandoquidem hoc suppositο minimè plus iusto sic defatigetur, vt præ lassitudine motus idem concidat, sed adhuc validas adseruet vires, tantum abest, vt euincatur atque superetur. Proinde non iniuria scriptis hęc ad verbum prodidit Philosophus: Interdum etiam fit, vt quod agit, magis patiatur, quàm agat: & refrigeretur quod calefacit, & calescat (inaudiendum est perpetuò: magis) quod frigefacit. Deinde subintulit: Quandoque aut nihil facit, quandoque minus, quàm ipsum affectum est, quo casu nil molitur agens, vtcunque lacessat passum, nã vtrinque vires propemodum cernuntur æquales, ac ita neutrum imperat alteri, vel non est effatu digna victoria, quando vix discernatur. Quam ob rem hinc elucet, quòd differant, solui motũ & in oppositum degenerare. Cæterum vbi Philosophus quæsito tam arduo de natorum similitudine colophonem imposuit, in coronide tractatus, ante quam ad opiniones priscorum de hisce rebus, demoliendas accingat seipsum, vnica particula causam reddit, cur aliquando gemelli fœtus in lucem prodeant, quippe quem effectum in hasce reijcit causas nẽpe debilitatem agentis, aut menstrui copiam, aut eius frigiditatem. Etenim semen vbi semel impegerit in grãdẽ menstrui molem, ob hanc aliquando vel aliquam aliam ex allegatis causis, partim superat partim superatur: quo casu, cùm tanta moles (verbi gratia) seminis compræhẽdi nequeat ita, vt ex ea fœtus constituatur vnus, duo minori labore conformantur. Quocirca si menstrui pars vna superetur in differentia sexus, ex ea mas efformabitur, ex alia verò quæ non superatur, euadet fœmina. Quòd si pars vtraque superetur, duo mares, si neutra vincatur (de sexus discrimine tantùm hoc loco verba facimus) duæ prodibunt in lucem fœmellæ. De similitudinũ itaque differentijs ad vnã omnibus, nempe quam ob causam fœminæ gignantur aut mares cur alij similes parentibus, fœminæ fœminis, maribus mares: alij cõtra, fœminæ patri, mares matri: deniq; cur alij suis maioribus,

alij

alij suorum nemini similes euadant, præterea de gemellis, hactenus dicta sufficiant.

Cur parentelæ (sicuti passim loquuntur) quartum gradum non transcendant. C A P. XIV.

LEgislatores ijs, qui nubunt, certos præscribunt graduum limites, quippe quos vbi transilierint, inter eos matrimonia vetant ac innhibere solent, ni fortè quępiam vrgeat causa, quæ cogat mutare sententiã. Id quod arbitrio Principis (vt qui iustus præsumatur iudex) olim committebatur. At in præsentia cùm simus Christicolæ, matrimonium deinde sacramentum sit iure diuino sancitum, tantum abest, vt humanum censeatur inuentum, propterea summus optimo iure Pontifex vtpote legitimus Apostoli Petri successor, atque ita demum per consequens Christianæ totius Ecclesiæ vertex, huiusmodi censuram sibi vendicat. Ergo cur iura Pontificia cognationis agnationisue cuiuslibet quartum omnino gradum statuerint vltimum occupare locum impresentia disquiramus. Neque enim fortuito vel temerè (sicuti nec aliud quidquam à natura) factum id fuisse credẽdum est, quin magna poti⁹ ratione, ni fortè nobis eã obtrudas legẽ: Nõ omnium, quæ dicta sunt à maioribus nostris ratio reddi potest, quippe qua veluti clipeo vel vmbone tegi consueuerunt, quicunque rationem ignorant, quam quidem legem vna cum Accursio, quidquid alij contendant atq; digladientur ad inuicem, in ijs tantummodò locum habere, iandiu persuasum habemus, quæ videlicet vna voluntas vel inconsulta ratione tuto potest dirimere, quãdo parum referat aut nullum reipublicæ sequatur incõmodum, siue hoc, siue alio modo decernas: putà quòd fures ad quadruplum restituendum teneantur, nam si pænas daretur in triplo vel quintuplo nihilosecius iusta foret

ret lex, atque suum obtineret robur. Adeo similium decretorum certa ratio nequit adsignari. Verumenimuerò cognationibusque certos præscribere limites, non voluntatis vnius, at rationis proprium ac peculiare munus censetur. Quare temeraria nimis hoc casu voluntas fuerit, si videlicet inconsulta ratione, prætertaque seu neglecta Reginæ censura, tanti momenti rem extemplò non solùm adgrediatur, verumetiam discutiat. Itaque nos freti nuper inuentis theorematibus audacter ingrediamur, tranareque salebrosum scopulisque quanlibet densum pelagus attentabimus: & si Deus optimus maximus (vt spero) cæptis conatibusque fauebit nostris, inde feliciter emergemus ac enatabimus. Anteomnia theses quasdam iuxta nostram consuetudinem præmittemus. Legislatores præcipuè Christiani tendunt in hunc finem, vt in vrbibus ciues pacificè vitam traducant. Id quod adpositè consequuntur, si mutuò seipsos amore prosequantur, quando pax amore foueri, velutique glutino iugiter adseruari consueuerit hinc iure christiana religio lex amoris diudicatur, quippe quæ præmissa fide veluti basi, nil aliud penè, quàm vnum inculcat amorem. Adhæc vltro mihi dari velim, præ cæteris vnam similitudinem, aut saltem præcipuam amoris dignosci causam. Porro seclusa tantisper intelligentiæ, seu morum similitudine, quæ dubio procul & amorem parturiunt, & excitatum siue conceptum eundem adseruant iugiter (hic non de amore diuinitus infuso, qui charitas nuncupatur, verba facimus, ad amoris tantummodò naturalis, vtpote nostro deseruientis instituto mentionem facimus) secluso inquam eo, qui à causis fluit ac emanat extrinsecis, eum intelligimus, quem extrinseca similitudo corporis; aut eiusdem corporis, & animi potissimùm intrinseca similitudo producit, & iam productum alit. Quapropter quò plurium atque maiorum coeunt similitudinum facultates, in eis præcipuè qui simul degũt, versanturq; præsertim si cõuiuant, eo maiorē

intensamque magis ortum iri similitudinem, naturalis planè ratio dictat. Nonnullos etenim intueri liceat, qui talem à natura sortiuntur (vt aiunt) antipatiam, vt alter altri planè cernatur ingratus, nec vllis inter se flecti queant obsequijs. Quò fit, vt consanguineos vtpote similes magis cùm extrinsecis, tùm intrinsecis effigiebus, mutuo se diligere magis atque facilius ac cæteros, plerumque conspicimus. Hisce præmissis aio, mutuum amorem illum, qui naturalis est, ac minimè propter conuiuendi consuetudinem ortus est: amorem inquam illum ab effigierum imaginumue facultatibus intro delitescentibus ac inter se consimilibus ortum & (vt ita dixerim) educatum, tandiu perdurare, pariter & incolumè atque vegetum adseruari, quandiu facultates eędem persistunt: Atqui ratio suadet, hasce potentias ac vires intro latentes, vltra quartum gradum expungi plerunque vel obliterari, quandoquidem in infinitum (vt scitè monet Philosophus) protrahi vel extendi nequeant, sicut & cætera passim omnia, quæ videlicet cùm ortui, tùm occasui cernuntur obnoxia. Verùm huic rationi quamlibet probabili, sed tamen efficaci satis, magistra rerum vltro subscribit experientia: siquidem indies intueamur, Auis, Abauis, nonnunquam verò fortassis etiā (quamuis pro confesso non habeam) Tritauis vtcunque similes euadere magis natos, ac proprijs parentibus. Id quod nimirum de progenitoribus quoque matris intelligi velim. At inquies: Quid si coniuncti sanguine copulentur (quod aliquando fit, authoritate Summi Pontificis interposita) nonne dic sodes, amor ille iuxta naturæ præscriptum ac legem, à viribus illis intro cubantibus, velut è fontibus effluens, ac instar aquæ suauiter inde scaturiens, augebitur maioresque suscipiet vires, intercedente matrimonio præsertim vtpote sacramento? Respondemus, confusum iri secundum naturam facultatum similitudines huius interuentu copulæ, Quam ob rem quò maior adest, & arctior vnio sanguinis, putà sororis ac fratris, eo maior idolorum perturbatio contingit,

git, si copulentur adinuicem, scilicet quod vtrisque plurimæ simul ac maximæ consimilium facultates effigierum insint, naturæ propemodum eiusdem, idque partim actu, partim potentia: quemadmodum antea retulimus. Hinc Ecclesiæ Romanæ simul & Catholicæ vertex, nunquam dispensationem (vt aiunt) admittit inter Sororem ac fratrem. In cæteris autem concedit, si grandis quæpiam vrgeat necessitas. Quo tempore Anna Maximiliani secundi Cæsaris filia, Hispaniarum Regi Philippo nupsit, quippe cuius ex Maria Sorore neptis erat (cui iussu patris ego tunc temporis inseruiebam, in itinere, per Oceanum nauigantes, vbi tandem in Sancti Andreæ Portum applicuimus Bisaiæ prouinciæ, transactis ibi diebus aliquot, tandem illinc abeuntes, dum rectè tendimus Madridum, vbi Rex vtplurimùm commoratur, primùm in Burgos vulgò ciuitatem ita vocatam peruenimus: in triuio quodam vrbis eiusdem, per quod Regina fecit iter, statuas tres adinuenimus, ex tempore (quemadmodum ciues nonnulli retulerant) constructas: quarum vna referebat effigiem Regis in meditullio constituta. Tres autem aliæ nympharum seu virginum speciem obtinebant. Videbantur omnes alioqui Regem, è dextra manu sedulis conscriptis earum vniuscuiusque demissis. Prima venientem indice demonstrans, Regi dicere videbatur: Videat sua Maiestas. At secunda, quæ sinistrum occupabat latus alterum, quasi indicans Regi, quænam foret illa, quæ transibat, ita loqui fingebatnr. Quæ potest omnia possibilia, & meretur impossibilia. Verum tertia secundę vicina sic; Quod licuit, at non decuit. Quibus verbis indicabat, licuisse quidem contrahere matrimonium illud, vtpote communitum authoritate Summi Pastoris, verũtamen ob arctũ vsq; adeo sanguinis nexũ neutiquam decuisse: quod alioquin à veritate prorsus alienum agnoscebatur, modo legitima fuerit eidem Pontifici nat rata causa, propter quam indulgere pariter ac dispensare (sicuti passim efferunt) debuerit. Id quod fuisse factum

Digitized by Google

optimo iure præsumitur. Erga causâ cur ad quartũ vsq; gradum parentelas(sicuti loquuntur)solummodò Legislatores præsertim Ecclesiastici protendi velint,& admittari abundè discussa videatur: nempe quoniam eousque similitudinum imaginumque potestates vtplurimùm extendi vel (vt ita loquar) expaciari solent, idque sensu iudice, simul ac ratione subscribente: causa inquam cur in hisce gradibus affinitatum irrita censeantur cõtracta matrimonia,pariter ac innhibeantur contrahenda sufficienter exposita videatur; quippe quam haud aliunde, quàm ex ipsismet (vt ita dixerim) naturæ visceribus petendam esse constat. Cæterum priscorum nonnulli vel ad septimum vsque gradum interdixerunt matrimonia, quòd euagari queant illuc vsque facultates idolorum. At quoniam id rarissime contingit, leges autem ferri debent de ijs, quæ vtplurimùm eueniunt; idcirco longè prudentius ita sancitam fuisse legem haudquaquam inficiamur. Ita nimirum leges ciuiles,adolescentem in anno 14.,fæmellam autem in 12.matrimonium contrahere permittunt,nec ocyius;nimirum,quoniam ante tempus illud vtplurimùm inhabiles ad concipiendum gignendumque comperiantur.

Ex præmissis Author ad indagandam nobilitatis essentiam accingit seipsum.

CAP. XV.

OPinantur interpretes quidam hoc loco facultatem in semine producendi similitudinem (exempli gratia Socratis) indiuiduã vniuersi corporis habitus aut alicuius particulæ: putant inquam eandem vim,vbi robusta fuerit, progignere fætum generanti consimilem.

At

Atea si paulò debilior (inquiunt) extiterit, Aui, loco parentis indit effigiem, Sin autem adhuc imbecillior adinueniatur (ea lege tamen, vt etiamnum vincat, diminutè quantumuis ac debiliter) sanè tum alicuius progenitorum magis remotorum delineabit imaginem, idque pro maioris aut minoris ratione debilitatis formatricis. Quasi verò facilior sit impressio patris effigiei, quàm progenitorum, quasique minorem expressio maiorum imaginis laborem poscat, quàm idoli productio patris aut matris. Age Quisnam obsecro, tam supinæ visitur inscitiæ, quis adeo rudis vspiam cernitur, vt in Aui specie cuiuspiam aut Abaui delineanda pingendaque, minorem aut maiorem requiri pictoris aut Sculptoris industriam vel artem autumet, ac in eorundem adumbrandis filijs aut nepotibus? Omissis itaque venijs id genus, audacter efferamus (vt antea) patris idolum emicare simul ac in lucem euocari facilius, quod nimirum id actui perfecto proximior sit eius idoli facultas, & eiusdem facultatis motus actu reperiatur in semine: maiorum autem inpotentia, & inter maiorum potestates, Aui, quam Abaui esse minus in potentia diudicatur, atque ob id, ab actu perfecto distare minus. Quò fit, vt ea de causa minori negocio prodeat in lucem, in actumque deducatur. Idem planè de subsequentibus alijs continuata serie velim intelligi, quousque facultates idolorum extendi vagarique possunt. Neque sufficiat in infingendis imaginibus diuersis, vna difficultas aut facilitas, quinimò necessum est insuper (vt antea retulimus) minimè superari facultatem similitudinis antecedentium, quod interpretibus perclam imposuit. Quinimò solui motus priorum expedit, hoc est, hebetari vel euanescere, si motus maiorum, vtpote debiliores, in arenam (quod efferri consueuit) descendere debeant, atque ita propriam indere similitudinem. Hisce tantisper in memoriam quasi postliminio reuersis,

aliud impendiò sitientibus animis theorema venit propinandum, quod quia nouum esse reor (si tamen sub sole noui quidpiam offendi potest) ac propè nudiustertius (vt ita dicam) inuentum; quandoquidem hactenus nemo (quod sciam) huiusce quæsiti meminerit, idcirco pluribus velut abstrusum egebit ratiocinijs, quò iandiu sepulta, neque tamen adhuc defuncta veritas, & in lucem trahatur, & educta semel è tenebris fulciatur, stabiliatur, & inconcussa mentibus exponatur obijciaturque syncerè seu candidè philosophantium, præcipuè solertibus, & acerrimo præditis ingenio. Scriptum reliquit Galenus in eo libello, cui titulus inscribitur: Quod mores animi corporis insequantur temperiem: scriptis inquam ibidem prodidit, adfectiones animi corporis temperamento respondere, quòd inde nimirum adinstar aquæ limpidissimæ scaturientis è petra ducant originē, ac velut è trunco surculi quidam luxuriosè pullulent. Id quod adfabrè per inductionem deducit, vnaque diuersis alijs adstruit ac fulcire tentat argumentis. Ego verò pulcherrimum id Galeni Theorema siue placitum exosculor quidem, nedum simpliciter adprobem; veruntamen accidere posse contrarium aliquando neutiquam inficias eo, scilicet vt adfectiones ac animi mores, ipsum corporis temperamentum subuertere, nedum immutare queant: quo casu, non adfectum animi corporis temperiem, at ipsa corporis temperies insequitur mores. Id quod Adamo generis humani primo parenti contigisse, naturali exercitata ratio suadet. Nanque prius quàm antiquus hostis in eum virus dirum eiacularetur, id est, ante quàm delinqueret, ac stolidè seipsum opponeret primo rerum anthori, caro tum obtemperabat spiritui, tantum abest, vt eidem obluctaretur. At inpræsentia corporis labefactata vitiataque temperies, lacessere spiritum indesinenter, vel vnus abundè sensus attestantur. Atqui praui (quod nuperrimè dictus est) adfectus animi turbarunt harmoniam corporis, alioquin adfabrè constructum, & concinnè pariter attemperatam.

tam, simul ac Intellectui Regi iugiter obsequentem. Id quod indies accidere, scilicet rationi sensum obluctari corporisque temperiem, exiguo negocio per inductionem fulciri potest, quando momentis pene singulis experiamur, animi perturbationes præcipuè vehementes ita corpus adficere, vt illud è suo naturali statu sæpenumero dimoueant, & agant in præceps. Vnde conspicimus homines alioqui naturà propensos ad hilaritatem, atque iocundum habentes aspectum, vbi mancipiorum instar vltro seipsos homicidijs, alijsque sceleribus deuouerint, velut in pistrinum aut in triremen coniectos, tandem oculos in ijsdem euadere truces adeo, vt aspicientibus pauorem (imò terrorem) incutiant. His itaque suppositis aio mortales vtcunque viles ac ignobiles (per contrarium) vbi seipsos in rebus eximijs vnaque difficilibus, idque longa multorum annorum intercapedine, vilia deuitantes opera frequenter exercuerint, rudem exuere tandem atque sordidam illam ignobilitatis (vt ita dixerim) clamidem, quæ videlicet eos ad vilia ruminanda propensos reddebat. Quò deinde fit, vt mentis humanæ mores, & habitus diutino laborem conquisiti, viles interiorum sensuum inclinationes, quippe qui sensus proximè deseruiunt atque famulantur animi functionibus: eo casu fit inquam vt viles inclinationes à parentibus ignobilibus velut hæreditario iure cùm relictas, tùm ijsdem infixas, abstergant sensim obliterent, atque magna ex parte saltem expungant.

Nobilitatis definitionem expiscatur.

CAP. XVI.

Porro si nobilitas est habitus diutino labore conquisitus ab anima rationali sublimia iugiter meditante, simul ac vilia respuente: dein transfusus in sensuum interiorum facultates inferiores, eidem Intellectui iure

naturali subiectas & ancillantes; quemadmodum acris pulcherrimaq; speculatio superioris capitis innuere videtur: si nobilitas huiusmodi fuerit, ea profectò naturalis minimè diudicanda venit, quin potius aduentitia, quę quoniã difficulter expungi vel annihilari potest, habitus diudicabitur. Quare nuquã expaciari seu trãsire poterit in posteros. Quã ob rē ij soli nobiles extiterint, qui sublimioribus actionibus iuxta ac difficilioribus operã (idque sedulo præsertim) nauauerint: eorũ verò nati, præter id, quòd in eosdē nobilitas parētũ trãsfũdi nequeat, insuper si vestigia parētũ eorũdē haud insequãtur, etiã si vilia minimè tractēt opera, nihilosecius eiusdē nobilitatis nomēclatura neutiquã insigniri poterũt. Id quod voluisse creditur Poæta Satyricus inquiens: Atria, nobilitas, sola est atque vnica virt^s, Verũenimuerò sicut vnitas agnoscitur principiũ numeri, neq; tamē ipsa numerus est, quãdo nil aliud, quam vnitas repetita, numerus existimetur: ita nimirũ inclinatio siue propēsio cuiuspiã ad pręclara munia videlicet obeunda, simul ac ad arduas actiones intrepidè peragēdas, haudquaquã hęreditario iure quęsitas, quinimò laboribus exãtlatis, præterea magnis discriminibus periculisque cõparatas; talis inquã nimirum ad arduas actiones attētãdas inclinatio, laboribus cõparata diutinis, ipsa quãquã haud est adulta, nihilosecius eadē velut in cũnis vagiens, infantula nobilitas adpellari potest, & (vt pressius ac propriè magis eloquar) initiũ quoddã nobilitas tãtũmmodo, nõ tamen adhuc est nobilitas. Atqui nobiles nati, cùm in seipsis intrinsecè propēsionē hãc ad actiones arduas vnaque celebres, veluti quoddã naturæ principiũ possideãt, tantò prioribus diudicãtur nobiliores, quantò naturæ functiones arte cõparatis anteire solent, quãtoq; naturæ tenetur ars ipsa cedere. Quãquã hisce nõ obstantibus, qui nobilitatis initiũ aliquod potius, quã nobilitatem ipsã propria virtute sunt adsecuti, iure merito longe maiori laude digni visuntur, ac nati legitimè nobiles: scilicet quia laus maior debetur inuētoribus potissimũm, quòd multò difficilius appareant inuenire,

quàm

quàm inuentis iam nonnihil adiungere. Nam è cœno vilium algarum emergere vel enatare durius est, ac partam iam frui nobilitate. Scilicet præclarius est adquirere proprijs laboribus eximium quidpiam, quàm aliena virtute quæsitis gaudere. Scilicet quia fælicius est optimoque Deo similius, quidpiam alijs erogare, quàm (quod indigentiæ verum agnoscitur argumentum) accipere, præsertim quidpiam æstatu dignum. Adeo sicut vnitas, & si non est numerus, veruntamen quia numeri causa dignoscitur, virtute continens, quidquid in quouis numero concluditur, numero perfectior existimatur: ita nimirum habitus ille (vel naturalis potestas) præclara gerendi facinora, conquisitus longa consuetudine cũ nobilitatis verũ censentur initiũ, & eã veluti fætum siue legitimam sobolem parturiat, idcirco nobilitati iure venit præferẽdus. Quocirca Galenus hæc aut similia verba magno iudicio scriptis prodidit: Pulchrè quidem enũciauit Plato, principium esse dimidium facti, quod neotherici præter antiquos, nostra tempestate passim inculcant. Ego verò (Galenus idem inquit) principium dico, virtute totum esse factum. Id quod indies experior, quando reuera durius esse constet, ritè quidpiam incipere (de rebus arduis verba facimus) ac incæpta semel, absoluere. Quapropter nõ iniuria Philosophus quidam, cùm ei nescio quis proteruus notam ignobilitatis inureret, quod à progenitoribus prodijsset ignobilibus, vt aduersarium eundem insimularet arrogantiæ, respondit hunc in modum: Mea in me nobilitas incipit, tua verò in te desinit. Ex ante dictis itaque veluti fragmenta colligentes ne pereant atque naufragium faceant, decerpimus, nobilitatem esse vim quandam siue facultatem, cordis ac cerebri mollioribus præcipuè partibus insidentẽ: à parentibus in fætum generationis tempore transfusam, adhæc ad excelsa meditanda, simul ac attentanda peragẽdaque iugiter inclinantem. Quare nobilitatis initium, in authore, qui virtute gestisque claris illud adeptum est: principiũ illud inquam nobilitas est quædam & qualitas, non quidẽ natura-

turalis, quòd eã aliunde quæsitam comparatamque fuisse docuerimus: neque tamen interea præter naturam, at ex earum numero qualitatum, statuenda venit; quæ dicuntur habitus aut dispositio. Verumenimuero quæ proximè subsequitur nobilitas altera; quippe quam in posteros à progenitoribus deduci transfundique nuperrimè protulimus, haudquaquam venit existimari sa qualitas eius speciei; cuiusmodi priorem illam esse docuimus, vtpote non naturalem ac aduentitiam: quinimò naturalis isthæc fuerit vera nobilitas, quandoquidem eã minimè sit habitus, quemadmodum illa prior huiusce genitrix & imperfecta, quæ nobilitatis initium est, minimè verò nobilitas, non aliter ac vnitas non est numerus, & si numeri dignoscitur principium. Ergo nobilitas hæc vera, cùm ea non sit habitus (vt illa prior non vera) sed fætui connaturalis, consultò reponenda venit sub eã specie qualitatis, quæ potentia vel impotentia naturalis vocitatur, quando qualitatem eam esse constet, nec in alia specie qualitatis includi posse liquidò videatur. Vt enim quidam naturâ pugillatores aut cursores offendun tur, vel si nunquam currere seu dimicare tentauerint, ita nimirum quosdam ad sublimia peragenda propensos adinuenire secundum naturam liceat: ruri quanlibet educatos inter agasones atque bubulcos: vel hoc supposito, quòd seipsos in actionibus hisce nunquam exercuerint, nec ab alio quopiam edocti fuerint. Porro sicuti naturali quapiam potentia præditi, subinde seipsos exercentes in actionibus eiusdem potẽtiæ naturalis, multò melius & excellentius operãtur, ita mehercle quicunque fætus naturâ nobiles in lucem prodeunt, si posteaquàm educati vel adulti fuerint, huic naturali potentiæ meditandi simul ac peragendi sublimes actiones habitum operandi consuetudine diutina crebrisque laboribus conquisitum adiunxerint, longè maiora dubio procul & admiranda præstabunt, nam qui naturali potentia cursor est, aut pugillator, exercitatus insuper longa temporis intercapedine, dimicabit acrius, curretque ve-

lo-

locius alter & expeditius. Cæterum in præsentia quæsitũ aliud emergit. Si principium id nobilitas, quod censetur habitus, atque ita necessariò per consequens adquisita qualitas, id pluribus nimirum crebrò repetitis actionibus: si principium inquam illud adinstar vnitatis, quæ non est numerus, licet ex ea sæpius repetita numerus adglomeretur, vera simpliciterque nobilitas dici nequit, nisi cum hac appendice misera: nobilitas imperfecta: quia fieri potest, vt quod suapte natura mãcum diiudicatur ac mutilum, adeo formosos concipiat edatque fætus, adhæc vsque adeo generosam pariat sobolem, nempe veram nobilitatem atque naturalem. Hic arrige mentis aures. Sanè perfectos extitisse nonnunquam homines alicubi, vel ipsa parés nobis vltro suggerit, quãuis Ethnici philosophi nusquam huiusce rei meminerint, cuiusmodi semel Adamum fuisse primum hominem, sacra prædicant eloquia. Nobilissimum eundem extitisse rationi consentaneum est. At vbi stolidus à Summo rerum opifice discessit, confestim in ignobilitatem impegit velut in scopulum scylla charibdiq; multò formidabilius. Quò fit, vt nobilitatem à patrato commissoque scelere, tantum in potẽtia possideamus, quippe quam instrumẽto duplici, velut hamo retrahere seu reuocare possumus ad actum. Horum organorum, alterum agnoscitur diuinum, forinsecus accedens, nempe gratia Dei siue diuinũ auxilium. Alterum est, crebris ærumnis adquisita nobilitas, qua videlicet ad egregia promenda mortales eriguntur atque propensi redduntur, de qua nunc agimus, prætermissis tantisper diuinis præsidijs, ne nostra nimis in immensum excrescat oratio. Quam ob rem facimus ita satis adducto nuper in medium obiecto. Quod est in potẽtia mancum est ac mutilum; quoniam obtinet actũ imperfectum. Vnde quò potentia remotior visitur, eo magis imperfectum est illius potentiæ subiectum; quia longius ab actu perfecto distat. Quare sicuti motus, potestates inanimatorum intro cubantes ad operandum excitat, ita nimirum exercitatio mentis humanæ; quæ

motus quidam est, virtutum semina sopitas (quod est in potentia possidere quidpiam) in se facultates actionũ cõcludẽtia, veluti cõcutiẽs ad actũ euocat, & ad operãdũ (vt sic dixerim) protrudit. Adeo quidpiã quanlibet propriè mácũ aut mutilũ, hoc est, imperfectũ, alienis adiutũ suffragijs, in lucẽ proferre seu producere quidquã seipso lõgè perfectius, nullũ omnino diudicent absurdũ, quãdoquidẽ ita naturã inferiorem operari frequẽter admiremur.

Magni momenti scrupulus amouetur.

CAP. XVII.

IN præsentia scrupulus pro virili nostra venit amouẽdus, isque momenti maximi. Philosophus nanque scriptum reliquit, inesse genitali semini facultatũ, alias per se, alias verò per accidens. Insunt per se mas, Socrates, homo, & animal, nam hæ generanti actu insunt, maiorum autem potentia. Deinceps earum quę actu insunt, quædam propriæ sunt ac propinquæ magis, nempe mas, & Coriscus quidam verò paulò remotiores. Item earum facultatum, quæ propinquæ sunt, altera visitur maximè propria generanti, nempe mas, altera minus, vt Socrates aut Coriscus. Actu nanque licet insint virili semini motus harum quatuor facultatum, videlicet animalis, hominis, maris & Corisci, quando qui generat, animal, homo, mas, & Coriscus dignoscatur: veruntamen idem generans propriè magis procreat marem, secundò Coriscum, & ad has insequuntur necessariò generantes differentiæ, homo scilicet & animal. At hæ sigillatim enumeratæ facultates insunt per se genitali semini, quatenus est genitale. Porro Grammaticum aut vicinum esse, non nisi per accidens insunt, inquit Philosophus, quando nullus vnquam per se grammaticum aut vicinũ genuerit, etsi contingere potest, vt qui gignitur, euadat in grammaticum, aut ei vicinũ. Quapropter concipi simul ac in lucem prodire nobilem, haudquaquã inesse videatur genitali semini per se, hoc est, quatenus genitale dignoscatur,

gno-

gnoſcitur, quinimò per accidens, haud ſecus ac vicinum aut grammaticum oriri. Mediusfidius obiectũ iſtud longè durius atque difficilius cernitur, ac prima fronte videbatur. Si diſcrimen id incolumes euaſerimus, mehercle tutò (ni fallor) victoria potiemur. Sin autem ſuccubuerimus (quod auertat optimus Deus) receptui protinus canendum erit, ac demolienda ſubuertendaque neceſſariò veniunt, quæcunque iandudum conſtruximus. Proinde ſupplex imploro diuinum auxilium, vt præſto ſit nobis auidè veritatem vnam ſitientibus, idque ſi non ob hunc vnum finem ſolummodò, certè ſaltem præcipuum, quandoquidem genio noſtro non nihil indulgentes, humanam quoque tantiſper aucamus gloriolam, ac famam; hac lege tamen, vt honor diuinus præferatur, anteponatur, primariuſque proponatur finis veluti Scopus, in quem acies ingenij noſtri iugiter collimet, cætera verò ſint acceſſoria. Verũ quia ſol inclinat (quemadmodum Poeta Satyricus loquitur) ob id eundum eſt. Eſto igitur id, huiuſce contemplationis initium. Inter animã & corpus tam arcta cernitur copula, nodus quo vinciuntur implicatus eſt adeo, tantus ob id viſitur mutuus hinc inde conſenſus, vt alterutrum & impartiatur alteri quidpiam, & ab eo viciſſim aliquid ſuſcipiat. Id quod non modò de ſenſili pariter altrice potentia veniũ ſentiendum, verumetiam de rationali poteſtate quanlibet perenni vel incorporea. Quã ob rem vt admittamus adfectiones animi perpeſſioneſque temperamẽtum inſequi corporeũ, quod Galeno plus iuſto fortaſſis adriſit: ita profectò non imus inficias, ipſam corporis temperiẽ multotiens inſequi mentis humanæ, ſicut & in brutis temperamentum corporis, inſequi conſpicitur adfectiones interiorum ſenſuum. An non intuemur aliquando validam vtero gerentium imaginationem indere membris fœtuum (exempli gratia) mali cuiuſpiam aut alicuius figuram fructus? Equidem ab infantia paulò ſupra pubem, qua parte vergit ad vmbilicum, habui ſemper ceraſæ quandam ſpeciẽ, & inpræſentia cernitur adhuc rubea

deli-

Digitized by Google

delineatio, nam & mater fatebatur se prægnationis tempore plurimùm adpetiuisse fructum huiusmodi. Quinetiam ingeniosorum hominum nati plerumque sunt ingeniosi. Quanquam per ora virùm (vt mihi quidem videtur) vulgarium volutat, à parentibus insigni virtute præditis atque solertibus prodire stupidam sobolem ac fatuam. Id quod mehercle cum ipsa parente natura vel è vestigio pugnat, quando similem à simili prodire, lex ipsa naturæ visceribus inserta, vel abunde nos edoceat, & si contingat oppositum, id non à natura, sed ab alia quapiam causa, vel à casu potius euenire persuasum habemus, nullibi quanuis casus aut fortuna reperiatur. Proinde non nisi rarò comparent huiusmodi: quandoquidem id intercidere discriminis inter opera præter naturam atque naturalia scriptis prodiderit Philosophus, quòd naturalia si non semper, certe saltem frequenter adpareant, illa verò non nisi rarò conspiciantur. Ad pensum redeo. Si nobilitas parta laboribus, aut à progenitoribus inserta posteris, genitali semini dignoscitur indita, non per se (quo modo loquuntur naturales) hoc est, quatenus est genitale, sed per accidens, haud secus ac vicinum, aut grammaticum esse, qui fieri potest, vt in posteros continuata successione transfundatur, quemadmodum euentus rerum edocet? Præterea si nobilitatem fortè statueris, habitum diutina consuetudine conquisitum, quippe quæ habitum nobilitatis initium esse potius augurabamur, illico fateri cogeris, eandem esse quiddam aduentitium, de difficili quantumuis mobile, atque ita semini (velis nolis) per accidens tantùm inerit. Si verò semel admiseris eundem nobilitatis habitum consuetudine quæsitum, scilicet interioribus ab imaginatrice valida sensibus infixum: vbi demum fuerit à generante transfusus in fætum, quo modo videlicet in prægnantibus figuras rerum adpetitarum, imaginatione potenti versatas, in conceptus expaciari nuperrimè testabamur: Si nobilitatem inquam suppo sueris à partibus veluti iure quodam hereditario natis relictam, insuper eisdem effici

subin-

subinde connaturalem; neutiquam tamen effugere poteris, quin insit eadem genitali semini per accidens, nam alioquin effingere liceat grammaticam simili ratione vel musicam, in eo, qui repetitis pluries actionibus eam adeptus fuerit, habitum esse, verùm in ipsos natos deinde translatam, effici naturalem. Id quod vsque adeo planè censetur absurdum, vt omnem vltro probationem eliminet. Atqui siste gradum amice tantisper. Si vnquã alias, in præsentia sanè potissimum exopto; poscoque celebres viros acri præditos ingenio, quippe quos Aristotelico more liceat adpellare solertes, id est, in inueniendo medio siue causa perspicace, quandoquidem huiuscemodi contemplatio non vulgarem, sed altum atque sublimem à nobis requirat, imò potius extorqueat indaginem, à nobis inquam vel inuiti. Id quod pro virili nostra præstabimus, adferente diuina clementia suppetias: initio hinc desumpto. In rebus arduis humana mens exercitata, spirituum (qui iugiter ei famulantur, & inseruiunt) interuentu sensuumque præsertim interiorum: mens inquam exercitata, spiritus vtcunque desides ac segnes, ad eadem ardua meditanda non modò propensiores, verumetiam alacriores ac promptiores reddit, & (vno verbo clarius vnaque felicius exprimam) viuidiores. atque hæc ad eam similitudinis differentiam reduci possunt quam indiuidualem nuncupant. Etenim vt Socratis effigies membrorum extrinseca corporis habitus vniuersi, peculiarem in genitali semine residentem nanciscitur facultatem, quippe cuius motus, quo tempore videlicet Socrates idem generat; eandem pariter nati membris inuehit extrinsecis, vltro nostris expositam sensibus: quemadmodum inquam imago Socratis indiuidua nostris obijcitur ac cernitur oculis, ita mediusfidius quęcunque latent intrinsecus accidentia pariter indiuidua, quanquam oculis minimè sunt exposita, quemadmodum figuræ delineationesque musculorum extrinsecorum similiter indiuiduæ, sensibus alijs nihilosecius deprehenduntur, quinetiam ipso visu nonnunquam:

Audi-

Auditus nanque sensu; necnon ipso rationis iudicio periculum facimus, an Socratis natus (verbi gratia) rebus aut meditationibus iisdem addictus agnoscatur, nempe quibus inhiare genitor consueuerat. Adeo nati furum, probè, quantumuis educati, pro ciues vt plurimum comperiuntur ad furandum: & homicidarum aut sicariorū nati, similiter ad iugulandos homines, & ad prædādum inclinati propensique visuntur. In hunc sensum ludit Aesopi fabula de fure nuptias parante, quando dicat: Solē vror solo, quid erit si creuerit alter? Ergo quēadmodum adparent in superficie cutis natorum, idola siue progenitorum similitudines, cur eadem ratione similitudines intrinsecas admittere non teneamur, haud video. Dic obsecro, nunquid vis somatrix, si forinsecus mēbra figurat, ac delineat, nonne dic sodes, eadem intrinsecus quoque similitudines effinget alias necessariò, mētis adfectus aliquando vel ad viuum (quod passim efferri consueuit) exprimentes? At omissis tantisper naturalibus ratiocinijs veluti per transennam obiterque theologicum texamus ratiocinium. Ob Adami parentis primi delictum, fomes irrepsit in posteros, ad delinquendum eosdem inclinans, vtpote sæua commissi delicti pœna. Quocirca per contrarium (quippe quorum contrariorum eandem esse disciplinam cernimus, & operationes possidere contrarias) ad posteros quoque transire permeareque poterit, ad bene operandum propensio, penitus aduersa fomiti, quippe quam æqua ratione, natus, à genitore, velut è fonte scaturientem & emanantem felicibus hausit (vt aiunt) auspicijs. Cæterum quidnam in causa sit, vt qui nati sunt ignobiles, deindē claris gestis adepti fuerunt nobilitatis habitum, hoc est, eiusdem initium, ac veluti vestigium quoddam, haud proinde nobiles prædicentur, ac alij, qui videlicet à progenitoribus translata nobilitate potiuntur, hoc loco succinctè simul ac obiter venit disquirendum, quandoquidem id à nobis per incuriam antea fuerit omissum: præcipuè cum in præcedentibus, ex communi hominum sententia-

do-

docuerimus, eos longè maiori dignos laude censeri, qui scilicet ignobilitatis propria virtute duce clamidem (vt ita loquar) exuerunt. Rem ipsam adgredior. Qui crebris ærumnis ignobilitatem exuit, expungit, ac obliterat, maiori dignus est præconio, quàm qui parta fruitur nobilitate. Non inficior. Veruntamen cùm intro lateat fomes adhuc ignobilitatis, primi fomitis ab Adamo relicti vicarius ac satelles, ex diametro contrarius habitui nobilitatis, quippe quem ignobilitatis habitum si non ad mala, saltem vilia semper inclinantem proximè deduxit & hausit, ob id ad ingnobilia tractanda peragendaque lubricus adinuenitur magis atque paratior, ac ille nobilitatis eiusdem, hæres legitimus, vt qui non adeo facilè sicuti genitor (qui nuper ignobilitatem eliminauerat) ad vomitum redire præsumatur. Præterea magni momenti quidpiam aliud silentio non inuoluam, neque sicco (quod aiunt) pede præteribo, nempe sæpenumerò nobileis, vtpote falsa boni specie (quæ pluribus imponit) simul ac falso nonnunquam honoris aut claritatis titulo phascinatos dementatosque grauiora multò committere scelera, pariter ac horrenda magis patrare facinora, quàm ignobiles, quippe cui placito quotidiana subscribit experientia. Tantum superest, vt vallum aut aggerem illum, adprimè quantumuis communitum strenuè demoliamur id est, vt ratiocinium ab initio capitis adductum, nempe nostris obiectum inuentis, veluti trunci radicem arboris, euellamus atque pro virili nostra funditus euertamus, scilicet vt impendio sublatis è medio tricis, amorisque repagulis, quæ negocium agentibus iter facessunt, ad ea quæ supersunt expedienda pergamus, & operi colophonem imponamus. Non gignitur grammaticus aut musicus, nisi per accidens, cum sit habitus vterque; tam musici, quàm grammatici, sequitur ergo nobilitatis habitum crebrò virtutum exercitio comparatum, à generante produci non posse, nisi

per accidens, atque ita, quæ non naturalis in genitore fuerat qualitas, euadere nato naturalis omnino nequeat, quod nostrum antea supponebat inuentum. Atque rerum difficilium, & contemplationes, & actiones, cùm spiritus in membrorum conceptaculis præcipuorum, tùm ipsamet præcipua membra, nempe sensuum interiorum functionibus deseruientia, reddunt ad opera id genus paratiora simul ac promptiora: quod quidem vnius testimonio sensus comprobamus, quando si seipsum quispiam in scientia vel arte difficili quapiam exercuerit, aptus ac idoneus efficitur (modò videlicet ingenij vires intendere velit) ad quæuis difficilia cùm peragenda, tùm etiam contemplanda. Proinde Sacrosancta synodus œcumenica Tridentina sanciuit, ad Episcopatum non debere nec expidire quenquam promoueri, qui non ap probatus antea fuerit in aliqua scientia doctor, vt qui continua rerum difficilium excussione (vel si theologiam minimè calleat, in ea nihilosecius exiguo negocio, vel absque præceptore, proprijs laboribus illinc emergere, queat vel tranare vastum pelagus illud, vt cunque salebrosum ac scopulis densum. Eadem sententia pariter alio fulcitur experimento, quia si coniugatur vterque sit ingeniosus atque bonis moribus excultus, nempe genitor ac genitrix, è matrice tales vtplurimùm erumpunt nati. Porro diximus, vt plurimùm, propter arbitrij nostri libertatem, quæ, nimirum efficit, vt bonæ vel malæ propensiones à parentibus haustæ vitientur, aut etiam omnino dispereant atque fatiscant. Id quod è sacris petitum litteris vnum Iacob & Esau præ cæteris exemplum abundè confirmat ac attestatur. Ergo licet philosophus haud gignat philosophum, sicuti neque theologus theologum, neque Iureconsultus iurisperitum, nisi (quod pluries ante dictum est) per accidens: veruntamen eorum quilibet (modò non obluctetur genitrix) natos iuxta naturæ præscriptum legemque progignit & ingenios

& (in

& (in genere saltem) ad ardua dignaque laude (quæ Philosophus honorabilia nuncupat) mirificè propensos. Quinetiam ferè semper id genus nati nobilibus oblectantur actionibus, & si non euadunt actu similes parentibus ob desidiam atque segnitiem, præcipuè si diuites extiterint, quia recusant laborem. Vt hoc idem intueri liceat in meis natis quorum qui, studia laboresque minimè detrectarunt in singulares celebresque tandem euaserunt viros, Eugenius precipuè Bobbiensis Episcopus, in philosophia, iuris vtriusque prudentia, dein oratoria facultate, nec non in arte poetica dignoscitur admirabilis. Id quod Franciscus quoque frater luculenter in arte medica præstitit. Adest. Soaza singularis nostra tempestate Iurisconsultus Patauinus, in Academia Pisana professor, quippe cuius nati quatuor, vel ad vnum omnes singulari possent ingenio. Hieronymus Camutius non ita multo ante defunctus, atque Bernardus Camutius olim discipulus meus: horum vterque doctus & probus, genuit filios, & numero plures & eiusdem farinæ (quod aiunt) homineis. Si Mediolanensia pluriumque ciuitatum aliarum exempla velim recensere, nostra nimis in immensum excresceret oratio. Complectamur epilogo dissolutionem huiusce nodi. Quanquam habitus grandium atque celebrium rerum & actionum duce virtute, conquisitus, haud potest elargiri natis, eandem in specie virtutem neque facultatem eiusdem virtutis, cùm ipsemet, qui comparauit hunc habitum, eandem facultatem in semine proprio nō habeat, & alijs quod non habet, impertiri nequeat: attamen exercitata mens illius, exercitatique sensus interiores, cùm spiritibus, tùm etiam mollioribus particulis ventriculorum cerebri, cordisque possunt agilitatis infigere seu promptitudinis ad meditanda difficilia propensionem, idque longi motus & exercitationis conceptuum adminiculo: quæ tandem infixa membris eiuscemodi similitudo, spirituum opera communicata semini ge-

Y 2 ne-

nerantis, in conceptum fætumque translata, tandem efficitur ei connaturalis, ac ita secundum indiuidualem naturam inclinati sunt, non ad hanc præcise virtutem, qua potiebatur genitor, quia talis præcise species imprimi nequit, sed facultas infigitur tantum in genere sublimium cogitationnm, quæ præparatam huiusmodi poscunt materiam. Probatur id exemplo genitorum aliquid mali perperientium, quod mali genus communicatur natis, & si genitor adsuescat ruminare grandia subbiliaque vim eandem, seu facultatem impertitur natis. Nanque multò naturæ facilius est infigere cordi vel cerebro facilitatem operandi res difficileis, in genere (quam subinde consequitur eorundem rerum cupiditas) ac imprimere membris iisdem hanc virtutem in specie, Vt in natura magis laborat in producenda natura specifica, quam generica, quia plura species requirit ac ipsum genus: ita nimirum euenit in idolis rerum effingendis in cerebro vel in corde, similiter in animi conceptibus. Vnde facilius à sensu vel intellectu præcipitur animal, ac homo, vel equus, aut canis, exempli gratia.

Quousque nobilitatis extendatur facultas edocetur. CAP. XVIII.

NAturam infinitum execrari simul ac abominari, vel mediocriter in naturali speculatione versato notius est, quàm tergiuersari quispiam possit. Quare si statuatur nobilitatis initium, adquisitus humanæ mentis habitus (vt à nobis antea difinitum est) & à mente sensibus interioribus atque mollioribus cordis aut cerebri ventriculorum particulis impressus, vbi cogitatrix potissimum & imaginatrix viget facultas, nempe fidelis intellectus Achates, aut saltem à se-

secretis minister: vbi supponatur inquam nobilitas interiorum sensuum habitus ab intellectu trahens originem, ac subinde tanquam similitudinis indiuiduæ vehiculum interioris (verbi gratia Socratis aut Corisci, quatenus est Coriscus) facultas: quam demum effundatur atque transferatur in posteros, ac ita modo quodam in eis euadat connaturalis, naturæ videlicet indiuiduæ proprietas: his inquam suppositis præfigere cogimur fineis quosdam siue terminos, vltra quos expaciari nequeat. Nam alioquin in infinitudinis abyssum impingemus. Vnde cimba nostræ contemplationis vtpote portu destituta, simul ac agitata sæuis ventorum turbinibus oceanique fluctibus, perditè fortassis naufragium faciet. Porro qua ratione vires aliarum similitudinum, tam vniuersalium, quàm particularium, scilicet animalis, hominis, maris, ac Socratis: qua ratione inquam eiusmodi facultates earumque motus, ad quartum, quintum, sextum, aut septimum, videlicet ad summum extendi possunt, eadem quoque nobilitatis potestas illucusque verisimiliter protrahi diffundique poterit. Etenim vt enumeratarum potestatum ac motuum, aliæ potentia genitali semini tantum in sunt, aliæ verò actu nobilitatis facultas actu dubio procul inerit siquidem in catalogo similitudinum indiuiduarum (exempli gratia Corisci qua Coriscus est) haud dubiè collocanda veniat quanquã enim ea non est effigies in cute sensibus exposita, nihilominus impressa delitescens in secretioribus naturæ penatibus, foras extemplò cùm opus est, exerit effunditque vireis longè præstantiores, ac eę sint, nempe quas exterior delineatio musculorum parit, ob oculosque crebrius constituit. Proinde sicuti Coriscus intro quatuor gerit facultates, quando palam dignoscatur animal, homo, mas, & Coriscus, quippe quas opera vel adminiculo motuum generando, natis instar sigilli cuiusdam infigit: ita nimirum interiores huiusmodi simi-

litudines, quæ non à membris in animum transeunt, quemadmodum exteriores aliæ, quinimò scaturientes eædem ex animo, subinde ministerio sensuum, (vt qui corpus animo connectant atque deuinciant) membris illabuntur præcipuis, atque proprietates tandem vel adfectiones euadunt indiuiduæ, videlicet alijs accidentibus adnexæ seu complicatæ. Verùm obijcies forsitam exiguo admodum tempore dissolutum in fastosæ nobilitatis existimationem, si longius protrahi vel extendi nequeat. Atque legislatores vnà cum iurisperitis ac Cæsare iuris interpretibus, nempe quibus accedit atque suffragatur totus penè de hac ipsa nobilitate scribentium cætus, quinimò plebs vniuersa quoque descendit in hanc eandem sententiā: Legislatores inquam vnà cum vniuerso ferè mortalium choro, vel paucissimis dumtaxat exceptis, longiori prolixiorique temporis curriculo conspicuam reddi magis nobilitatem, & autumant & mordicus tuentur. Hinc Germani, si titulo cupiant insigniri Rhodiensium siue Maltensium equitum, ad eam dignitatem haudquaquam admittuntur capescendam, ni probauerint antea testibus, aut instrumentis, & agnatorum, & affinium nobilitate ad octauum vsque gradum, si benè recolo, idque tam ex parte matris, quàm genitoris. Quam ob rem vnà mediusfidius coire nequeant, longa temporis intercapedine nobilitatem obliterari pariter ac expungi simul ac eandem à tempore prolixiori vires adquirere locupletiores. Quemadmodum enim aliæ similitudinum facultates ac motus, ad vnam omnes, quò viciniores principio dignoscuntur, à qua traxerunt originem, eo fortiores diudicantur, & quò remotiores, eo confestim imbecilliores: ita mehercle de quauis extrinseca vel intrinseca similitudine cuiusmodi nobilitas cernitur) planè venit sentiendum, quandoquidem vtrobique prorsus eadem ratio militet. Quapropter impræsentia nos à communi fortassis omnium sententia, qui hac de re scriptis aliquid

quid prodiderunt, abscedere vel inuitos omnino; naturalis, & exercitata ratio, non modò suadet aut hortatur simpliciter quinimò cogit, vim infert, & suo iure quodam hoc ipsum insuper extorquet. Quotusquisque enim est (amabo) qui naturæ quæuis opera vel artis, lōgo temporis interstitio paulatim sensimque remitti, pariter ac languere vel hebetur non intueatur? Itaque salus vna nobililatis hæreditario iure quodam relictæ nobis relinquitur, scilicet vt posteri segnitie desidiaque seposita (tantisper saltem) egregijs alant eandem clarisque facinoribus nobilitatem, scilicet, vt aspernantur vitia, virtutes amplexentur, viros colant insignes, vnaque perditos atque nepharios auersentur. Cæterum interea, quæ nobilitatem asseruant incolumen, & in immensum eandem adaugent, vna se se præ cæteris offert Catholicæ religionis obseruantia, sicut & singularis erga illam adfectus. Id quod hunc in modum fulcitur. Nobilitas (vt antea docuimus) sicut ab animi dotibus, quæ propriæ sunt ipsius animi, desumit initium, ab ijs originem ducit suam. Proinde sicuti corpus viuens ex ijsdem & alitur & augetur, ex quibus conflatur coalescit iuxta Philosophi decreta, sic nimirum asseruata similitudinem nobilitas, vtpote virtutibus collata corporeis, cùm eisdem ali, tùm augeri consueuit. Porro singularis erga religionem Catholicam adfectus & Christianæ legis obseruantia, præ cæteris humanæ menti largiuntur (imò penè solus idem amor, vbi casu quopiam impediatur obseruantia) veram quietem & pacem, quippe quam impertiri nequeat mundus: atque ita redigit eundem intellectum ad suam illam reuocauit naturalem harmoniam, quasi videlicet eum primæuo nitori suo restituat: qui legitimus arrabo siue pignus æternæ felicitatis illius cernitur, quippe cuius gratia tandiu suauiter toties ingemiscimus, clamantes Abba pater, quandiu degimus in hoc infelici, tetro, miseroque corporis ergastulo. Quò deinceps fit, vt quemadmodum sensus &

altrix potestas plerunque mentem ad sua desideria trahere consueuerunt, atque ita mores animi, corporis temperiem insequebantur, ita mediusfidius humana mens eadem vtpote nitori suo illo restituta, naturalibus demum integrisque prædita viribus, quippe quibus ante lapsum potestatibus imperabat inferioribus, eisque legem præscribebat obseruandam: sicut inquam antea mens exercebat imperium, ita nunc temporis non modo restitutis verumetiam auctis viribus maiori felicitate subigat interiores easdem facultates.

Locus in predicamentis, a nemine (quod sciam) hactenus explicatus ad amussim declaratur.
CAP. XIX.

INter speties qualitatis Philosophus enumerat potentiam naturalem vel impotentiam. Vocari potest in dubium, quænam sit isthæc potentia naturalis. Hæc sane passio, vel adfectio propria nequit esse, quandoquidem cunctis promiscuè particularibus inesset humanæ speciei. Verum si quibusdam (vt patet) dumtamxat inest tantummodo, naturalis esse non potest. Quare videtur mihi vocabulo naturæ Philosophus hic intelligere, non speciem, seu formam, quæ rei largitur essentiam, sed indiuidualem quandam proprietatem quibusdam solummodò, ratione tempora menti, singularibus communem, quæ non aliam ob causam natura vocitatur, quoniam principium agnoscitur, motus intrinsecum, verbi gratia sugillatorem esse, hoc est, ad pugnandum agnosci propensum, & inclinatum. In hunc sensum pluries vocem naturæ Galenus vsurdat, puta, quando monet

in

in exhibendis Pharmacis conſiderandam eſſe naturam ægrotantis. Quamobrem non iniuria nobilitatem, in ijs qui verè nobiles ſunt, eſſe potentiam naturalem, nempe quia principium vel à principio natiuitatis, vel tempore conceptionis, tale in corde, vel (quod mihi magis adridet) in ipſa cerebri ſubſtantia ſortiti ſunt temperamentum, atque compoſitionem, ſcilicet à parentibus hauſtam, quæ procliues atque propenſos reddat eoſdem ad plæclara geſta peragenda, ſimul ac ſordida quantumuis vtilia deuitanda. Cæterum nolim quemquam opinari natos Medicorum, aut Iuriſconſultorum. (Id quod de cęteris nobilibus intelligi velim) ad artem medicam hac potentia naturali Medicam artem, aut Iuriſprudentiam potius inclinari, ſiue propenſos reddi, quàm ad alia quæuis nobilium opera peragenda, quandoquidem adfirmare naturam ad huiuſmodi particnlaria deſcendere, temerarium ſit, quando non videatur huic adſertioni experientia ſubſcribere. Proinde rationi conſonũ videtur (quod vel ipſa teſtatur experientia) principium id nobilitatis intrinſecum à parentibus hauſtum, qualiacumque munia nobilia parentes exercuerint, inducere natos ad præclara geſta (cuiuſmodi tandem illa fuerint) adgredienda tractandaque prout ſors tulerit. Contra verò contrarius ignobilitatis habitus, ſeu naturalis impotentia delectum perpetuo facit actionum ignobilium ad eam, quæ iugiter ignobiles impellit.

Diui-

Diuino afflati numine excipiuntur ab vniuersali regula superius adducta. CAP. XX.

IN præsentia disquirere videtur opere prætium, nunquid, quod in superioribus libris retulimus, veritatem habeat in omnibus, nempe principium nobilitatis nequaquam arguere, quod quicunque natus ignobilis, si seipsum præclaris emancipauerit virtutibus, vtroque nobili dignis, illico nobilis censeat? Nanque licet præclara gesta principium nobilitatis condonent, nihilominus rude principium illud, quod hic vir quamlibet insignis, à principio natiuitatis à parentibus traxit, veluti fomes quidam alter si non ad vitia, saltem ad opera vilia, siue cogitationes viles inclinans, seu propensum reddens, minime potest ignobilitatem espungere, quantumcunque laboret, vt id prestet. Adeo fomes ignobilitatis altercando potentior est hisce laboribus; qui videlicet animum ad nobilitatem capescendam præparant, neque tamen sordes ignobilitatis abstergere possunt, quando quod naturale est, potentiores obtineat vires, ac id quod adscititium laboribusque conquisitum est, sicut & ipsa natura consueuit artem euincere. Verum enimuero si forinsecus diuina quæpiam virtus, nostram exuperans naturam, accesserit, fieri potest, vt is, qui natus est ignobilis, non solum aquirat nobilitatis principium, sed viros omnibus requisitis conditionibus vtcunque magna præditos nobilitate, nobilior euadat. Hinc Hieronymus Sauonarola quodam in libello scriptum reliquit, sacerdotes bonos processu temporis longe meliores euadere laicis vtcunque perfectis: si quidem multò magis efficiat facultas diuina vel exiguo tempore, quam studia hominum vtcunque laboriosa, longa temporis interca-

capedine. Quamobrem sacerdos à rusticis progenitus, si continuo magna mentis contentione Deo seruiuerit, atque sacramenta frequenter degustauerit, Regibus nobilior erit, quando sicuti fomitem ad vitia nos inclinantem, & secundum (vt ita dixerim) alterumque fomitem ad vilia sensim deducentem, ita retundant frequentibus congressibus, ita ne hiscere quidem audeant, & omnes propemodum amittant vires. Adeo quod alijs difficilimum est, ijs facile tandem euadat: Hinc Sanctum Franciscum referunt in ordinem seraphicum fuisse transalatum, qui cæteris hyerarchiæ cœlestis omnium ordinum nobilior ab Eclesia Santa creditur, id qnod non humanis inuentis, & reuelationibus innotuit, quemadmodum ex operibus Dionysij Areopagitæ colligitur.

Falsas honestij boniquæ species ad execranda facinora nobiles impellere.

CAP. XXI.

ADmodum Reuerendus: Pater Aynes societatis Iesuitarum, atque primaius inter duos a summo Pontifice Theologos electus in œcumonica synodo, dum in Eclesia Diuæ Mariæ Tridenti publice concionaretur, Episcopis atque Theologis eiusdem Synodi: Aynes inquam miro, eoque diuino artificio Dæmones varijs tentationum generibus genus humanum circumuenire, nos edocuit. Quasi vero cum non omnibus morbis animi non competant omnia remedia, ita diuersis hominum cogitationibus; vt subuertantur minimè conducit tentatio quælibet puta rusticis atque alijs eiusdem ingenij, vel vtcunque peccata quamlibet crassa suffecerit persuasio. Verum acri ingenio prædi- ti & in sublimibus actionibus, siue contemplationibus exercitati requirunt necessario sagacissimam impostu-

ram,

tam, si credere debeat impostori. Quare nobiles præsertim (vt nuperrimè diximus) in actionibus, siue contemplationibus exercitati sublimibus, vbi semel didicerint virtutes morales conseruare, pariter ac augere nobilitatem; neque tamen easdem virtutes absque diuitijs exerceri posse, præcipuè magnanimitatem: Sathana consultore seducitur, & ad diripiendas subditorum opes animum cõuertit, sicut & eiusdem animum omicidia pulsant, quoties non desunt, qui se tyrannidi iugiter opponant. Quamobrem in hisce tricis constituti, neque sibi ipsis, neque consilijs hominum communibus, sed continuis orationibus adhibitis paucorum, sed tamen boni nominis religiosorum, peritorumque solidis consilijs adquiescere conuenit, & expedit scilicet vt abolita detersaque boni, vel honesti falsa spetie, veritas emicet, atque locum habeat, & quæ vera magnificentia, siue magnanimitas, adhæc quænam legitima liberalitas à nobilibus præcipuæ principibus intelligi debeat: si quidem hodierna die potissimum (quod in Curijs obseruaui frequenter) opinantur principes eum esse liberalem, qui plura, maioraque morionibus condonat, vnde postmodum, id necessario consequitur, vt qui bene sincerèque seruiunt, aut proprijs defraudentur stipendijs, aut saltem eorundem solutiones in longum temporis spacium differantur, ac interea multa perpetiantur onera, quæ nonnunquam eos opprimant. In summa probitas vbique laudatur, & alget: hic namque diuina potissimùm disquiruntur præsidia, quæ libidinis profuse fluctus coherceant, & intra certos fineis concludant, id quod assequi rationes humanæ nũquam, aut certæ vix præstare possunt. Quis enim, (obsecro) tyranidi virtutis idolum præseferenti fretus humanis dumtàxat ratiocinijs remedia queat expiscari, quæ facere satis possint hoc in negotio tam lubrico, reique tam cõfusæ certos limites præscribere speretur. Itaque hæc de nobilitate dicta sufficiant, quam prouintiam quanlibet difficilem suscepimus, quòd hactenus (quod

(quod sciam) à nemine fuerit explicata, ne dum attentata: ad hæc quòd hac infelici tempestate nostra vix vnum offenderim Heronymum Ruueræ Sanctæ Ecclesiæ Cardinalem, in his quę pertinent ad contemplationem præcipue peripatheticam Sacræ Theologiæ coniunctam, cùm eruditione tam insigni, tùm etiam integritate vitæ prestantem, qui de altissimis vtriusque philosophiæ locis, nempe peripathetica disciplina, theologiaque tutò sententiam ferre queat.

FINIS.

IN-

INDEX

Rerum.

A

Ada-

Bene-

B

C

Con-

E

F

quo-

G

ali-

N

est

O

Ordi-

P

S

Talen-

T

V

Vulgus

Digitized by Google

Errata.		Correctiones.
Pag.3.	Nobilitate	Nobilitatem
pag.6.	mobiles	nobiles
pag.13.	debatur	debeatur
pag.14.	videt	videtur
pag.15.	in orto	Orco
pag.15.	confectat	confert
pag.20.	in	ni
pag.24.	loum	locum
pag.31.	conſpuctatum	conſpurcatum
pag.31.	Sacerdus	Sacerdos
pag.32.	ſortities	ſordities
pag.38.	eadem	eodem
pag.47.	oſidius	auidius
pag.47.	adugnantur	aſſignantur
pag.49.	comparanda	comparandam
pag.60.	quacunque	quamcunque
pag.60.	inebinati	inclinati
pag.62.	parni	param
pag.72.	experientę texte	experientia teſte
pag.73.	gene	genere
pag.85.	vimitur	vincitur
pag.90.	queam	queant
pag.97.	ſuıro	ſuſurro
pag.98.	infidelius	infidelibus
pag.106.	feudam	feudum
pag.127.	fantibus	fantaſmatibus
pag.138.	piſtor	pictor
pag.140.	barbitonſares	barbitonſores
pag.141.	in libros	in liberos
pag.142.	obſcurienri	obſcuritatem
pag.166.	affignitas	affinitas
pag.172.	prærogauis	prærogatiuis
pag.172.	illux,beatæ	illud, beata
pag.190.	quì,quì	quod, quod.


hone-

	Errata	*Correctiones.*
pag. 191.	honeſtum	honeſtam
pag. 193.	ob omnibus	ab omnibus
pag. 193.	quartum	quarum
pag. 199.	hæ lege	hac lege
pag. 200.	tenerè	temerè
pag. 201.	limitio	limitatio
pag. 203.	aniouantia	animantià
pag. 206.	procare	procurare
pag. 211.	fueri ſolet	fieri ſolet
pag. 222.	abſis eſt	baſis eſt
pag. 227.	ſuperante, ijſuptam propararum	ſuperſtitem, ij ſumptam, popagarunt.
pag. 145.	motorum	motorem
pag. 254.	Mediolanus	Mediolanenſes
pag. 260.	vtilitatis	vilitatis expertes
pag. 266.	In adulescentia	In adoleſcentia
pag. 282.	Proiectio lapis	Proiectus lapis.
pag. 292.	adpendicem	appendice
pag. 300.	numia compoſiti	munia compoſiti.

A01 145444

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google